*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31. K. 30

ACTORUM ERUDITORUM

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR

SUPPLEMENTA.

TOMUS I.

CUM

S. CÆSAREÆ ET REGIÆ POLONICÆ MAJESTATUM PRIVILEGIIS.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
THOMAM FRITSCHIUM.

* 31.K.30
94

KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

SIſtimus tandem tuo, LECTOR BENEVOLE, conſpectui *Supplementorum*, quæ ante tres fere annos auſpicati ſumus, Volumen integrum, quo libros voluimus complecti, in *Eruditorum Actis*, quorum primum non ita pridem Decennium per Dei gratiam abſolvimus, prætermiſſos. Neque eſt, opinamur, cur operæ hac in re poſitæ nos pudeat pigeatve, cum nullum hactenus prodiiſſe exiſtimemus Actorum eorum Annum, cui ſeu numero & præſtantia librorum qui recenſentur, ſeu recenſionum accuratione hæc Supplementa cedant: adeo ut, ſi Acta ipſa non plane Orbi Erudito ſordent, ea quoque applauſum quendam inventura confidamus. Verum enim vero fatendum nobis eſt, ne ſic quidem vel Decennii illius Hiſtoriam Literariam completam eſſe, cum non ignoremus ſupereſſe adhuc & bene multos & optimæ notæ libros, intra hanc periodum, ſeu in Germania ſeu exteris in regionibus editos, quorum recenſum & in Actis ipſis, & in hoc Supplementorum volumine fruſtra quæſiveris. Nimirum in tanta librorum multitudine, dum alii ſuper alios in lucem provolant, fieri aliter vix poteſt, quin nonnulli quantivis etiam pretii e manibus velut noſtris ſubducant ſeſe, conſpectumque noſtrum, imo & memoriam paulatim effugiant: nec diſſimulare poſſumus, hac tempeſtate, quæ majorem Europæ partem bellis conturbat,

bat,

bat, libros haud paucos, in Gallia cum primis, quæ quidem eorum nunquam non eſt feraciſſima, editos, aut plane non, aut ſero & ubi gratiam novitatis jam exuerunt, ad nos deferri, quorum tamen copiam facilem nobis, ubi bellum deſævierit, pollicemur. Quo rerum ſtatu in eam facile ſententiam adducimur, ut ingratum minime Lectori Benevolo futurum arbitremur, ſi primo illi Supplementorum tomo ſaltem addamus & alterum, quo ratione non diſpari librorum hactenus quocunque caſu prætermiſſorum aut tardius ad nos pervenientium recenſio, velut per ſpicilegium inſtituetur. Qua in re tamen libertate noſtra, cum bona Lectoris gratia, ſic utemur, ut, quemadmodum & in primo hoc tomo factum, non ſtatis temporum intervallis, ſed prout nobis fuerit commodum, Sectiones novi voluminis elaborentur & in lucem prodeant. Quod ſupereſt, LECTOR BENEVOLE, majorem in modum rogatum te volumus, ut ægre non feras. Indicem generalem tum primi Actorum Decennii, tum Supplementorum primi tomi, cujus ſpem publice fecimus, nondum comparare, nec niſi anno proxime ſecuturo compariturum. Moram labor ejus generis requirit, quæ tamen ut Indicis ubertate compenſetur, ſedulo allaborabimus. Interim ſpatium unicuique relinquitur, ſi quid in Actis hiſce, in ſuis aut aliorum ſcriptis recenſitis erratum a nobis deprehenderit, de eo nos admonendi, ut inter *Emendanda* ſub finem Indicis referri poſſit. Ita vale & inſtituto noſtro porro fave. Dabamus Lipſiæ Calendis Julii Anno MDC XCII.

ACTO-

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio I.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII NEAPOLITANI, Soc. Jeſu, Piſcatoria & Nautica. Editio altera auctior & emendatior.

Neapoli typis Regiis, A. 1686, in 8.

QUemadmodum gratiſſima ſemper fuit ipſa res ruſtica ac paſtoritia, ita bucolicum quoque carmen, quod paſtoralibus negotiis, ac ruſticæ ſimplicitati deſcribendæ convenit, ob ſingularem, quam ſpirat, amœnitatem, nunquam non magni æſtimatum eſt, præſertim cum neſcio quo pacto aliorum quoque generum materiæ tractari per id ac denotari non inconcinne poſſint. Quænam hujus carminis virtutes ſint, doctiſſime, ut ſolet, expoſuit *Renatus Rapinus*, Jeſuita Gallus, in diſſertatione peculiari *de carmine paſtorali*, quæ Lugduni Batavorum Anno 1672. prodiit; qui & ipſe felicitatem in eodem carmine pangendo ſuam ſcriptis Eclogis qua ſacris qua profanis, quas ſcitiſſimis *Hortorum libris IV.* annexuit, litterario orbi ſatis abundeque approbavit. Inter Græcos poetas Bucolici fuere tres Siculi, Theocritus, Moſchus & Bion; inter Latinos Virgilius, uti in epico, ſic in hoc quoque carmine princeps, cujus & decem Eclogæ adhuc extant. Hunc imitati ſunt T. Calpurnius poeta Siculus, & Nemeſianus poeta Carthaginenſis, qui temporibus Cari Imperatoris, filiorumque ejus Carini & Numeriani floruerunt; ſed longe adhuc plures poetæ ſeculis ſubſequentibus. Documento hujus rei eſt liber a *Johanne Operino*, doctiſſimo Baſileenſium Typographo, Baſileæ Anno 1546. in 8. editus. Nam in illo Bucolicorum autores XXXVIII. continentur, quot-

quot videlicet a Virgilii ætate ad ſua usque tempora, eo poematis genere uſos nanciſci poſt ſedulam inquiſitionem potuerat. Sunt autem in univerſum Eclogæ CLVI. mira cum elegantia, tum varietate refertæ. Quod ſi quis Bucolicos poetas ab Anno 1546. ad hæc usque tempora velit colligere, longe major illo haud dubie emergeret numerus. Inter eos autem, quos Oporinus jam laudatus edidit, velut Luna inter ſidera minora emicat *Actius Sincerus Sannazarius*, Neapolitanus, poeta quippe, Petri Bembi judicio, *Maroni Muſa proximus, ut tumulo*. Nam & hic Bucolica ſcripſit præter divinum *de partu Virginis* opus, carminaque alia cum elegantiſſima vetuſtate concertantia. Sunt autem Bucolica ejus quinque Piſcatoria. Atque hunc, præter Maronem, imitandum ſibi propoſuit *Nicolaus Parthenius*, Neapolitanus quippe Neapolitanum. Quamvis enim ſint, qui Piſcatoria inter Eclogas non referenda cenſeant, major tamen penes Parthenium Sannazarii, conterranei ſui, eſt autoritas, qui primus piſcatores colloquentes in Eclogis introduxit; unde & de ſe ipſo in fine libri VIII. Nauticorum ait: *alter qui patria luſi piſcator in acta*. Nec obſtare quicquam hic videt, quo minus piſcatores in locis littoralibus, ubi & paſtores degunt, confabulantes faciat, cum loca natalia ſua, Pauſilypus, Puteoli, Bajæ ac Cumæ agreſtibus hominibus habitentur, qui ſæpe perſona genioque mutato piſcatoriam exerceant, & piſcatione peracta ad cantilenas & citharas redeant. Sunt autem Piſcatoriæ id genus Eclogæ, quas Parthenius ſcripſit, denuoque edidit XIII. quarum I. inſcribitur TITYRUS, in qua Cæſari LEOPOLDO, cui & dedicata eſt eadem Ecloga, epinicium ob Viennam liberatam canitur. II. PARTHENIS, qua Jolas, h. e. vir religioſus conqueritur, quod Virgo Deipara ex oculis ſe ſubtraxerit. III. ANTIGENES, per quem intelligitur *Joſephus Valetta*, JCtus Græce ac Latine doctiſſimus, qui magno animo ac ſumptu celeberrimam Neapoli domi ſuæ Bibliothecam comparavit. IV. CÆSAR, in qua poeta, poſt Viennam ab obſidione liberatam, ac fuſum fugatumque Barbarorum exercitum, de aureis mundi ſeculis jam incipientibus Cæſari gratulatur, pulſisque Europa Scythis orbis univerſi imperium ei auguratur. V. THYRSIS, in qua ſub Thyrſidis perſona luget *Aſcanium Philamarinum*, Aſcanii Cardinalis nepotem, qui acerbo fato occubuerat. VI. GLAUCUS, eaque *Marco Antonio Juſtiniano*, Venetorum Duci inſcripta, in qua poeta Venetæ claſſi ex Italia in Orientem cum auxiliariis copiis ſolventi felicia

ficia omnia ſub Glauci perſona auſpicatur. VII. EPÆNETERIA, in qua Tityrus paſtor vitam ſylveſtrem, Amilcon piſcator littoralem dilaudat, VIII. GENETHLIACA, in qua Virgini Deiparæ Genethliacum in templo eidem ad Pauſilypi radices ſacro, a Zephyræo & Artemidoro texitur. IX. DORYLAS, in qua poeta Iolæ, h. e. *Orontii Montalvi*, & genere & indole nobilis, maturum obitum deflet. X. CHRYSIS, in qua Chryſidis, h. e. *Xàverii* Indorum, ut vocant, Apoſtoli apotheoſis anniverſaria pompa celebratur. XI. ÆGON, in qua Comiti *Theodoro Barbovio* tanquam victori carmen canitur, ob receptam Meſſanam poſt Gallicæ claſſis exceſſum. XII. MOERIS, quæ eſt elogium piſcatoris cujusdam Olympici, qui annos CXXII. habuerat, virgo ſemper & Virgini addictiſſimus. XIII. CARDENIDES, in qua *Caroli de Cardenas*, S. R. I. Principis, & Comitis Acerrarum &c. cui & librum hunc ſuum dedicavit Parthenius, laudes percenſentur. Si judicii quid ferre nobis de Poeta hoc licet, ſane is, uti ejusdem cum Marone eſt nominis (nam & Maro ob caſtimoniam dictionis Parthenius fuit appellatus) & ejusdem cum Sannazario patriæ, ita utrumque ſi non adæquat ex aſſe, certe quam feliciſſime imitatur. Omnia enim terſa & amœna in hujus ſunt Piſcatoriis, æque ac in illorum Eclogis. Sed de Nauticis ejusdem Parthenii quid dicemus? Sunt in illis quoque eximia omnia, vel Marone ac Sannazario quodam non indigna. Nautica autem ut ſcriberet Parthenius, id incentivi loco ipſi fuit, quod neminem hactenus, qui rem nauticam carmine epico complexus eſſet, excutere potuiſſet. Quamvis enim non defuerint hactenus Scriptores, qui nova & exquiſita methodo rem nauticam ſint aggreſſi, v. g. Villebrordus Snellius in ſuo Tiphy Batavo, Bartholomæus Creſcentius in Nautica Mediterranea, Moriſotus in Orbe Maritimo, Dudlæus in Maris Arcano, Ricciolus in Hydrographia, & noviſſime Georgius Furnerius in erudititiſſimo Hydrographiæ volumine; nondum tamen ad manus Parthenii pervenerat, qui rem nauticam perpetuo aliquo carmine expoſuiſſet. Novitate itaque argumenti permotus, & quia homo Campanus eſſet, in hoc ipſo periclitari ingenii poetici vires voluit. Scripſit autem VIII, libros Nauticorum, atque uti leges Epopœæ probe habuit cognitas, ita argumento primario varia hinc inde epiſodia, h. e. digreſſiones poeticas, jucundasque relationes ac locorum deſcriptiones inſeruit. In I. agit de delectu arborum, e quibus naves ſunt fabricandæ. In II, qua occaſione inventa

ſint naves; quomodo item, & quo in loco extruenda ſint navalia, & naves extructæ ſi ſint, quomodo & quibus inſtrumentis in mare deducendæ. In III. de ventis cardinalibus, mediis, lateralibus & nothis, in quo & pyxidis nauticæ hiſtoria recenſetur. In IV. de tempore navigationis inſtituendæ, de clavi moderamine accurate tenendo, de mappis Geographicis adhibendis, de ventis cum cura obſervandis, & inquirenda magnetis vertigine. In V. de habendo pubis delectu, & de inſtituenda felici navigatione in Siciliam, Meliten, Sardiniam; de æſtu freti Mamertini, de æſtu Siculo, de Charybdi & Scylla, aliisque a nautis obſervandis, ubi & Morgana Rheginorum eleganter deſcribitur. In VI. de portubus ingruente tempeſtate quærendis, de velo demittendo, & quid tempore naufragii faciundum; (qua occaſione portus Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Inſularum Maris Jonii, Adriatici, Ægæique, Aſiæ, Syriæ, Ægypti ac Libyæ deſcribuntur,) de ſitu locorum inveſtigando, de ſyrtibus ſcopuliſque evitandis, & quibus artibus ex ſyrtibus naves ſint educendæ, qua item induſtria piratæ eludendi &c. In VII. de navigatione in Orientem per mare Atlanticum, & quid in ea obſervandum, quid declinandum, nec non de navigatione in ſinum Arabicum ac Perſicum. In VIII. de navigationis in Orientem & in Japoniam commodo tempore; qua occaſione & India, & Japonia, locaque alia Orientalia deſcribuntur. Additur ultimo loco novi orbis detectio per *Chriſtophorum Columbum* facta, adhibita fictione poetica. Sed hæc omnia Parthenius ipſe breviter & indice veluti digito innuit in propoſitione, ſeu in ipſo limine Nauticorum ſuorum. Ita enim exorditur lib. I.

Quæ veniant nemora apta mari, quo ſidere pinus
Cædere, & arte rates qua cæſis ponere truncis
Conveniat; quæ cura omnes prædiſcere ventos,
Et mores, & ſigna; vagique ſonantia Nerei
Æquora velivolis late ſulcare carinis;
Litora vel circumpictis freta findere lembis:
Nec non & quæ in acu, & parvo ſolertia Mundo,
Et tempeſtatum quanta experientia Nautis:
Hinc canere, & vaſti puppes per cærula Atlantis
Ducere ſurgentem in Solem, Solemque cadentem,
Incipiam. ——

Huic

Huic novæ Piſcatoriorum & Nauticorum editioni duo annexa ſunt Autoris alloquia ad Lectorem. In primo profeſſus fuerat, ſe opus Nauticorum ſex menſium curriculo abſolviſſe. In altero vero dicit, ſeſe opus idem duodecim annorum ſpatio elaboratum ſæpius ad limam revocaſſe. Nimiæ enim jactantiæ ab eruditis quibusdam fuerat incuſatus, quod intra ſex menſes hoc opus abſolviſſe ſe ſcripſiſſet, cum tamen id non feſtinantis ingenii ac negligentis, ſed accurati ſolertisque opus elaboratum omnibus videretur. Sex itaque menſes illi de accuratiori forte elimatione & reviſione erunt intelligendi, ut vanæ jactantiæ, vel levis mendacii ſuſpicio a Parthenio amoveatur. Additus eſt poſtremo Index rerum notabilium. In calce etiam paginarum, quod Nautica attinet, appoſitæ ſunt hinc inde Italicæ locorum appellationes, ne abſtruſarum vocum crebra uſurpatio lectores nimium fatigaret; cuilibet etiam libro æreæ imagines, eæque pulcherrime ac faberrime ſculptæ præmittuntur, una cum lemmatis ingenioſis, contenta breviter ob oculos repræſentantibus; quemadmodum & Piſcatoria elegantiſſimo id genus antepagmento ſunt exornata.

LETTERA DEL PADRE FRANCESCO ESCHInardi della Compagn. di Gieſu, al Signor Franceſco Redi, nella quale ſi contengono alcuni Diſcorſi Fiſico Mathematici. h.e.

Epiſtola P. Franciſci Eſchinardi Soc. Jeſ. ad Dn. Franc. Redi, in qua diſcurſus phyſico-mathematici quidam continentur.

Romæ apud N. A. Tinaſſi, 1681. in 4.

FElici hoc ſeculo connubio junxerunt matheſin & philoſophiæ naturalis ſtudium doctiſſimi viri, qui in diverſis Europæ partibus in ſocietates coiverunt, ad hæc ſtudia novis inventis augenda & amplificanda. Inter has vero licet poſtrema haut ſit Academia phyſico-mathematica, Romæ a celeberrimo Ciampino auſpiciis Reginæ Sueciæ inſtituta, ejusque membra procul dubio plurima ſcitu digniſſima invenerint; pauca tamen ad nos delata fuere hactenus, atque hinc non plane nullam a B. L. gratiam nos inituros ſperamus communicatione epiſtolæ doctiſſimi Patris Eſchinardi, ex qua illuſtris hujus congregationis inſtitutum aliquo modo intelligi poteſt. Complectitur illa *quatuor diſcurſus* in

Academia modo laudata habitos, quorum *primus* de perfoſſione Iſthmi inter mare rubrum & mediterraneum agit, confutando vulgatam opinionem, qua illam, ob inundationem Ægypti hinc orituram, omiſſam fuiſſe ſtatuitnr. Monet ergo diſcurſuum auctor, cum palus Mæotis in Euxinum pontum aquas ſuas devolvat, hic vero in mare Mediterraneum illabatur, quod tandem miſcetur Oceano, maria hæc neceſſario altiora eſſe Oceano; quippe cum minor ſit proportio inter aquam in Oceanum influentem & ſuperficiem ejus vaſtiſſimam, quam inter aquas delatas in maria commemorata horumque ſuperficiem. Cum igitur ſinus Arabicus ſeu mare rubrum nullum ingens flumen recipiat, adeoque ejus aqua ex Oceano derivetur, conſtare inde aſſerit, ejus ſuperficiem in eodem eſſe plano horizontali cum ſuperficie Oceani, atque ſic inferiorem mari Mediterraneo, ut adeo metus omnis inundationis orituræ evaneſcat. Huic aſſertioni cum varia opponi poſſint, & imprimis fides ſcriptorum, qui metum diluvii talis memoriæ prodiderunt, ſingula excutit auctor, ſpeciatimque ad hiſtoricorum relationem reſpondet, ſcriptores annalium ſequi plerumque opiniones magis vulgares, quum cauſæ veræ effectuum afferendæ ſunt, quarum indagatio ad Philoſophos pertinet. Quocirca neque hoc in negotio plus ipſis credendum eſſe, quam Zonaræ, qui ſpeculis uſtoriis naves Romanas ab Archimede narrat fuiſſe incenſas. Cæterum ex ipſius Auctoris ſententia, principalis ratio intermiſſæ Iſthmi ſectionis fuit multitudo arenæ, quæ in regionibus iſtis deprehenditur, & quæ facile repletura fuiſſet canalem in Iſthmo elaboratum. *Secundus diſcurſus* materiam & motum Cometarum indagat. Illam ergo quod attinet, putat Auctor eam conſtare ex inhærentibus ætheri particulis reſiduis illarum aquarum, quæ olim terram circumdabant, & ex quibus Planetas conditos fuiſſe autumat; illis tamen forte accedere etiam nonnullas, quæ ex Planetis ipſis exhalant. Motum vero quod concernit, eum ex intrinſeca quadam virtute deducit, conceptu non adeo difficile judicans, Cometas, corpora Planetis plane affinia, eadem eſſentiali motus proprietate gaudere, ita tamen ut inſignes quædam ſimul irregularitates in iisdem deprehendantur ab alteratione materiæ ducentes originem. Hiſce paulo prolixius expoſitis, de Cometarum ſignificationibus quædam ſubjiciuntur. Licet enim Auctor vix ullam prædictionibus, quæ vulgo circumferuntur, fidem habendam eſſe moneat, credit tamen Cometas poſſe eſſe cauſas, quas mali effectus

fectus in rebus naturalibus conſequantur. Quod enim in machinis locum habet, ut omne novum accidens in illis emergens potius in pejorem eas ſtatum dejiciat, quam in meliorem aſſerat, niſi artifex denuo mentem manumque adjiciat ad illas reſtaurandas; id ipſum ad machinam hujus univerſi merito applicari poſſe contendit. *Tertio diſcurſui* ſubita acus Magneticæ, ratione declinationis, mutatio originem dedit, cujus cauſam doctiſſimus Auctor ſtatim retulerat in terræ motum factum circa Malacam Hiſpaniæ urbem non ignobilem, etiam antequam hujus rei fama in Italiam advolaſſet. In eo igitur eſt, ut conjecturæ ſuæ rationes exhibeat declaretque, qua ratione terra, magnus ille ſed in plerisque partibus ſuis admodum debilis Magnes, vi polleat diſponendi acum magneticam in certum ſitum. Experimentis ergo probat (1) magnetem ſatis debilem, ſed mole majorem, habere ampliorem activitatis ſphæram, quam minor magnes poſſidet, licet in retinendo ferro validior exiſtat. (2) Si circa acum diſponantur varii magnetes, eam pro diverſo lapidum iſtorum poſitu, diſpoſitionem acquirere diverſam. (3) Magnetem nonnunquam vires ſuas amittere. Ex quibus concludit, facile intelligi poſſe non ſolum rationem converſionis & declinationis, ſed etiam variationis in declinatione, cum per varios caſus, v. g. terræ motus &c. accidere poſſit, ut virtus magnetica in parte globi terreſtris evaneſcat aut immutetur. *Quartus diſcurſus* circa piſcem Remoram occupatur, inquirendo num verum quid ſubſit narrationi, qua gubernaculo adhærens Caji Cæſaris navem in medio curſu detinuiſſe refertur a *Plinio* lib. 32. c. 1. Hanc ergo rem fabulis totam accenſendam eſſe evincit Auctor rationibus evidentiſſimis, quas hic adducere nimium foret, præſertim cum hunc diſcurſum in ſermonem Latinum converſum, una cum primo, in tractatum ſuum *de Impetu* retulerit Auctor, qui nobis recenſitus fuit Anni 1686 menſe Septembri. Poſtſcriptum, ut vulgo dicitur, neque id adeo breve, ad ea nonnulla monet, quæ Auctor propoſuerat in tractatu Italico, qui inſcribitur *Ragguagli del Padre Franceſco Eſchinardi, dati ad un amico in Parigi, ſopra alcuni penſieri ſperimentabili propoſti nell' Academia Fiſico-mathematica di Roma*, ſed quorum bona pars itidem tractatui de Impetu inſerta cernitur. Commemorabimus igitur duo tantum experimenta, quæ prope finem adjecit, quorum primum hoc eſt: In camera clauſa thermometron immiſit poculo aqua repleto, menſe Aprili, quo factum, ut

pro

pro more liquor ſubſideret paululum: ſed cum ex aqua in aërem transferret thermoſcopium illud, præter opinionem ſenſit, eundem magis adhuc contrahi, idque aliquoties repetiit, eventu tamen eodem, niſi cum detergeret thermometron, ubi ex aqua emergebat. Alterum circa calorem verſatur: Aſſumſit enim duo thermometra æqualia, unumque vino, alterum atramento immerſit, eodemque tempore Soli ambo expoſuit, hoc cum ſucceſſu, ut ſemper idem in utroque caloris notaretur gradus, cum plerique tamen ſentiant, nigra corpora facilius calefieri reliquis.

HECTOR. GOTHOFR. MASII SS. THEOL. D. ET P. P. in Acad. Haun. Intereſſe Principum circa religionem Evangelicam. Ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Daniæ Regem.

Hafniæ apud J. M. Liebe, 1687. in 4.

ETſi vera religio non alium finem, quam DEI honorem & hominum poſt hanc vitam conſequendam ſalutem ſpectat; propter communem tamen mortalium affectum, qui in omni negotio magis ad utilitatem præſentis vitæ, quam ad veritatis & gloriæ divinæ ſtudium ferri ſolet, multi illam religionem cenſent meliorem eſſe, quæ majus cultoribus ſuis in hac vita præſtare commodum videtur. Quo reſpectu religio Pontificia cum manifeſta ſacerdotum utilitate conjuncta, a multis laudari, & Principibus etiam variis modis commendari aſſolet. Sed Clariſſimus *D. Maſius* pio veritatis ſtudio actus, libro hoc idoneis argumentis probat, nullam religionem in orbe reperiri, quæ ad communem civitatis ſalutem ac Principum ſtatum (quem aliqui *Intereſſe* vocant) magis faciat ſtabiliendum, quam noſtram Evangelico-Lutheranam: adeoque vel hoc nomine a profanis etiam hominibus, qui omnia utilitate metiri ſolent, aliis in orbe Chriſtiano longe anteferri eam mereri. Quod dum *Cap. I.* demonſtrare aggreditur, primum religionis uſum in civitate maximum contendit, cum ſine illa nulla legum autoritas, nulla Principum ſecuritas, nulla vinculi, quo imperantes atque parentes invicem colligantur, firmitas ſperari queat. Deinde *Cap. II.* probat, hæc civitatis bona, a ſola Chriſtiana eaque vera religione humanæ ſocietati præſtari. Quia illa ſummi magiſtratus autoritatem & majeſtatem

tem a DEO derivat, eamque inviolabilem ſemper eſſe pronunciat. Quam ob cauſam *ad III Cap.* progreſſus, Anabaptiſtarum, Weigelianorum, Socinianorum & Pontificiorum doctrinæ placita veræ religioni contraria notat, quippe quibus aut imperantium juribus derogatur, aut illi Pontifici ſubjiciuntur, ut, ſi hæreſis poſtulentur, a ſubditis eo ipſo juramento fidelitatis ſolutis deponi & ſolio deturbari queant. Qua occaſione etiam in quorundam Reformatorum, qui monarchomachi vocantur, dogmata inquirit, eaque reprehendit ac taxat. *IV Capite* partitim demonſtrat, nullam religionem tam honorifice de ſummis imperantibus ac magiſtratu politico ſentire, quam Lutheranam, quæ majeſtatem imperantium a DEO immediate dependere, nec populo, nec Pontifici Rom. obnoxiam eſſe ſtatuat; monarchomachorum placita damnet; jus epiſcopale Principibus vindicet; Pontificios, qui clericos, ut vocant, jurisdictione Principum eximunt, ſtatumque in ſtatu contra ſanioris Politicæ regulas formant, ex verbo DEI refutet. *Cap. V* dominio abſoluto Principum imprimis favere Lutheranam doctrinam; repugnare autem Pontificiam, ex utriusque partis hypotheſibus manifeſtum reddere contendit; refutans ſimul interpretes Romanenſes, qui Jus Regium 1. Sam. VIII iniquum eſſe tradunt. Et cum Galli hac in parte a Curia Romana diſſideant, tractatum de *Gallia ſchismatica* promittit, ſimul in quo libertas Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtat, p. 149 exponens. *Cap VI.* nexum religionem inter & ſtatum civilem arctiſſimum defendit, ac in hanc rem *Nobiliſſimi Dn. Puſendorffii librum de Habitu Relig. Chriſt. ad vitam civilem* laudat. *Cap. VII* de unione Eccleſiaſtica, quæ vulgo Syncretiſmus audit, erudite diſſerit, ac culpam ſchismatis a Proteſtantibus amolitur. *Cap. VIII.* paræneſin ad Principes Evangelicos, ut Lutheranæ religionis incrementa indies majori ſtudio quærere nitantur, ſubjungit, gratulatus regno Daniæ de puritate fidei & Auguſtanæ Confeſſionis incorrupta doctrina. Quod divinum beneficium etiam in oratione Jubilæa, in annuam Reformationis memoriam Hafniæ habita, & libro huic annexa dilaudat.

ANTONII FRANCISCI DE BONATTIS, J. U. D. PATAVINI, univerſa Aſtroſophia naturalis.

Patavii apud Petr. Mariam Frambottum, A. 1687. in 4.

SCriptum eſt hoc Opus, tribus libris comprehenſum, in gratiam Aſtrologiæ Judiciariæ, ſive Genethliacæ: cujus excellentiam & certitudi-

titudinem nihil mirum eſt Autorem toties & tam magnifice in eo cele-
præfat. brare, cum, ut refert, ab ineunte ætate in illam propenſus, eidem inde-
feſſo in hunc usque diem ſtudio ſe addixerit. Hanc ergo dum ab ad-
p. 2. verſæ partis accuſationibus defendendam ſibi ſumit, primum ipſi patro-
cinium a natalium vetuſtate, præclarorumque virorum autoritate &
p. 7. æſtimio comparare laborat: influxum deinde ſideribus in hæc inferiora,
non Stoica quidem neceſſitate impellentem, ſed inclinatione quadam
p. 10. vim exerentem vendicans, argumenta contraria, & vel aſtrorum in-
fluxum, vel prædictionum aſtrologicarum veritatem certitudinemque
impugnantia, breviter at citra delectum recenſet, & refellere nititur.

Ne vero ſcientiæ huic ſuæ opprobrio eſſe poſſint vaniſſima Ara-
bum præcipue Aſtrologorum commenta, a cordatioribus Philoſophis
nunquam non exploſa: eandem ab ejusmodi frivolis & inanibus figmen-
tis expurgatam conciliare illis ſtudet, quibus alias iniquior de eadem eſ-
p. 26. ſq. ſe poſſet opinio. Unde nugæ ipſi ſunt, partes fortunæ, amicorum, iti-
p. 28. nerum, religionum &c.; effectus nodorum orbitæ Lunaris; electiones
p. 29. 39. & dominia planetarum in horis; aſpectuum amicitiæ & inimicitiæ; do-
minia domorum; de Aphetis, Anæretis & locis Hylegialibus plurima;
p. 33. 35. Alcochodes; modus directionum rectarum & converſarum vulgaris; di-
p. 36. 43. rectiones item domorum, profectiones annuæ & menſtruæ, vulgatæ-
p. 44. que antiſciorum vires. Mitius tamen idem ſentit de domiciliis, exal-
p. 29. tationibus & dignitatibus Planetarum: antiſciis etiam, ſeu punctis ab
p. 44. Æquatore verſus eandem plagam æquidiſtantibus, quatenus a planetis
p. 52. utrinque occupantur, maximam virtutem tribuit; domuum porro cœ-
leſtium dodecadem, juxta ſcita *Regiomontani* ſive methodum rationa-
lem, admittit, & earum ſignificationes non ſine ratione aſſumtas, ac
experimentis comprobatas eſſe, ſibi perſuadet. Cæterum non univer-
ſam Genethliacen tradere hic ſuſcepiſſe Autorem, facile intelliget, qui
cum ſyſtematibus Aſtrologicis paſſim extantibus præſentem tractatum
contulerit: ut adeo ſumma hic fundamenta Aſtroſophiæ ſuæ jeciſſe, &
juxta ea ſpecimen aliquod potius, quam ipſam integram exhibere vo-
luiſſe cenſendus ſit. Præter memorata enim, & doctrinam de directioni-
bus, rectificatione thematum, parallelis ſeu æquidiſtantiis mundanis,
luminisque Planetarii activitate, vix eſt toto primo libro, quod lectorem
ſcientiæ hujus gnarum reddat; cujus potiora aliqua Autor præterea ſic
premit, ut occultare ea, quam exponere propoſitum habuiſſe illum,
non obſcure appareat. Di-

Directionum autem fundamentum & generalis quædam ratio Autori eſt, quod quales motus cœleſtium corporum & configurationes ad Luminaria & cardines ſingulis poſt nativitatem diebus contingunt, tales etiam effectus eorum exiſtant, ad ſingulos totidem nativitatem inſequentes annos: quod quomodo Autor ad calculum deinceps accommodet, exemplis L. II & III planum eſſe aſſeverat. Atque inde etiam rationem conſtare putat annorum climactericorum: quippe quibus Luna ad □, ☍ & ☌ loci ſui natalis perveniens, directionum fauſtarum infauſtarumve, forte tum imminentium, effectus tanquam cauſa impulſiva promoveat. p. 37. p. 38.

Cum vero ſcientiæ hujus cardo in eo præcipue verſetur, ut momentum nativitatis quam exactiſſime habeatur: Autor rejectis cæterorum Aſtrologorum methodis, rationem rectificandi tempus petendam arbitratur a cauſa nativitatem urgente, quam inſtantem & velocis momenti eſſe conſentaneum naturæ arbitratur. Cumque ejusmodi ſint Solis cum aliquo ex planetis æquidiſtantiæ a cardinibus mundi, ad eas recurrit, iisque ceſſantibus, in ſubſidium aſſumit Luminaris unius alteriusve, vel planetæ etiam alicujus appulſum ad Horizontem ortivum aut occiduum: ad qualem figuræ cœleſtis conditionem tempori nativitatis æſtimato proximam, ipſum thema nativitatis figit, ejusque tempus ſic corrigit. Atque hanc rationem certam, & a præceptore ſuo Joh. Franc. Confalonerio plus trecentis nativitatibus, exactiſſime eidem congruentibus, confirmatam, Autor pronunciat. Memoratas porro æquidiſtantias a cardinibus (aut reſpectu coſmicorum aſpectuum, ab aliis etiam domibus) non per aſcenſiones deſcenſionesve, ſed ſecundum diſtantias apparentes computandas eſſe monet. Utque etiam tanto major & frequentior familiaritas planetis intercedat, certas iisdem activitatis ſuæ ſphæras (veteri lege aſtrologica) circumſcribit, intra quas tum aſpectus zodiacales & coſmici (æquidiſtantiæ duorum planetarum a cuſpidibus totidem diverſarum domorum) tum paralleli mundani & declinationes, ſive antiſcia, vim ſuam diffundant & exerceant: ita quidem ut antiſciis, parallelis & ⚹ coſmico tres gradus, reliquis coſmicis aſpectibus quinque largiatur: peculiari pro ſingulis zodiaci aſpectibus ſingulorum Planetarum ſphæra ſtatuta; maxima pro ☌ & ☍, minori pro reliquis: juxta rationem arcus uniuscujusque ad ſemicirculum. p. 40, ſq. p. 46. p. 47. ſq. p. 50.

Hæc fere libro Imo: præter quæ cætera, quæ de generalibus & p. 23.

 parti-

p. 42. 56. particularibus influxibus; revolutionum viribus; cauſis dierum criti-
p. 61. 59. corum, criſiumque momentis & principiis; modo influxus Luminari-
p. 64. um per quartas ſuorum circulorum; planetarum naturis & dominio attexuit aut inſeruit, quia trita ſunt & obvia, recenſere ſuperſedemus.

L. II. Librorum II & III centum & ſeptem themata Autor exhibet, tempo-
p. 1, ſqq. re eorum ex principiis modo expoſitis correcto. Horum quadraginta ſunt utplurimum eorum, qui vel ex utero mortui extracti ſunt, vel
p. 91, ſqq. pauco tempore ſupervixerunt; ſeptendecim eorum, qui vitam ultra
p. 162, ſq. 20 annos, & aliqui ad extremam usque ſenectam produxere; 21, morte
p. 250, ſq. violenta varii generis ſublatorum; 18, qui aſtrorum, ut Autor, putat, beneficio pericula, ex ferro, ſuffocatione, præcipitiis &c. vel intentata
p. 314, ſq. vel objecta evaſere; 11 denique gemellorum. His ſingulis junctæ ſunt figuræ directionum, revolutionum & criſium, ad mortis, ant periculorum ſuperatorum tempora determinanda conferentium. In ipſis vero geniturarum thematibus, qui aſtrorum ſitus impulſum ortui dederint; ut a Luminaribus per maleficos planetas læſis mors vel immatura vel violenta; beneficorum vero amica cum Luminaribus conſpiratione, & in maleficos imperio, vita longior, ſalus aliæque felicitates natis obtigerint, evincere contendit. An vero autoris experimenta cum ſcitis libri primi (quorum præcipua *Placido* de Titis; cumprimis vero *Confaloncrio*, a quo inſigne opus aſtrologicum, *Examen* ſc. *omnium geniturarum ab autoribus propoſitarum*, pollicetur, ſe debere hinc inde profitetur) ubique & examuſſim omnia conſiſtant, eorum erit advertere, qui longius in his pretium operæ ſunt ducturi.

IL MERCURIO ARALDICO IN ITALIA.

i. e. Mercurius Heraldicus in Italia, præmiſſus Feciali Veneto.

item

L' ARALDO VENETO.

i. e. Fecialis Venetus; autore Julio Cæſare de Beatiano, Nobili Juſtinopolitano, ex priſcis Japidiæ Comitibus oriundo, perpetuo Commendatore Icariæ, Equite ordinum Regis Chriſtianiſſimi.

Venetiis imprimebat Nicolaus Pezzana 1686. in 4to.


NObiliſſimum *Beatianum* in heraldica arte paucis parem, nemini temere ſecundum eſſe, *Mercurius* non minus *Heraldicus*, quam *Fecia-*

Fecialis Venetus facile nobis perſuadent. Quamvis autem is huic præmiſſus in libri frontiſpicio dicatur, ſerius omnino tamen juris publici factus fuiſſe videtur. *Studii* quippe *Patavini Reformatores* Feciali Veneto d. 9 Martii 1680, Mercurio Heraldico 2 Auguſt. 1686 in lucem prodeundi poteſtatem fecerunt. Sed & Mercurium in Fecialis Veneti locum ſucceſſiſſe, eaque ſummatim enarraſſe, quæ fuſe alter enarrare ſpoponderat, ſatis conſtat ex iis, quæ pagina *Fecialis* 275 legere eſt. Cum enim, explicatis Reipubl. Venetæ inſignibus, in illius laudes ὡς ἐν παρόδῳ excurriſſet Autor, ſubito filum abrumpit, *ſecundum & tertium* promittit librum, ſpemque facit, horum altero victricia Venetorum ſigna una cum armis gentilitiis, honoribus & dignitatibus a quavis familia patritia obtentis, deſcriptum iri, addita accurata ex hiſtoriis & archivis publicis congeſta relatione de præclaris ſingulorum Heroum geſtis: altero inſignia omnium urbium, caſtellorum ac provinciarum, quæ Veneto ſubſunt imperio, univerſæ itidem Nobilitatis Venetæ, multaque alia ex ſpiſſiſſimis antiquitatis tenebris eruta, recenſenda fore. Præſtitit hæc ex parte Mercurius Heraldicus. Hoc namque duce provinciarum, inſularum urbiumque Italarum, ſpeciatim Venetarum, quæ ullius apud Geographos nominis ſunt, inſignia ducentis plura heraldice enarrata, brevi temporis ſpatio percurrere atque addiſcere licebit. Neque minoris pretii eſſe arbitramur amplos, quos Autor hic illic inſeruit, Catalogos inſignium gentilitiorum Nobilitatis Neapolitanæ, Sabaudicæ, quæque Venetis parent, Forojulienſis & Iſtrianæ. Exſcribere eos non vacat. Placet tamen ſpeciminis loco excerpere, quæ de gente ſua ipſemet Autor commentatur: *BEATIANI*, (inquit) *ex antiquis Comitibus Japidiæ* (*h. e. Carſi & Beatiani in Forojulienſi agro ſiti ad fauces fluvii, qui Plinio Tilaventum majus, Italis modernis Tagliamento dicitur*) *Domini Montis deſerti* (Mondeſerto) *in Marchia Tarviſina, quadripartito ſcuto utuntur, cujus primum & quartum membrum, cyaneo colore tinctum, Regis Chriſtianiſſimi beneficio, tribus fulget liliis Gallicis, quibus, diſtinctionis ergo, adjecti viſuntur bacilli duo aurei decuſſati. In ſecundo itemque tertio membro conſpicitur* δεῖγμα *Montis deſerti, turris nimirum nigra in campo argenteo, cujus caput* (ſeu ſuperior pars) *rubei coloris eſt. Totius ſcuti centro,* (*Japidiæ & Beatiani connotandorum gratia,*) *imponitur ſcutulum transverſim ſectum ſuperiori parte aureum, inferiori rubrum, in quo cerrus,*

(arboris idgenus eſt quercui ſimile) cujus ſuperior pars in aurea campi parte viridis eſt; truncus autem cum radicibus, rubræ campi parti inhærens, argento obducitur.

Hæc de *Mercurio. Heraldus* contra *Venetus* tradit tum præcepta artis Heraldicæ, tum exempla inſignium Imperialium, Regiorum, Electoralium, Ducalium, liberarum item Rerumpublicarum, quæ heraldice recenſentur. Hicque omnino optandum eſſet, ut typographus orthographiæ Germanicæ peritior fuiſſet. Nomina enim ditionum Principum Germanorum, (quorum arma explicantur,) miſere adeo depravata ſunt, ut nihil ſupra. Caveant ergo exteri, ne ex impuriſſimo hoc fonte hauriant noſtrarum rerum peritiam, quam in ſumme Reverendi *Ph. Jac. Speneri* noſtratis *Hiſtoria inſignium illuſtrium* ſeu *Operis Heraldici parte ſpeciali*, & Nobiliſſimi *Jac. Wilhelmi Im Hoff* Patritii Norimbergenſis *Notitia Procerum Imperii* accuratiſſimam deprehendent. In rebus autem patriis *Beatiani* Relatio fide digniſſima habetur nobis, unde Sereniſſimæ Reipubl. *Venetæ* inſignia ex eo huc transferre lubet, eo quod plene adeo abs aliis, Gallis præſertim aut Germanis, depicta ac deſcripta vix offendas. Scilicet

TAB. I. Scutum Reip. *Venetæ* tribus lineis perpendicularibus totidemque transverſis in *ſedecim membra* diſpeſcitur, quibus ſuperſternuntur *quinque ſcuta minora* ad formam crucis diſpoſita. Ex hisce ſcutulis primum, quod centro incumbit, *Venetum* δεῖγμα eſt. Scutulum alterum ſupremo loco collocatum *Cypri* inſignia exhibet. Tertium lateri dextro ſuperinjectum *Cretenſe* regnum denotat. Quarto, quod ſiniſtrum crucis latus occupat, *Dalmatiæ & Albaniæ* regnum deſignatur. Quintum denique ad regnum *Iſtriæ* ſpectat. Quod ſedecim ſcuti majoris membra attinet, exhibent ea 1. Aquilam *Forojulienſem*. 2. Crucem *Patavinam*. 3. Crucem *Tarviſinam*. 4. Crucem *Belunenſem*. 5. Crucem *Veronenſem*. 6. Leonem *Brixinenſem*. 7. Crucem *Vicentinam*. 8. Turrim *Veltrienſem*. 9. Scutum perpendiculariter ſectum, hinc rubeo colore, illinc auro oblitum, quod *Bergamo* proprium eſt. 10. Scutum transverſim ſectum, ſuperius argento, inferius colore rubro inſigne, *Cremam* denotans. 11. Argonautarum navim, *Corcyræ* inſulæ ſignum. 12. Zacynthi δεῖγμα, hyacinthi florem argenteum. 13. Turrim, quam in ſigillo ſuo *Hadria* oſtendat. 14. Inſignia *Rhodiginæ* peninſulæ, caſtello, cui Leo Venetus inſiſtit, conſtantia. 15. Crucem S. Ge-


TABULA. I
ad Supplementorum.
pag. 14

S. Georgii rubeam, qua *Cephalonia* inſula in inſignibus utitur. 16. Equum, *Crepſæ & Abſori* inſularum δεῖγμα. Prolixiori deſcriptione ſuperſedere poſſumus, cum illius vices æri inciſa *Figura* facile ſuppleat.

WILHELMI ERNESTI TENTZELII EPISTOLA ad Amicum, qua Reſponſio ad Clariſſimi Viri Emanuelis a Schelſtrate Diſſertationem Apologeticam de Diſciplina Arcani ſummatim continetur.

Gothæ apud Chriſtoph. Reyherum 1687. 4.

CUm Anno 1685 menſe Decembri pag. 541 Apologiam illam Schelſtrateni recenſeremus, promiſimus, ſuo tempore Tentzelii reſponſionem nos exhibituros. Is autem ſolitam Bibliopolarum duritiem expertus anno 1687 per epiſtolam ſummaria reſponſi ſui edidit; quam initio quidem maluimus omittere, & totius operis editionem exſpectare: ſed cum temporum injuria de eo nihil certi polliceatur, ne promiſſo noſtro deeſſe videamur, epiſtolam illam Tentzelii breviter recenſebimus, ad eum modum, quo in Schelſtrateniana Diſſertatione verſati ſumus, id eſt, ſine partium ſtudio.

Contendit igitur Tentzelius, Schelſtratenum in ipſo ſtatim limine impegiſſe, eumque non poſſe non arcani diſciplinam ad fideles quoque ſimpliciores extendere, quamdiu ex ejusdem præſcripto dogmata etiam occultata fuiſſe cenſeat. Tentzelius autem quatuor adfert modos, quibus dogmatum occultatio apud veteres uſitata, ab arcani diſciplina differat, ratione objecti tam realis, quam perſonalis, ratione modi, qui plane contrarius ſit; ratione ſubjecti, & ratione finis. Dehinc multa profert argumenta, quibus adverſus Schelſtratenum evincat, dogma de Trinitate in priſca Eccleſia neque Gentiles neque Catechumenos latuiſſe, ejusque rationes diluit. Nec ſeptem, ſed duo tantum Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam, Auguſtinum ſequutus ad proprium arcani diſciplinæ objectum refert, & quid de quinque Pontificiorum reliquis habendum ſit, exponit. Poſthæc præcipuum controverſiæ caput adgreditur, & adverſus Schelſtratenum contendit, non dogmata, ſed ritus tantum & Symbola Sacramentorum occultata fuiſſe, & quæ ille in contrarium objecerat, pro virili ſolvit. Originem quoque illius diſciplinæ a Chriſto repetendam non eſſe ut obtineat, diverſos verbo-

rum Chriſti de ſancto canibus non dando interpretationes apud Veteres receptas fuiſſe monſtrat, Patresque ſi quando oraculum Chriſti ad arcani diſciplinam accommodant, id tantum applicare, non explicare arbitratur. Reliqua Patrum loca Schelſtrateno congeſta ita examinat, ut ea vel de diſciplina arcani plane non agere, vel ſuæ, non Schelſtratenianæ hypotheſi favere exiſtimat. Porro, ut ſententiam ſuam de arcani diſciplina labente ſecundo ſeculo in Eccleſiam recepta confirmet, prolixum excurſum inſtituit, oſtenſurus, circa illud tempus inſigne rituum Eccleſiaſticorum augmentum invectum eſſe, & cum hactenus Chriſtiani Judaicæ Synagogæ ritibus, qui bene ſeſe habebant, & cum Chriſtianiſmo conſiſtere poterant, acquieviſſent, tum plurimos alios vel ex proprio ingenio, vel ad gentilium imitationem adjeciſſe. Quam in rem multis exemplis allatis, diſciplinam quoque arcani ex opertis gentilium ſacris, Eleuſiniis præſertim, transſumtam eſſe oſtendit, indeque concludit, quoniam ethnicorum arcana non in dogmatum, ſed rituum ſymbolorumque occultatione conſtiterint, apud Chriſtianos idem factitatum, adeoque ex diſciplinæ arcani præſcripto non doctrinam, ſed ritus & ſymbola tantum in occulto ſervata fuiſſe. Deinde duo argumenta ſua, a gentilium calumniis & lectione Scripturarum non-initiatis conceſſa, prolixe vindicat, & opinionem Schelſtrateni de Catechumenorum dimiſſione & diſciplinæ arcani deſuetudine ita examinat, ut non ab Apoſtolis, ſed ſecundo quoque ſeculo cum diſciplina arcani morem illum cœpiſſe ſuſtineat, magisque confirmet Cardinalis Bonæ ſententiam, qua & Catechumenorum dimiſſio, & diſciplina arcani circa annum 700 in Eccleſia Latina deſiiſſe perhibetur: in Oriente autem diſciplinam arcani ſupra quintum ſeculum duraſſe, probet ex Actis Siræ Martyris apud Papebrochium, & Maximi Dialogo I. de Trinitate; adjungens Chriſtiani Lupi de perpetuo diſciplinæ illius apud Græcos uſu ſuffragium.

Præterea ſingula clariſſimi Schelſtrateni conſectaria ſub incudem revocat, & I. ſilentium Patrum de ſeptenario Sacramentorum numero ex diſciplina arcani ortum non eſſe judicat, quia plura Patrum ſcripta ad initiatos & fideles directa ſint, quam Catechumenorum vel Infidelium manibus expoſita. Quanquam igitur in his vel plane non, vel obſcure Sacramentorum meminiſſent, non debuiſſe tamen numerum eorum definitum ſilere in illis, & initiatos in ambiguo relinquere: imo cum de duobus proprie dictis Sacramentis, Baptiſmo & Cœna Domini, tam clare

clare aperteque in ejusmodi ſcriptis agant, certe incredibile eſſe, tantum de reliquis quinque eos tenere ſilentium. Vult etiam, ut Schelſtratenus nominaſſet ullum veterum ſcriptorem Hugone Victorino antiquiorem: hunc enim primum hanc ſibi audaciam ſumſiſſe, & ſeptenarium Sacramentorum numerum definiviſſe, ex eruditis obſervat. Præterea diluit, quæ de Græcorum conſenſu Schelſtratenus inculcat, qui ignorare non potuerit, quantuscunque in numero Sacramentorum conſenſus appareat, non deeſſe tamen diſſenſum in explicatione & uſu. Addit, Schelſtratenum confudiſſe Jobium Monachum apud Photium, cum Jobo Monacho, ſec. XIII vivente, apud Allatium, ex quo Græcorum teſtimonia maximam partem deſumſerit. Denique ſubjungit Dionyſii Areopagitæ locum, qui non niſi ſex agnoſcat Sacramenta, quorum quatuor amplecti queat Schelſtratius, reliqua duo, conſecrationem monaſticam, & ceremonias in mortuos, non minus ac nos repudiare debeat, ſi numerum ſuum ſeptenarium integrum ſervare cupiat.

II. Celebrem de ſcriptis Dionyſii Areopagitæ controverſiam perſequitur, & quæ Schelſtratenus ad probandam Apoſtolicam antiquitatem protulerat, ita diluit, ut Chryſoſtomi Orationem de Pſeudoprophetis νοθείας accuſet, Gregorii Nazianzeni, Clementis Alexandrini & Athanaſii loca ſibi nihil officere contendat, Anaſtaſii quoque Sinaitæ teſtimonium, in quo maximam vim Schelſtratenus fecerat, non Patriarcham Antiochenum, ſed alium Anaſtaſium, Maximi diſcipulum, auctorem habere opinetur. Effugium Schelſtrateni ex diſciplina arcani deſumtum & in ſua diſſertatione variis inſtantiis præcluſum dicit, & Anaſtaſium Bibliothecarium aliosque, quos ille auctores citaverat, plane contrariam viam ingredi adſerit, ſtatuentes quippe, vel a prioribus hæreticis, quod Anaſtaſius dicat, vel a Philoſophis Platonicis gentilibus, quod Ambroſius Camaldulenſis aliique velint, occultata eſſe Dionyſii opera, ne ad Catholicorum manus devenirent. Aliis etiam argumentis evincere ſatagit, diſciplinam arcani non prohibuiſſe, quo minus Dionyſii opera per Chriſtianorum manus volitarent.

III. De Canone Illiberitano monet, Schelſtrateni interpretationem prius non valere, quam is ex indubitatis veterum monumentis monſtraverit, Trinitatis imagines tempore illius Concilii pingi conſueviſſe, cum in iis inquirendis nec Petavius nec Rosweydus ſupra Paulinum Nolanum adſcendere potuerint. Et poſt alia Schelſtrateno

putat maxime adverſari, quod imagines Chriſtianorum ethnicis patuiſſe diſerte indicent Auguſtinus & Joannes Theſſalonicenſis. Arbitratur itaque, canonis Illiberitani rationem in prudenti συγκαταβάσει, non in diſciplina arcani, quærendam eſſe, cujus auctores metuerint idololatriam ex multis Hiſpanorum animis nondum prorſus depoſitam.

IV. De Baptiſmo Conſtantini initio epiſtolæ diluit, quæ contra loci Hieronymiani expoſitionem Schelſtratenus in præfatione attulerat, gratulaturque ſibi de Papebrochii ſuffragio, qui tantum abeſt, ut cum Schelſtrateno duplicem Conſtantini Baptiſmum ſtatuat, ut potius in dedicatione tomi quinti Maji profiteatur, *Conſtantinum ab ea calumnia vindicandum eſſe, qua dicitur & tenetur a multis in Arianiſmum deflexiſſe ſub vitæ exitum, & heretico ritu baptizatus, vel (quod turpius) rebaptizatus fuiſſe.* Præterea animadvertit diſcrimen, quod inter Theophanem & Schelſtratenum intercedit. Theophanem enim duplex tantum argumentum ex arcani diſciplina nectere, Imperatoremque a participatione Euchariſtiæ & orationibus fidelium excluſum nolle. Schelſtratenum vero tertium addere, dictitando, ei præcipua Religionis Catholicæ arcana occultanda fuiſſe. Rationem hujus differentiæ inde manare adſerit, quod Theophanes optime ſciverit, diſciplinam arcani ad dogmata non extendi, ſecus quam Schelſtratenus autumet. Reſpondet deinde ad utriusque objectiones, & in Concilio Nicæno aliquid indultum fuiſſe Conſtantino largitur, non invito, ut credit, Schelſtrateno, qui diſciplinam arcani æque & ſemper obſervatam non fuiſſe ultro fateatur. Heic autem graviſſimam diſpenſandi cauſam habuiſſe Patres, ne Conſtantinum aſperitate ſua in rebus adiaphoris Chriſtianiſmo infenſum redderent.

V. Schelſtrateni ſententiam de fermento variis rationibus impugnat, additque Cardinalis Bonæ cenſuram in Antonii Auguſtini opinionem, quæ reipſa cum Schelſtratiana congruat, quanquam diverſam appellationis originem tradat.

VI. Obſervat, Schelſtratenum Reformatos ex principiis minime conceſſis impugnare, nec animadvertere, pleraque Patrum loca ab Albertino objecta ex ejusmodi ſcriptis deſumta eſſe, quæ nec Catechumenorum aut infidelium cauſa ſcribebantur, nec in manus eorum deveniebant. Cum autem Schelſtratenus videri nolit, diſciplinam arcani ad fideles extendere, aliam obſcuritatis cauſam in ſcriptis Patrum

acro-

acroamaticis quærat oportet, quam non aliam dicit Tenzelius, quam accuratiorem in docendo methodum.

VII. Optat, ut Schelſtratenus producat vetus teſtimonium, quo nomen transſubſtantiationis Lombardo antiquius eſſe fidem faciat. Cum autem conſtet, transſubſtantiationem pro dogmate fidei nec ante nec poſt Tridentinum Concilium apud ipſos Pontificios habitam, tum miratur, Schelſtratenum contendere, primis Eccleſiæ ſæculis eam pro dogmate Euchariſtiæ agnitam fuiſſe. Ad argumentum vero Schelſtrateni ex diſciplina arcani poſtquam reſpondiſſet, concludit, eum veterem Eccleſiam tacite Valentiniſmi accuſare, quem alia in abſcondito, alia in aperto docuiſſe ex Irenæo voluerit. *Quis enim dubitet*, inquit Tenzelius, *te alia in aperto docere, quando cum Theodoreto in præſentia non-initiatorum ſymbola poſt ſanctificationem in ſua natura & ſubſtantia manere profiteris; alia vero in abſcondito, quando panem & vinum in ſubſtantia ſua non manere, ſed in aliam, corporis & ſanguinis Chriſti, mutari, coram ſolis initiatis cum modernis Pontificiis ſtatuis?*

VIII. Miratur Cl. Auctor, quare Jeſuitæ ac cæteri miſſionarii, apud Sinas, Japones, alioſque gentiles illam veterum prudentiam non imitentur, ſed recentioris potius Romanæ Eccleſiæ uſum pompamque in exponenda & circumferenda hoſtia teneant? Ubi ſubeſſe putat modernorum Latinorum opinionem de transſubſtantiatione, & cultu adorationis pani conſecrato extra uſum a Chriſto inſtitutum deferendo, quæ omnia purior antiquitas ignoraverit,

THE TURKISCH HISTORY.
i. e.
HISTORIA TURCICA.

Londini, impenſis Thomæ Baſſeti, R. Clavelli, J. Robinſoni & A. Churchill, 1687. in folio.

Complectitur ſpiſſum hoc volumen tergeminorum authorum opera; ex quibus *primum* doctiſſimi viri, RICHARDI KNOLLII, *Hiſtoria* eſt, qua res Turcarum, a primis eorum originibus ad annum Chriſti 1623. usque, pertexuntur. *Alterum* eſt continuatio Knolliana ab A. 1623. ad A. 1677. perducta, autore PAULO RYCAUT, (Latine *Ricaltum* vel *Rigaltium* ſcripſeris,) qui olim ſeptennio integro Co-

miti a *Winchelſea*, Caroli II. Britanniarum Regis ad Imperatorem Turcicum Legato, a ſecretis fuerat, & vertente tempore totis undecim annis Conſulis (quem vocant) Smyrnæi officio cum laude functus eſt. *Ultimum* eſt ROGERII MANLEY, Equitis Angli, additamentum, ab anno 1677. ad annum 1686. pertingens.

De ſingulis non eſt, quod pluribus diſſeramus. *Knollii* enim labores dudum orbi erudito innotuerunt, illorumque meruere applauſum, qui juſtum pretium hiſtoriæ methodice & cum judicio ſcriptæ ponere norunt. *Rigaltii* opus jam A. 1684. p. 114—121. ad Acta Eruditorum, cum decenti elogio, retulimus. Subjungitur ei in hac editione ejuſdem Auctoris tractatus *de præſenti Imperii Ottomannici ſtatu*, quem Germanice verſum & *Diarii Europæi* continuationi XXI. a. 1671 inſertum fuiſſe, c. l. diximus. Trium virorum horum ultimus, *R. Manley*, Knollium & Rigaltium non infeliciter æmulatus, in eas res enarrandas incidit, quæ nobis in recenti adhuc memoria hærent, heicque adeo absque Lectoris benevoli tædio latius commemorari vix poterunt.

PRÆNOTIONUM CANONICARUM LIBRI V. quibus ſacri Juris atque univerſi ſtudii Eccleſiaſtici principia & adminicula enucleantur. Exarabat Johannes Doujat antecesſorum Pariſienſium ac Regiorum Profesſorum primicerius, eoque nomine Comes.

Pariſiis apud Joh. Baptiſt. Coignard, 1687. in 4.

JOhannes *Doujatius* Tholoſanus in urbe patria primum Advocatus, poſtea Pariſiis Regius ſacrorum Canonum Profeſſor, ac tandem Facultatis Juridicæ Anteceſſor nunc emeritus, varia ſcripta hiſtorica & ad jus Civile, Gallicum & Canonicum ſpectantia edidit, e quibus notas ad *Joh. Pauli Lancelotti* Inſtitutiones Juris Canonici Cal. Oct. A. C. 1685. recenſuimus. In præſenti opere, cui Prænotionum Canonicarum titulum dedit, primum de Juris Canonici natura diſſerit, ejusque definitionem, proprietates, diviſiones & a cognatis ſcientiis differentias explicat. Deinde ad materiam progreſſus quatuor imprimis fontes, e quibus Juris Canonici præcepta promanant, conſtituit, Scripturam nempe ſacram, concilia, conſtitutiones Romanorum Pontificum & Patrum

trum aliorumque ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſententias. De ſacro Codice ita agit, ut præmiſſa vocis explicatione & aſſerta ſacrorum voluminum autoritate, de libris canonicis & apocryphis in genere, deque ſingulis in ſpecie, nec non de variis ſacri textus verſionibus, ſenſibus & partitionibus lectorem ſuum juxta eas, quas Pontificii tenent, hypotheſes informet, & præcipuos e Pontificiis Bibliorum interpretes commendet. Hinc ad concilia pergens, itidem generali tractatione non contentus, primum œcumenica, quæ vulgo ſic audiunt, deinde quaſi univerſalia, quorſum Arelatenſe vel Sardicenſe, Quiniſextum in Trullo habitum, Francofurtenſe, Claromontanum & Turonenſe III. retulit, & pſeudoſynodos generales, tum particularia Concilia juxta nationum diverſitatem digeſta, Græca, Africana, Gallicana, Hiſpanica, Italica, Germanica, Anglicana ac Hibernica, & poſtremo inſigniores Conciliorum editiones ſeu generales eorundem collectiones ſtrictim enumerat. A conciliis ad Romanorum Pontificum conſtitutiones tranſit, quas ſi non omnimodam, ſaltem inſignem autoritatem obtinere cenſet. Controverſiam de Pontificum Romanorum ante Siricium epiſtolis, quas *Turrianus* genuinas, *Blondellus* & alii ſuppoſititias eſſe cenſent, collatis utriusque partis argumentis in dubio relinquit, illud tantum addens, ſaltem aliquas in Gallia indubitatæ autoritatis eſſe, quantum ad capita a Francorum Regibus probata & publicis regni legibus inſerta. Poſtea ſingillatim omnium Pontificum, qui ſex prioribus ſeculis a nato Chriſto Romanæ Eccleſiæ præfuerunt, epiſtolas decretales ſuccincta narratione perluſtrat. Ad ſeptimum & ſequentia ſecula ubi pervenit, eos tantum imprimis Pontifices, quorum epiſtolis Gratianus cæterique Juris Canonici compilatores uſi ſunt, commemorat. Qualemcunque hanc Pontificum Romanorum & epiſtolarum Pontificalium hiſtoriam patrologia quædam excipit, in qua præcipuos tredecim ſeculorum ſcriptores eccleſiaſticos Latinos & Græcos breviter enarrat, nonnulla etiam de jure civili, & de duobus incertorum Autorum opuſculis, quorum unum *Diurnus*, alterum *Ordo Romanus* inſcribitur, ſubjungens.

Hæc primis duobus libris executus, ſequentibus duobus quam formam corporis Canonici ſyſtema antiquitus habuerit, & quas mutationes ſucceſſu temporis experta ſit, exponit. Initium facit a canonibus, qui apoſtolici dicuntur, & aliis antiquis canonum apud Græcos

collectionibus, ſive canones juxta numerum & ordinem, quo a cujusque concilii patribus editi, deſcribant, ſive eosdem per certas materiarum claſſes digerant, aut cum Principum legibus conferant. Diſſerit quoque de variis Canonum ſynopſibus & abbreviatis collectionibus, item de nomocanone anonymi autoris, quem paucis abhinc annis *Coteleri-us* in Eccleſiæ Græcæ monumentis publicavit, nec non de decretis ſynodalibus & Patriarcharum aliorumque Græcorum Antiſtitum reſponſis, quæ *Leunclavius* Tom. I. Juris Græco-Romani libro 3. ſqq. vulgavit. A Græcis ad Latinas canonum collectiones delapſus inter alia diſquirit, quid de priſco illo canonum codice ſentiendum ſit, quem A. 1675 ex duobus MSC. Thuaneo & Oxonienſi *Paſchaſius Quesnellius* in appendice ad opera Leonis M. publici juris fecit. Et gratias quidem Quesnellio habet, quod monumentum hoc ediderit, adduci tamen non poteſt, ut credat, quinto ſeculo hanc collectionem in communi uſu apud Romanos fuiſſe, cum Quesnellianus ille codex contra temporum illorum morem tot prolixas de fide diſſertationes, totque Imperatorum conſtitutiones & Magiſtratuum adverſus hæreticos edicta canonibus admiſceat, ut canones ne tertiam quidem illius operis partem impleant. Ad *Iſidorum Mercatorem* ſeu *Peccatorem* devolutus, iterum de primævorum Pontificum Romanorum epiſtolis decretalibus diſſerit, easque ſuppoſitas eſſe non amplius dubitanter ſed aperte pronunciat, ac *Turrianum*, etſi ſupra ejus exceptiones ut ſatis validas commendaſſet, fruſtra easdem defendere judicat, *Jacobi Sirmondi* judicium approbans, qui de *Blondello* epiſtolas illas impugnante dicere ſolitus fuerit, quod totis viribus & immenſo conatu oſtium jam apertum effringendum ſuſceperit. Collectionem Hibernicam, quam tomo 9. Spicilegii ſui *Lucas d' Achery* in lucem protraxit, etſi eam nonnulli *Gildæ Sapienti* tribuant, Doujatius tamen noſter decreto Gratiani vix antiquiorem cenſet. In ſpecie quoque agit de collectionibus canonum pœnitentialium, & perluſtratis inſuper Capitularibus Regum atque Imperatorum Francorum, tandem ad novum & quale hodie receptum eſt jus Canonicum accedit, ubi primum de Gratiano autore decreti, de decreti titulo ejusque condendi cauſa, de partibus decreti earumque inter ſe ordine; item de nævis, emendatione & autoritate decreti, deinde de ſex libris decretalium, Clementinis & Extravagantibus, tum de variis bullariorum editionibus, de regulis Cancellariæ apoſtolicæ, de novis decretalibus Sixti V. juſſu

juſſu collectis, de ſeptimo decretalium *Petri Matthæi*, bullariorum ſummis & *Barboſæ* collectaneis, ac poſtremo de origine & progreſſu juris eccleſiaſtici Gallicani diſſeritur.

Quinto eodemque poſtremo libro Autor ſtudioſis Juris Canonici adminicula quædam hujus ſtudii ſuppeditat, ac primum ſcriptores indicat, qui hanc ſcientiam lucubrationibus ſuis clariorem reddiderunt, exorſus a gloſſarum autoribus, quibus reliquos interpretes, qui ſeculo 13. 14. 15. 16. & 17. jus Canonicum ſcriptis ſuis illuſtrarunt, ſic adjungit, ut eorum vitam & ſcripta breviter exponat. His Juris interpretibus poſtremo loco ſeipſum addit, & ſuum ipſius vitæ curriculum, addito ſcriptorum editorum & ineditorum indice commemorat. Poſtea autores, qui vel hiſtoriam eccleſiaſticam generalem, vel Pontificum Romanorum aliorumque Epiſcoporum, monachorum, martyrum & ſanctorum vitas literis conſignarunt, item qui de ritibus ſacris, caſibus conſcientiæ & hæreſibus ſcripſerunt, nec non Geographiæ & Chronologiæ Eccleſiaſticæ ſcriptores exhibet, abbreviationes utriusque juris & rationem allegandi juris Canonici adducit, voces quasdam technicas explicat, axiomata quædam ſeu generalia Juris Canonici principia colligit, methodum docendi diſcendique Juris Canonici proponit, ejusque finem ac uſum oſtendit, & tandem præcipuas corporis canonici editiones recenſet. Omnium accuratiſſimam eam eſſe cenſet, quæ eo ipſo tempore, quo hæc ſcripſit, Pariſiis procurante Illuſtriſſimo Dn. Claudio le Pelleuer cum notis *Petri* & *Franciſci* fratrum *Pithœorum* ſub prælo ſudavit, & ſtatim a nobis indicabitur.

In appendice harum prænotionum leguntur indices provinciarum & metropoleon eccleſiaſticarum, prout ſeculo 6 conſtitutæ fuerunt, conciliorum, Romanorum Pontificum, Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, Alexandrinorum, Hieroſolymitanorum & Antiochenorum, Patrum & Scriptorum eccleſiaſticorum, quibus canonum collectores uſi, & ordinum denique regularium.

CORPUS JURIS CANONICI GREGORII XIII. PONT. MAX. juſſu editum: a Petro Pithœo & Franciſco fratre, ICtis, ad veteres codices manuſcriptos reſtitutum & notis illuſtratum.

Pariſiis apud Dion. Thierry, 1687. fol. Volumina II.

CORporis Juris Canonici editiones bene multæ in lucem prodierunt, tum ante Gregorii XIII tempora, tum poſtquam hic Pontifex per Cor-

Correctores hunc in finem ſelectos emendari illud ſtudio non contemnendo curavit. Et illæ quidem obſoletæ nunc habentur, nec alicujus pretii ſunt: hæ & Doctorum juris Canonici & ſtudioſorum manibus hodie verſantur, quas inter tum prima Romana, quæ ipſius Gregorii XIII juſſu A. 1582. exiit, tum quæ ſecundum illius exemplar Pariſiis A. 1587. ſumtibus Societatis Typographicæ excuſa fuit, laudari præ cæteris conſueverunt. Aſt omnium, quæ hucusque lucem adſpexerunt, accuratiſſima merito cenſenda eſt, quam nunc ſiſtimus, non ita pridem Lutetiæ Pariſiorum Viri illuſtriſſimi *Claudii le Peletier*, Regni Adminiſtri ſummique Ærarii Regii Præfecti auſpiciis, aliorumque doctorum virorum opera publico expoſita uſui. Poſtquam enim clariſſimorum fratrum *Petri* & *Franciſci Pithœorum*, quorum memoriam Eruditus Orbis hodieque merito veneratur, Opera omnia, edita ac inedita, ſacra, juridica, hiſtorica, miſcellanea alia, in Peleterii, qui Petrum Pithœum proavum habuit, manus perveniſſent, hicque ea univerſa prælo committenda laudando erga Rempublicam Litterariam ſtudio conſtituiſſet; inter ea vero doctiſſimæ dictorum Fratrum in Jus Canonicum Annotationes duorum codicum marginibus adſcriptæ comparerent: ab his auſpicandum ſibi Vir Excellentiſſimus cenſuit, ſeu amore jurisprudentiæ, ſeu quacunque alia cauſa eam in ſententiam adductus. Ita nata fuit nova hæc Corporis Canonici editio, quam excepit mox *Codex Canonum Vetus Eccleſiæ Romanæ a Franciſco Pithœo illuſtratus*, & a nobis in Actis anni 1688. menſe Majo, pag.230 recenſitus, & Opera Pithœorum reliqua, ſi, quod ſperamus optamusque, promiſſis ſuis Peleterius ſteterit, cum tempore ſequentur. Quemadmodum vero editioni huic nitidiſſimæ decus præcipuum Pithœorum fratrum Notæ conciliant, tum varias lectiones ex manuſcriptis codicibus, quos ex celebrioribus Europæ bibliothecis ſummo ſtudio & impenſa collegerant, excerptas complexæ, tum Eccleſiaſticorum aliorumque medii ævi Auctorum loca, intelligendis aut illuſtrandis canonibus apprime inſervientia indicantes: ita diſſimulandum non eſt, haud parum ad eam ornandam *Johannem* quoque *Doujatium*, cujus Prænotiones Canonicas jam jam laudavimus, contuliſſe. Cum enim & is novam juris Canonici editionem meditatus dudum eſſet, eamque in rem comparata non pauca haberet, æquiſſimo non tantum animo tulit occupatam hanc ab aliis operam, ſed & editioni huic, quam ſub tam illuſtri nomine in lucem

exitu-

exituram cognoverat, promovendæ pro virili incubuit. Ejus enim conſilio ac induſtriæ debemus, quod Canonibus ſingulis, ſi ſuppoſititios & ſuſpectos exceperis, ſua tempora & loca adſcripta deprehendimus; ex his enim chronologicis ac geographicis obſervationibus, & variarum eccleſiarum diverſus pro diverſis ſeculis uſus elici poteſt, & conciliandis quamplurimis, quæ pugnare inter ſe videntur, plana faciliſque via aperitur. Prætcrimus ſilentio reliqua, quæ in hac editione curanda Doujatii monitu ductuque obſervata fuere, laudanda utique, ſed quæ latius in *Prænotionibus Canonicis L. V. c. 23. p. 723. ſeqq.* Doujatius ipſe expoſuit.

DE ANTIQVA ECCLESIÆ DISCIPLINA DISſertationes hiſtoricæ, Autore Ludovico Ellies du Pin, Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctore.

Pariſiis apud Arnoldum Seneuſe, 1686. in 4.

QVamvis Diſſertationes præſentes non eo conſilio ab auctore doctiſſimo fuerint conſcriptæ, ut in unum volumen coirent; cum tamen omnes ſibi mutuo lucem fœnerentur, eas ſimul in lucem emitti, non inconveniens viſum fuit. In *prima*, quæ *de forma & diſtributione Eccleſiarum, præſertim quarto Eccleſiæ ſeculo* agit, nominibus Metropolitani, Primatis, Archi-Epiſcopi, Exarchi & Patriarchæ expoſitis; Metropolitarum aut Patriarcharum dignitatem nec a Chriſto nec ab Apoſtolis inſtitutam, ſed ex ſola Imperii diſtributione & urbium ipſarum prærogativa repetendam eſſe, non tantum probat, ſed & qua ratione provinciæ & diœceſes Eccleſiaſticæ ad formam politici regiminis olim diſtributæ fuerint, ob oculos ponit: poſtea de Patriarchis, tum primis, qui iidem fuerunt ac Exarchi ſeu primates provinciarum, tum quibus poſtea Patriarcharum nomen tributum eſt, diſſerere inſtituit, oſtendens, ſi illo Epiſcopi intelligantur, qui honore cæteros anteibant, haud dubium eſſe, quin antiquitus tres fuerint ii Patriarchæ, qui tribus præcipuis Orbis Romani civitatibus præerant, Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ: cum enim iſtæ urbes omnium primæ fuerint, non mirum eſſe, ſi illorum Epiſcopi primum honorem & locum occuparint. His tribus poſtmodum Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum acceſſiſſe edocet, & de eorum inſtitutione ac juriſdictione paulo latius ſermo-

D cinari

cinari ſuſcipit, ac ſub finem monet, non levi errore implicitum iri, ſi quis omnes orbis Eccleſias quinque Patriarchis ſubjectas fuiſſe arbitraretur; extitiſſe enim variis in locis Epiſcopos ἀυτοκεφάλους, id eſt, nulli ſubditos: deinde Metropolitanorum pariter ac Patriarcharum privilegia ad duo capita, honoris ſcilicet ac poteſtatis revocat, eademque diſtincte enarrat. Sub finem diſſertationis in genuinum ſenſum Canonis ſexti in Concilio Nicæno ſanciti inquirit, obſervans primo, circa eundem controverti, utrum jura ſive privilegia Romanæ, Alexandrinæ & cæterarum Eccleſiarum, de quibus loquitur concilium, patriarchalia ſint an metropolitica, atque notans, quæ tam in Launoji poſterius libro ſuper hac re conſcripto defendentis, quam Valeſii prius aſſerentis, & diſſertatione ad calcem Socratis & Sozomeni adjecta illum refutantis, opinionibus deſideret, expoſitionem ſuam ſubjicit: tria hinc de ſuburbicariarum provinciarum & Eccleſiarum limitibus proponit, oſtendendo primum regiones ſuburbicarias eas minime dici poſſe, quæ longe ab urbe ſemotæ erant, nihilque abſurdius fingi, quam hoc nomine omnes Imperii vel Occidentis provincias & eccleſias appellari; ſecundo provincias & eccleſias ſuburbicarias ultra centeſimum ab urbe milliare protendi: tertio veriſimillimum eſſe, eas omnes regiones, quæ Vicario urbis parebant, ipſamque Siciliam, provincias fuiſſe ſuburbicarias, & eccleſias ſuburbicarias eas, quæ in iſtis regionibus poſitæ erant, quarum Exarchus ſeu Patriarcha fuit Romanus Epiſcopus.

In *Diſſert. II* acturus contra nuperam Chriſtiani Lupi de appellationibus lucubrationem, demonſtrat, a Metropolitani & Synodi provinciæ judicio provocationem ad Romanum Pontificem, nec canonibus veteris Eccleſiæ congruere, nec exemplis in hanc rem adduci ſolitis ſtabiliri poſſe.

In *Diſſertationis III*, quæ *de antiqua infligendæ excommunicationis ratione* tractat, præloquio, poteſtatem excommunicandi conceſſam eſſe Eccleſiæ, e ſacris literis confirmat: duplicem fuiſſe olim excommunicationem, pro duplici reorum, in quos ferebatur, ratione: unam enim obtinuiſſe in eos, qui vel per convictionem, vel per ſpontaneam confeſſionem criminis alicujus comperti, de eo dolentes ac gementes a communione removebantur, tam ad medelam, quam ad exemplum; alteram vero in rebelles, qui vel in errore ſuo pertinaces hærebant, vel crimen ſuum agnoſcere & plangere detrectabant: utramque excommuni-

municationem ex ſacris literis colligi poſſe, & utramque apud antiquos uſu invaluiſſe: priorem ab Auguſtino dici medicinalem, poſteriorem mortalem, obſervat; & de mortali tribus capitibus ſibi ſermonem futurum innuit. In quorum primo docet, primis Eccleſiæ ſeculis non ſolos Epiſcopos, ſed cum eis Presbyteros, accedente nonnunquam fidelium laicorum conſenſu, excommunicationis judicium in noxios exercuiſſe; poſtea vero obtinuiſſe morem, ut Epiſcopus & Clerus ſoli ſine conſilio plebis excommunicationis ſententiam ferrent: Epiſcopum autem vix unquam ſine clero ab Eccleſiæ communione aliquem excluſiſſe: Laicum vel Clericum peccantem ad proprii Epiſcopi tribunal deferri oportuiſſe, apud alienum vero accuſari non potuiſſe, etiamſi ſuperior eſſet, puta Metropolitanus aut Patriarcha: Laicum vel Clericum recurſum habuiſſe ad ſynodum provinciæ, & in ea examinatum fuiſſe Epiſcopi & Cleri judicium: ratam eſſe habitam olim ſynodi provinciæ ſententiam, nec a quoquam reſcindi potuiſſe, vetitumque fuiſſe, ne quis a ſynodo provinciæ excommunicatus a quoquam in communionem reciperetur: Eccleſias olim mutuo ſeſe excommunicaſſe, cum Eccleſia quædam aut ejus Epiſcopus, in alterius Eccleſiæ aut Epiſcopi doctrina vel diſciplina perverſum quid eſſe ſibi perſuaſum habens, nuncium ejus communioni mitteret vel datis literis, vel rejectis & a communione ſubmotis iis, qui inde veniebant. In capite ſecundo monet, excommunicationis tres cauſas in Scriptura S. inſinuari, & traditione ac uſu Eccleſiæ confirmari, pravam doctrinam & traditæ a Chriſto & Apoſtolis diſciplinæ adverſam; vitam flagitioſam & Chriſti præceptis contrariam; privati alicujus adverſus diſciplinam Eccleſiæ ſuæ, aut privatæ Eccleſiæ adverſus univerſæ Eccleſiæ diſciplinam, rebellionem: non quoslibet hæreticos, ſed manifeſtos, pertinaces & a quibus periculum ſeductionis imminet, nec quoslibet peccatores, ſed in gravia ſcelera prolapſos, flagitiorum convictos, & cum quorum ejectione gravius malum, puta Eccleſiæ perturbatio aut ſchiſma non conjungitur, ex Eccleſia eliminandos eſſe: non conſultum eſſe Reges, licet abſolute poſſint excommunicari, Eccleſiæ communione privare; plus enim inde detrimenti Reipubl. Chriſtianæ accedere, quam commodi: excommunicationes, quas Romani Pontifices in Reges Galliæ aut tulerint, aut intentarint, non modo a judicibus ſecularibus, ſed & ab Eccleſia Gallicana, tanquam iniquas exploſas ſemper fuiſſe, & nonnunquam ludibrio

habitas, præcipue vero oum de rerum temporalium diſpenſatione & regni adminiſtratione actum fuerit; nec enim Epiſcoporum eſſe, hujusmodi negotiis ſeſe immiſcere, ſed iſtam poteſtatem a DEO datam eſſe Regibus ac Principibus, qui ſi male ſe in iſtis gerant, rationem geſtorum DEO, non Epiſcopis reddere debeant: regna integra, provincias, urbes ob Regis, Magiſtratus aut alterius cujusdam peccatum ſacris officiis interdici non licere: in mortuos analogam tantum & impropriam excommunicationem cadere. In capite tertio tradit, excommunicationis proprium atque primarium effectum eſſe, ut aliquis ex albo Chriſtianorum expungatur, & ſynaxi, precibus communibus ac cæteris officiis, quibus ſocietas & communio Chriſtianorum cohæret, indignus pronuncietur; ſecundarium vero effectum & minus proprium eſſe, ut cum excommunicatis familiaritas, convictus & colloquium non ineatur, quando nulla neceſſitas aut utilitas ad id cogit: neminem coram DEO per Eccleſiam ligari poſſe, qui non ſit ligatus interius per peccatum.

Diſſertatio IV de *primatu Romani Pontificis*, in duo diſpeſcitur capita. In primo B. Petri primatum e Scriptura S. probaturus Autor, ante omnia in ſenſum locorum Matth. XVI, 18. & 19. Joh. XXI, 15. ſqq. inquirit atque notat, ex iis non poſſe colligi illum, ut Bellarminus aliique colligunt; at aliter poſſe inferri, ſi obſervetur, his in locis Petrum perſonam gerere Eccleſiæ, pro cæteris Apoſtolis loqui, & ipſum a Chriſto nomine eorum compellari quaſi primum & præcipuum: porro ex eo ſtabilire nititur, Petrum inter Apoſtolos primum obtinuiſſe locum, quod Evangeliſtæ, cum Apoſtolos recenſeant, Petrum non modo ſemper primo collocent ordine, ſed primum fuiſſe affirment: argumentis e Scriptura S. adductis teſtimonia veterum, Petro primas inter Apoſtolos tribuentium, adjungit, ac tandem oſtendere conatur, nihil obſtare Petri primatui Apoſtolorum inter ſe æqualitatem, & ſententiam recentioris cujusdam ſcriptoris de Petri & Pauli individuo primatu ſub examen revocat, eandemque impugnat. In cap. II. perhibet, primatum Eccleſiæ Romanæ ſupra cæteras orbis Eccleſias traditione niti: illum nec a veteribus, nec recentioribus Græcis directe unquam fuiſſe impugnatum: a Wicleſiſtis, Lutheranis & Calvinianis eundem rejici, vel ſi ab iisdem admittatur, nimium extenuari & ad humanas conſtitutiones tantum referri: a Theologis Curiæ Romanæ addictis eundem ita extolli,

tolli, ut invidiam ipſi maximam conflent; aſt ab aliis, præſertim vero Gallis, ſecundum æquitatem æſtimari, adeoque nec nimis deprimi, nec nimis evehi.

In Diſſert. V. docet, *Romanos Pontifices* non eſſe in judicando infallibiles, idque partim ex Scriptura, Veteris Eccleſiæ diſciplina, exemplis Romanorum Pontificum, qui de facto a fide & veritate deviarunt, recentiorum Pontificum pugnantibus inter ſe definitionibus, ipſorum Pontificum Romanorum ingenua confeſſione, decretis Conciliorum, Academiarum ac imprimis Pariſienſis autoritate, Theologorum præſertim antiquiorum ac doctiorum teſtimonio ſolide demonſtrat; partim argumentorum ab adverſariis pro infallibilitate Rom. Pontificis allatorum refutatione, maſcule tuetur.

In Diſſert. VI de *Concilii generalis ſupra Romanum Pontificem autoritate* diſſerit, diſtincte evincens, poteſtatis Eccleſiaſticæ immediatum ſubjectum eſſe univerſam Eccleſiam: ipſos Pontifices ultro concilia convocaſſe, tanquam ad dirimendas controverſias neceſſaria, ſuaq; judicia in illis retractari voluiſſe aut ſaltim paſſos fuiſſe: Pontificem Romanum concilii legibus teneri, nec poſſe illas pro arbitrio ſuo infringere, quamvis poſſit diſpenſare in eo caſu, quo Concilium diſpenſaret: Pontificem Romanum a Concilio judicari & deponi poſſe: tria concilia recentiora, a tribus Pontificibus legitimis approbata, ſcilicet Piſanum, Conſtantienſe & Baſileenſe definiviſſe, Papam conciliis generalibus inferiorem eſſe: ea, quæ a *Dn. Schelestrato* nupero ſcriptore, ad elevanda Concilii Conſtantienſis decreta, de autoritate concilii generalis ſupra Papam objecta ſunt, nihil habere in receſſu: autoritatem concilii majorem eſſe Pontificia, ſtatui a doctiſſimis Theologis & celeberrimis toto orbe Academiis: argumenta, quæ ad ſuperioritatem Papæ evincendam afferuntur, lubrico niti fundamento.

In *Diſſert. VII* oſtenſurus, *Pontificem aut Eccleſiam nullam habere in Reges eorumque bona autoritatem directam vel indirectam, nec poſſe Reges ab ipſis ullatenus deponi, aut eorum ſubditos a fide & obedientia eximi*, tria conſtituit capita, in quorum primo demonſtrat, poteſtatem Eccleſiæ totam eſſe ſpiritualem, cum ipſe Chriſtus, ut Eccleſiæ caput eſt, nullam habuerit aut exercuerit in temporalia poteſtatem; Chriſtus Eccleſiæ nullam, præterquam ſpiritualem contulerit: Chriſtus & Apoſtoli omnem poteſtatem & juriſdictionem temporalem ab

Eccleſia alienam eſſe ve'int; quidam Romanorum Epiſcoporum & S. Patrum Eccleſiam in ſpiritualia tantum habere poteſtatem fateantur; Eccleſia per vim gladiumque materialem homines cogere nequeat. In ſecundo probare aggreditur, civilem poteſtatem ex natura ſua independentem eſſe a ſpirituali: cum poteſtas regia immediate ſit a DEO, & ab illius ſolius poteſtate dependeat; Reges a nemine, præterquam a DEO, temporali pœna plecti poſſint; Eccleſia nequeat vi & armis reſiſtere Regibus, etiam ſua poteſtate abutentibus, ſed teneatur eos patienter ferre; Principibus omnes in rebus civilibus & temporalibus debeant eſſe ſubjecti; aliter ſentientium opinio decimo Eccleſiæ ſeculo demum in lucem prodierit. In tertio capite objectionibus contrariam ſententiam propugnantium ſatisfacit, totique operi finem imponit, conteſtatus, ſe in his diſſertationibus ea omnia, quæ ad veritatis inquiſitionem & erroris refutationem neceſſaria ſibi viſa ſint, ſtudioſe & accurate collegiſſe ac in ordinem digeſſiſſe, idque ſine odio aut adulatione.

CONSIDERATIONS SUR LE TRAITE HISTORIque de l'eſtabliſſement & des prerogatives de l'Egliſe de Rome & de ſes Eveſques par Mſr. Maimbourg.

i. e.

Conſiderationes ad Tractatum hiſtoricum P. Maimburgii de Inſtitutione & prærogativis Eccleſiæ Romanæ ejusque Epiſcoporum.

Coloniæ, 1686. in 12.

EX indicato Maimburgii libro, cujus contenta menſe Majo 1685. p. 216 ſeqq. exhibuimus, & ad quæ hic denuo reſpicere non abs re fuerit, duo ſaltem capita, quorum alterum *Pontificum infallibilitatem*, alterum *ſuperioritatem Conciliorum* reſpicit, examinanda ſibi ſeligere, & probationis ex hiſtoriis tentatæ infirmitatem demonſtrare, Conſiderationum harum Auctori, quisquis ille ſit, viſum fuit. Priora autem X Capita (XIV enim Capitibus integer libellus abſolvitur) primæ quæſtioni impendit, & quidem Cap. I *Pauli* reprehenſionem Gal. II *Petro* intentatam, ad Infallibilitatis quæſtionem nihil facere oſtendit. Nec Patres, Petrum nihil peccaſſe aſſerentes, nec eos, qui ex illis contrarium

ſenti-

ſentiant, quicquam afferre, quod cum hac quæſtione commune habeat; cum poſteriores præſertim, inter quos Auguſtinus agmen ducit, errorem Petri non tanquam a Papa (eo enim ſtatum controverſiæ tendere) ſed veluti a doctore particulari commiſſum aſpiciant. Nec ex *Pelagii II* Epiſtola aliud evinci poſſe, quam quod *Petrus*, & *Vigilius* Papa, in negotio *facti*, ſed non *fidei* erraverint. Cap. II Maimburgium, qui *Victorem* Papam Epiſcopos Aſiæ excommunicaſſe, credere noluerit, verbis Euſebii: στηλιτεύει διὰ γραμμάτων ἀκοινωνήτους πάντας τοὺς ἀδελφοὺς, & Socratis hiſtoria refutat. Deinde Epiſcopos illos & Irenæum cum Epiſcopis Galliæ, nullum *Victori* errorem fidei, ſed præcipitantiam duntaxat & ſeveritatis exceſſum exprobraſſe contendit. Ita Cap. III *Stephani* Epiſtolam tanquam a privato, ſeu inſtar decreti a ſuperiori ad Cyprianum miſſam conſiderat, quomodo nimirum circa baptiſmum hæreticorum quis ſe gerere debeat, qua tamen nihil circa ipſam baptiſmi validitatem decernatur. Ex duriori vero *Firmiliani* Aſiæ Epiſcopi ad Cypriani literas, quid Stephanus ſibi velit, exponentes, reſponſione, extremam affectuum intemperiem, & quod literarum Cypriani ſenſum aſſecutus non fuerit, eluceſcere. Unioni tamen Eccleſiæ Romanæ & Carthaginenſis eapropter nihil deceſſiſſe, ex Auguſtino contra Petilian. c. 13, quin Cyprianum Eccleſiam Romanam Catholicæ Eccleſiæ radicem & matricem agnoviſſe, ex Ep. ejus 45, & *perfidiam* h. e. errorem fidei contrarium ad Romanos acceſſum habere non poſſe, ex Ep. 55 ad Papam Cornelium evincere ſatagit. Cap. IV ratione *Liberii* Papæ Arianiſmo patrocinati, Maimburgius ſibi ipſi contradicens producitur, ex defenſione hujus ipſius Liberii in Hiſt. Arianiſmi A. 1673 edita L. 6. p. 333 ſeqq. quod iſte ſc. in Concilio *Sirmienſi* doctrinæ a Baſilio oblatæ, & excepta omiſſione vocabuli *Conſubſtantialis*, contra orthodoxiam nihil continenti, reſtitutionis ſuæ ſpe lactatus ſubſcripſerit quidem, poſtea vero ſiniſtra de ſe fama intellecta peculiarem formulam exhibuerit, qua omnes *conſubſtantialitatem* Filii DEI negantes excommunicati eſſent. Hilario parentheſes, literis Liberii ad orientales intertextas & quatuor anathemata in ipſum evibrantes, falſo tribui, cum formulam primam Sirmienſem a Liberio ſubſcriptam, ipſe approbaverit. Hieronymum, *Liberium* in *hæretica pravitate ſubſcripſiſſe*, aſſerentem falſo rumore deceptum eſſe, nunquam tamen aſſeruiſſe, quod tanquam Papa aut Caput Eccleſiæ id fecerit, pro quo tunc temporis

poris

poris non ipſe, ſed *Felix* habitus fuerit. Quæ de *Vigilio* Maimburgius denuo adducat, jam Cap. I ſe diluiſſe Auctor cenſet in Cap. V: totum quippe illud *trium Capitulorum* negotium neutiquam ad fidem, ſed ad factum, in quo tam Papa, quam Concilia errare poſſint, ſpectaſſe. Cap. VI. Quicquid etiam *Honorius* in Ep. ad *Sergium* de Monothelitarum opinione ſtatuerit, illud tanquam a privato, minime vero ut a capite Eccleſiæ, profectum accipi debere, adeoque ad infallibilitatem concutiendam perperam allegari, cum ibi nec ut doctor omnium fidelium, nec ex conſilio Conſiſtorii, nec præviis precibus publicis, nec per modum Bullæ aut conſtitutionis pronunciaverit. Eadem enim ratione & *Gregorium M.* erraſſe, quando Ætnæ flammas ignis infernalis effectus & *Cornuſtibii*, quod nomen una filiarum Jobi habuerit, ex *cornu* & *tibia* compoſitum ſtatuit. Se tacere, quod *Johannes* IV Honorii defenſionem ſuſceperit; mentem enim ejus fuiſſe, in Chriſto duas voluntates contrarias non dari, veluti ex collectionibus Anaſtaſii Bibliothecarii a Sirmondo A. 1620 editis appareat. Cap. VII allegatum a Maimburgio C. *Laudabilem.* Clem. III. niti partim autoritate Concilii Triburienſis, partim longe alium continere caſum; Chriſtianæ ſcilicet matrimonium cum Saraceno captivo, qui vero maritum uxoris inſidiis occidiſſet, ſubſecuta licet ejus converſione, nec contrahi, nec contractum ſubſiſtere poſſe; maritis vero in certamine citra uxorum inſidias interfectis, Saraceni matrimonium cum Chriſtiana ibidem approbari. Innocentii III revocationem itidem nullibi apparere. *Roberti Cortzonis*, (quem cum *Roberto Curſon*, cujus Dn. *de La Roche Poſay* Epiſcopus Pictavienſis in Nomenclatore Cardinalium meminit, eundem eſſe putat) MSS. ad quæ Maimburgius provocet, cum edita nondum ſint, examinanda prius fore, antequam de eorum autoritate probandi certi quid deſignetur. Quicquid demum ſit, decretalem Papæ cujusdam a ſucceſſore revocatam infallibilitati nihil præjudicare, quin in Concilio VI. Conſtantinopolitano, *Quiniſextum* appellato, connubium Catholici cum hæretica irritum pronunciari. Nobis vero dictum *C. Laudabilem X de Converſ. Infidelium* evolventibus, nec Clementis quidem, ſed Cœleſtini III nomen obvium factum eſt. Aliter ergo Capitulum, quod Maimburgius in mente habuit, incipiat neceſſe eſt. Nam in tribus iſtis capp. quæ a voce *Laudabilem* incipiunt (plura enim in Decretalibus non occurrunt) poteſtas uxori a marito in hæreſi perſiſtente

diver-

divertendi, aliique nubendi facultas a Clemente III. conceſſa hactenus non legitur. Cap. VIII. imputatus Innocentio III. ob permiſſam confeſſionis revelationem error ita elevatur, quod 1. Papa illam ipſam, de qua hic agitur, confeſſionem pro blaſphemia potius quam confeſſione habuerit. 2. nec Chriſtus, nec Apoſtoli circa hanc rem quicquam determinate conſtituerint, adeoque obligatio illa de non revelando non formaliter de jure divino, ſed ſaltem neceſſarium conſequens ſit poteſtatis ligandi & abſolvendi, ſine quo hæc difficulter exercenda foret. Nec 3. negari poſſit, etiam coram toto populo confeſſiones factas eſſe, teſte *Origene Hom. 2. in Pſ. 37.* idque ita usque ad *Leonis S.* ætatem obtinuiſſe, antequam ab eo mos iſte abrogaretur Ep. 8. ad Epiſcopos Campaniæ; quanquam hoc non obſtante, in *Portugallia* & *Gallia* ille ſatis diu adhuc retentus fuerit. *Potamium* quippe Epiſcopum *Bragenſem* enormiſſimi & ſecretiſſimi criminis confeſſionem coram Concilio X. Toletano feciſſe; & *Robertum* Epiſcopum Vindinenſem (Mans) in Gallia morti vicinum, confeſſionem ſcriptam in Concilio *Duſiacenſi* (*a Duzi*) publice recitandam transmiſiſſe; ita & *Guilielmum* Normannum Britanniæ Regem, ſub finem vitæ generalem omnium peccatorum confeſſionem, ſacerdotibus bene multis præſentibus edidiſſe; quam in rem diverſi Autores allegantur. Et ſic obligationem iſtam non revelandi ab uſu ſolum procedere, qui pro temporum varietate & ipſe variare, in fide vero propterea errari non poſſit, licet Innocentius in ſingulari iſto caſu revelationem approbaverit, in Concilio vero Lateranenſi ſententiam mutaverit. Hoc ipſum enim confirmare, ſecretum confeſſionis eſſe tantum rem diſciplinæ, quia non ſub pœnæ anathematis de eo pronunciatum fuerit. Ipſum Cæſarium a Maimburgio citatum, hunc Innocentii caſum diſerte excepiſſe; nec fieri potuiſſe, ut Innocentius pronunciatum ſuum in Concilio Lateranenſi revocaverit, cum hoc, ipſo Cæſario teſte, 7. menſes illud anteceſſerit. Cap. IX. docetur, falſum eſſe, quod in Bulla *Bonam Sanctam* Bonifacius VIII. ſupremam Pontificum in regna mundi in temporalibus poteſtatem, ceu articulum fidei ad ſalutem creditu neceſſarium propoſuerit; ſed ſolum doctrinam talem ibi ſupponi, cui primaria autoritatis in *Philippum Pulchrum* exercendæ ratio inniti debebat. *Clementem* vero V. in cap. *Meruit X. comm. de Privileg.* non tam revocaſſe, uti vult Maimburgius, Anteceſſoris Bullam, quam quod Regi præjudicare non debeat, modificate de-

claraſſe, & hoc ipſo autoritatem Papæ magis adſtrui. Sic *& Sixti V.* Bullam, qua Bibliis poſt Concilium Tridentinum Romæ impreſſis autoritatem addit, a Clemente VIII. reliquisque ſucceſſoribus ob defectus, quibus editio iſta laborabat, ſuppreſſam, contra infallibilitatem Pontificis nihil probare; probandum enim eſſe hujus impugnatori, dictam editionem Sixtinam, præter errores Grammaticales, tales complecti, qui in ipſam fidem impingant. Cap. X. traditur, opinionem ſuam particularem, de animabus ante reſurrectionem a viſione Dei excluſis, *Johannem XXII* in Conſtitutione ſua condemnaſſe, veluti Wadingius ex veteri MSC. in Annalibus Frar. Minor. referat. Provocat Autor ad ipſius Maimburgii apologiam pro Pontifice iſto, in libro de *Declinatione Imperii* interpoſitam. Miratur ulterius, quod *Adrianum VI.* in partes vocaverit, ac ſi tradiderit, Johannem XXII. publice ita docuiſſe, cum ſolum de fama teſtetur in verbis: *de Johanne XXII. noviſſime fertur &c:* Jam Cap. XI. & ſqq. quæſtionem tractat, *an Papa Concilio ſuperior vel inferior ſit*, eamque plane inutilem eſſe ſtatuit. Aut enim definitionem Concilii generalis & legitimi articulum *fidei*, aut punctum *diſciplinæ* ſpectare. Si *prius*, impoſſibile eſſe, ut Papa contrarium quid ſtatuat iis, quæ ejusmodi Concilium, quoad credenda ab omnibus pro infallibili habitum, ſanciat. Nec dari exemplum, ubi vel Papa definitionem, quæ fidem tetigit, Concilio contrariam promulgaverit; aut Concilium talem ſanciverit, quæ definitioni Papæ legitimi & pro viſibili capite Eccleſiæ agniti contrarietur. Si *poſterius*, parum referre, num Papa vel Concilium infallibilitate polleat, quoad Decreta, mutatu vel reformatu facilia; diſciplinam enim mutationibus, quas fides neſciat, expoſitam eſſe. Itaque pro re nata Papam circa res diſciplinæ aliter quam Concilium, & vice verſa, ſtatuere poſſe; utrumque tamen ſecundum juſtitiam agere præſumi. Comparationem autem inter Concilium & Parlamentum, & porro inter Pontificem & Curiam forenſem territorii Pariſienſis (Châtelet) inſtitutam peſſime huc quadrare, nec ſine indignatione cujusvis boni Chriſtiani legi poſſe. Nec brachium *Franciſci Xaverii* Goa Romam miſſum, & quidem permittente Pontifice, (cum tamen Gregorius Imperatrici Conſtantinæ caput vel partem corporis Pauli denegaverit, ſacrilegam temeritatem appellans SS. corpora tangere) contra infallibilitatem vel ſuperioritatem ejus, quicquam inferre. Morem enim tangendi illa corpora tunc pro illicito

ha-

habitum, poſterioribus temporibus approbatum eſſe, uti ex *Caroli Stengelii Bened. Ord.* libro, Ingolſtadii A. 1624. edito, oppido liqueat. Sic & ariditatem dicti brachii, & repentina eorum, qui illud tetigerunt, fata, fruſtra exaggerari. Ita enim etiam ſcripti, contra N. T. a Doctore Sorbonico A. 1667. Gallice translatum editi, auctorem Malletum, impreſſorem, & adprobatorem uno eodemque anno obiiſſe, imo & ipſum, qui contra illud ſermocinatus fuerat, Maimburgium. Cap. XII. oſtenditur, Piſani, Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum Decreta eos Pontifices tenere, qui tempore ſchiſmatis Papatum prætendant, non vero de quovis Papa, niſi obedientiam decretis Conciliorum præſtiterit, puniendo, nec de futuris ſed præteritis Conciliis loqui, quæ omnia Maimburgius Latino textu inſuper habito, non attenderit. Eandem etiam Gerſonis loco ab eo citato ſententiam eſſe. Cap. XIII. debiles eſſe Maimburgii reſponſiones MSSto Schelſtrateni, quoad verba decreti IV. Seſſ. Concil. Conſtant. *ad reformationem generalem Eccleſiæ in capite & membris*, quæ hic ibi abeſſe ſcripſerat, oppoſitas. Licet enim evenire poſſit, ut quæ in unô MSC. deficiant, in alio reperiantur, veluti ex operibus Auguſtini, quorum editiones Patres Benedictini adornatum eunt, pateat; illud tamen quoad aliqua verba ſolum & differentes lectiones concedi poſſe, integras vero lineas, quæ novitates comprehendant, nec in antiquioribus MSS. occurrant, pro recenter additis habendas eſſe. Patres quoque Benedictinos poteſtatem integras lineas materiasque novas & ſingulares inſerendi, haud temere ſibi tributuros, in paucorum verborum vel literarum correctione ſubſiſtentes. Excerpta Gallicorum Ablegatorum ex ſeſſionibus Concilii Conſtantienſis, ex coruptis exemplis deſumta eſſe poſſe; hinc prius antiquitatem eorum probandam eſſe, ſi ſuppoſitionis ſuſpicionem declinare debeant. Ex *Petri de Alliaco* Operibus nullum in ſpecie allegatum fuiſſe a Maimburgio; Gerſonem vero, ſi evolvatur, locis citatis de IV. ſeſſione plane non loqui, ſed de V. Nec ex præfatione Decreti ſeſſ. IV. in qua, etiam in MSC. Schelſtrateni, verba: *ad reformationem*, habeantur, valide quid probari poſſe; quæri enim de ipſo decreto, in quo non compareant, ideoque ex præfatione tollenda eſſe. Cap. XIV. cum Maimburgius Collegii Cardinalitii triumque nationum, Italicæ, Hiſpanicæ & Gallicæ proteſtationem, contra ſeſſ. V. actitatam, antequam inciperet, interpoſitam, & a Schelſtrateno objectam, ideo inutilem eſſe aſſeruiſſet, quia Concilium nihilomi-

nus continuatum fuerit, Decretumque ideoque V. ſesſionis ejusdem cum aliis vigoris eſſe; injuſte hoc fieri Autor obtendit, cum proteſtationem a majori & ſaniori Concilii parte factam, proteſtantium utique jus ſalvum conſervaſſe, per vulgata notum ipſi eſſe debuerit. In concluſione tandem opuſculi, perverſi, quem Bullæ Martini V. circa appellationem a Sede Apoſtolica & Papa prohibitam, affingat, ſenſus, & ſtolidæ ad ſingulos Epiſcopos reſtrictionis inſimulatur Maimburgius. Ipſum Gerſonem de ſimili explicatione non cogitaſſe, quin in tractatu, *an liceat in cauſis fidei a ſummo Pontifice appellare*, contrarium ſtatuiſſe. Ratiocinium, *totum* ſcilicet *majus eſſe ſua parte*, ad Concilii ſuperioritatem applicatum, per inſtantiam infringitur; hac nempe ratione, Statuum quoque conventus Regibus ſuperiores futuros. Contra ſicut a Statibus Regi nihil præſcribatur, licet moderationem ſumtuum urgeant; ita nec Concilium Conſtantienſe, ſtatuendo reformationem Eccleſiæ in Capite & membris, Papæ quidquam præſcribendum putaſſe.

AN HISTORICAL RELATION OF THE ISLAND CEYLON.
ſive
Relatio Hiſtorica de Inſula Ceylon, autore Rob. Knox. Londini, apud Rich. Chisvvell. 1681. in fol.

HAud immerito antehac doluimus, librum hunc egregium lectuque dignisſimum juſto ſerius, & poſt perditam bona ex parte novitatis gratiam, demum ad noſtras oras delatum fuiſſe, adeoque Actis, quæ publicamus, Eruditorum hactenus, dum recentisſimorum quorumque ſcriptorum maxime cura nos tenuit, commode inſeri non potuiſſe. At poſtquam animum ſubiit, libros talismodi, qui aut eandem ob cauſam, aut propter alia impedimenta a nobis omisſi, intra temporis tamen ab occœpto hoc noſtro labore elapſi curriculum editi fuere, poſtliminio quaſi in medium producere, & ſeparato volumine comprehenſos in Supplementi vicem orbi literario communicare; mox inter primos ſe nobis obtulit is, cujus modo titulum exhibuimus, non paginarum quidem mole, at rerum copia ſane locupletisſimus, cujus adeo potiora contenta, quam brevisſime fieri poterit, in compendium redacta recenſebimus. Autorem habet Robertum Knox, virum a juventute ſua in navigationibus Indicis verſatum, quique ſpeciatim in inſula, quam hic de-

deſcribit, integrum fere vicennium captivus exegit; commoditatem ita nactus, ſtatum & mores iſtius terræ exactius & ad minima usque perноſcendi; quam etiam cognitionem unicum eſſe fructum diutinæ iſtius ſuæ ac tædioſæ detentionis aſſerit, cum nil quicquam præterea inde reportare ipſi licuerit. Hujus vero copiam ut publico facere haud gravaretur, inſtigatus imprimis fuit a celeberrimo *Hookio*, qui & ipſe in præfatione, quam adjunxit, relationem hanc a ſe reviſam multis nominibus commendare non dubitavit, promittens ibi repertum iri, quod diverſarum profeſſionum hominibus, politicis puta, theologis, medicis, jurisperitis, mercatoribus, opificibus, œconomis denique proficuum eſſe valeat: tantoque majorem Autori fidem accommodandam putat, quod ab omni jactantia alienus ſit, linguam quoque Ceilanicam perinde ac vernaculam calleat, nihil inſuper hic literis conſignaverit, quod non ipſe aut ſuis viderit oculis, aut certe ab indigenis iſtius inſulæ acceperit, tanquam pervulgatum & communi ore pro certo agnitum. Cæterum de iis potiſſimum agere intendit Autor, quæ Europæis hactenus maximam partem manſere incognita, puta quid in mediterraneis inſulæ locis agatur; iſtuc enim pauciſſimis aditum patere, indeque factum ait, ut ipſæ etiam chartæ Geographicæ quoad hæc imperfectæ hactenus manſerint, ad quem defectum ſupplendum ipſe novam communicat mappam Ceilanenſem, ex propria itinerum ibi factorum experientia concinnatam. Litorales vero tractus inſulæ quod attinet, qui nunc omnes Hollandorum parent dominio, paucioribus eosdem ideo tetigit, quod ſufficiens ipſorum notitia jam ex aliorum experientia & itinerariis habeatur. Univerſum opus in *quatuor* ſectiones diſpeſcuit: in *prima* tractat de ipſa regione ejusque proventu; in *ſecunda* de Rege & regimine politico; in *tertia* de inhabitantium indole, religione & moribus agit; in *quarta* denique ſui ipſius hiſtoriam, captivitatem nempe, fata ibi habita, ac evaſionem tandem perſequitur.

Ac naturalem quidem regionis ſtatum quod concernit, apparet eam quidem fertilem ſatis eſſe, at multis in locis incultam & montibus ſylvisque horridam, ipſo etiam rege non invito, utpote qui terras ſuas impeditas & invias mavult, quam itineribus commodas, ut adeo regni ejus robur in difficultate acceſſus magis ſitum ſit, quam in valore militum aut caſtellis arte munitis. Hinc ſylvarum, quibus provinciæ pleræque inter ſe disjunguntur, tranſitus frequentibus portis verſatilibus

& ſpinarum genere quodam undiquaque obtectis interſecantur, quibus ſingulis excubiæ regiæ adſtant, inermes quidem, at ſolo Regis nomine prolato viatorem, literis commeatus non inſtructum, pro lubitu ſiſtentes: cum mandatum talismodi ob pœnæ gravitatem nemo facile violare audeat. Præcipuum inſulæ flumen memoratur *Mavelagonga*, e celebri monte *Pico de Adam* Europæis, *Hamalell* incolis dicto originem ducens: montem iſtum quoad figuram cum pane ſacchari Autor comparat, cujus in vertice ſitus lapis pedis humani bipedale fere veſtigium exhibet, quod inſulani quotannis peregrinationibus religioſis menſe Martio, cum novum annum inchoant, (die nempe 27. 28. vel 29. quem hoc aut illo anno fauſtiorem aſtrologi ex his pronunciarint) inviſere ſueverunt. Urbes præ cæteris eminentes quinque perhibentur, puta *Candi*, regia quondam metropolis, *Nellemby - Neur* nunc Regis ſedis, *Allout-neur*, *Badoula*, & *Digligy-neur*, quas tamen & ipſas parum ſplendoris oſtendere, & maxima ex parte ruinis deformari autor teſtatur. Narrat porro plagam inſulæ orientalem ab occidentali tantopere differre, ut earum quælibet tempeſtates anni contrarias alteri per vices experiatur, & hinc quidem meſſis, inde arandi tempus ſit, eodem licet menſe, prout nempe aut Eurus ſpiret aut Zephyrus, quos ipſos ventos iis in tractibus fere ſpatiis ſemeſtribus alternare conſtat: cæterum in montanis locis pluvias multo frequentiores cadere, quam quidem in depreſſioribus, ubi aliquando 5. aut 6. annorum ſiccitatem ſemet expertum ſcribit, in tantum ut nec arare licuerit, nec ſerere. Animalibus varii generis inſula referta eſt, at leonibus, lupis, equis, aſinis & ovibus, Noſtro teſte, deſtituitur; econtra ſpecies fovet his in regionibus minime obvias. Sic datur ibi fera, quam *Meminna* vocant, cervum exacte referens, at leporis ſolum magnitudine; dantur ſimiæ variarum formarum, e quibus & nonnullæ rariores depinguntur, quarum carnes pro grato cibo ibidem habentur; quemadmodum & apes & formicæ illic inter edulia delicata numerari ſolent, quarum ſingularum diverſæ nec alibi facile occurrentes ſpecies ſigillatim deſcribuntur. Serpentis quoque genus memoratur, nomine *Pimberah*, tantæ magnitudinis, ut viri medii craſſitiem adæquet, & cum cervis maxime inſidiari ſoleat, hinnulos quandoque integros deglutiat, ſic ut horum acuta cornua dein ventrem ipſi perforantia mortem afferant; alius porro ſerpens, *Carowala* dictus, in domibus fere habitans & veneno acerrimo præditus, qui tamen felibus

pas-

paſſim in prædam & eſcam cedat; itemque alius *Noya*, eam habens indolem, ut media ſe parte erigat, & caput ſic elatum per bihorium vel trihorium continuum circumportet, præterea ſpeciem præbeat, ac ſi ante oculos par conſpicillorum geſtet. Nec ſilentio præterire licet araneum *Democulo*, tam craſſo corpore pollentem, ut pugnum hominis magnitudine referat; ut & alia duo animalia, crocodilis (quorum pariter ibi copia eſt,) quoad figuram non abſimilia, licet minora, nempe *Kobberaguion* & *Tollaguion*, cujus poſterioris carnem eſui aptam Celanenſes pro omnium optima reputant, eo quod experientia conſtet, hanc nunquam per vomitum rejici, utut aliorum animalium carnes ſimul cum illa ingeſtæ, evomantur. Pavonum quoque ingens copia eſt, quos tempore pluvio, cum pennæ madefactæ & volatui ineptæ ſunt, canibus captare ſueverunt. Elephantes porro numeroſos inſula progignit, de quorum natura varia traduntur ab Autore noſtro; v. g. quod pauci ex elephantibus, & ii quidem ſolum maſculi, dentes ſeu ebur habeant; quod fœmellæ catulos promiſcue, etiam alienos lactent; quod uno ſaltem anno gerant uterum; quod manſuetis dentes abſcindi ſoleant ad hoc, ut eo melius recreſcant; quod certis anni temporibus furore quodam corripiantur, cujus præſagium eſſe ſoleat materia oleo ſimilis, ex eorum maxillis profluens: hunc tamen morbum ſponte rurſus ceſſare ait, nec adhiberi medicinam, niſi quod interim valide ligentur, ne nocere posſint. Inſecta iſtis in locis obſervata quod attinet, præter ea quæ ex ſupra dictis huc referri queunt, memorat Autor quoddam araneæ genus, pullos jam viventes in ſacco ſub ventre pendulo circumferentis, qui ipſi tamen, ex quo paululum grandeſcant, matrem abſumant ac devorent: item lacertam quandam, aut animal certe huic inſecto non abſimile, cui vim futura varia præſagiendi tribuant inſulani, & ex ejus clamore diverſa pro negotiis ſuis omina captent: ne de hirudinibus dicamus, quæ tanta in copia ibi deprehendi feruntur, ut iter facientibus, quippe qui ex more regionis nudipedes fere incedunt, continuo cum illis confligendum ſit, ac ne ſic quidem absque multa pedum crurumque cruentatione evadere detur. Inter vegetabilia dubio procul primas tenet arbor cinnamomum ferens, utpote quæ tantum non unice in hac inſula provenit: dicitur ea vernaculo nomine *Corunda gaubab*, ac tam frequens ibi terrarum eſſe fertur, ac in Anglia coryli: cinnamomum vero nil aliud eſſe, ac ejus corticem, qui dum adhuc arbori

co-

cohæreat,albo ſit colore: lignum ipſum ſine odore & molle, abiegno haud abſimile; folia tenera coloris pulchre ſcarlatini, adulta lauri foliis ſimilia, (niſi quod in his una modo vena craſſior per folii longitudinem currat, in cinnamomi foliis tres;) conquaſſata caryophyllorum odorem ſpirare: fructus arboris cum glandibus fere convenire,ac in ſe quidem & odore & ſapore tantum non carere, coctos tamen in aqua materiam præbere ſebo æmulam,albam ac valde ſuaveolentem. Pluribus etiam deſcribitur arbor *Tallipot*, foliorum imprimis magnitudine celebris,utpote quæ tam lata feruntur, ut unum eorum bene 15. vel 20. homines ſimul a pluvia protegere valeat; unde cum lenta ſint & plicabilia, ut corium fere, frequentiſſime pro tectis & umbraculis portatilibus adhibentur,complicata in formam ſimilem ei, quam flabella, quibus mulierculæ æſtivo tempore frequenter utuntur, habere ſolent; eadem inſuper folia ad ſcriptionis uſum adhibentur, & chartæ loco inſerviunt. Fructus arbor hæc non fert, niſi ultimo vitæ ſuæ anno, nec ad aliud quam ſationem utiles,ceraſis fere ſimiles, quos præcedunt flores lutei,aſpectu non injucundi, at odore perquam graveolenti: cæterum arbor intus nil fere niſi medullam habet, quæ in pollinem redacta cibum præbet a ſimilæ ſapore non multum abludentem. Ex aliis, quæ recenſentur, plantis porro commemoramus hanc, cui nomen *Orula*, quæ baccas fert rubigini a ferro detergendæ aptas, ſi iſtæ in aqua macerentur contuſæ, & huic dein per unicam noctem ferrum immergatur: item radices eſculentas,quas *Alloes* vocant, in tantam molem intra anni aut biennii ſpatium excreſcentes, ut viri craſſitiem adæquent. Mentionem inſuper facit plantæ,cujus tamen nomen reticet, quæ tanta celeritate oſſa fracta reſtituat,ut eadem bihorio, poſtquam parti læſæ impoſita eſt,rurſus conſolidentur. Nec minus curioſum eſt, quod de flore *Sindric-mal* narrat,eum quotidie circa horam quartam pomeridianam ſemet expandere,& ita per totam noctem durare, mane vero rurſus ſeſe claudere,donec hora prædicta redeat, idque adeo exacte, ut tempore nubilo horologii vice a nonnullis conſuli ſoleat. Ebeni etiam ferax inſula eſt,in magna quandoque mole,& quæ ingentibus trabibus fabricandis ſufficere poſſit; ferri præterea, cryſtalli, ut & aliarum gemmarum, ſaphirorum puta, rubinorum, oculorum cati, aliarumve, ſed quas nemini, præter regem, quærendi jus eſt, pœna diræ necis in contravenientes ſtatuta. Maximus omnium proventus oryzæ eſt, ut

quæ

quæ communiſſimum inſulanis victum præbet, adeo ut ſatis plerumque eum habere exiſtiment, qui ſale & oryza ad ſufficientiam inſtructus ſit. Culturam hujus pluribus percenſet noſter, memorans frumentum hoc, antequam ſeratur, prius aqua bis macerari, & deinde in cumulos congeſtum foliis operiri, ut ita radices & germina protrudere incipiat; hinc terræ mandari, operoſe levigatæ & irrigatæ, cui, cum ſemen ad altitudinem trium quatuorve digitorum propullularit, aquæ ſtercorationis vices ſupplens immittatur, ibique ad tempus uſque meſſis ſtagnans relinquatur: oryzam enim ſine tali inundatione nequaquam creſcere, indeque cum diverſæ ejus ſpecies dentur, quarum aliæ 7, aliæ 6, aliæ 5, 4, 3. menſibus matureſcant, (quas inter tardiſſima quæque maximæ fertilitatis eſt,) quemlibet pro ſitu fundi ſui talem eligere debere ſpeciem, quæ intra ſpatium, quo ibi aquæ copia ſuppetat, ad perfectionem pertingat; unicam nihilominus oryzæ ſpeciem dari, licet non adeo bonam, quæ ſine tali irrigatione proveniat. Frumentum tandem meſſe veniente collectum ope boum trituratur, quem modum Autor valde proficuum autumat, cum ita intra diei lapſum 6 circiter pecorum auxilio 40 vel 50 granorum modii excuti queant.

Sed charta monet, ut ad alteram Relationis partem, quæ de Rege & regimine agit, pedem nunc proferamus: ubi repetendum, quod initio diximus, hic maxime de mediterraneis Ceilani locis, adeoque Regno *Conde-Uda*, in quo delineando Noſter imprimis occupatus eſt, ſermonem eſſe. Regnum vero, ejus commorationis tempore, ibi tenuit Rex *Radga-Singa* (quod nomen *regem leonum* ſonat) non directe quidem ex regio ſanguine deſcendens, attamen ex prioris regis vidua Catharina, eaque Chriſtiana a Portugallis quondam baptizata, genitus a ſupremo ſacerdote, quem *Tirinanx* ipſi vocant. Hic cum filii e rege demortuo ſuperſtites minorennes eſſent, interim regnum adminiſtravit, & cum adulti forent, id egit, ut regnum inter ipſos & hunc ſuum filium ſorte divideretur, ſic tamen, ut huic optima portio cederet, qui poſtea quoque, fratribus in diſcordias dilapſis, totum tandem regnum ſolus tenuit. Uxorem duxit Malabaricam, ſed cui noviſſime intra 20. annorum ſpatium non cohabitavit, ac ne vidit eam quidem tanto tempore: & quamvis formoſiſſimæ quælibet fœminæ, tam virgines, quam maritatæ, undique cogantur ad inſtruendam regiam culinam, & fama ſit, has ſimul concubinarum officio defungi; Autor nihilominus id

in dubium vocat, cum rex communi teſtimonio tam caſtus & ab omni re venerea abhorrens perhibeatur, ut ne quidem in miniſtris ſuis legitimarum uxorum uſum toleret, quamdiu in ejus ſervitio verſentur: adulterium vero omnemque ſcortationem in nobilibus ſuis æque graviter ac rebellionem coërceat. Hoc tamen non obſtante, antehac ex propria filia infantem genuit, ſed qui una cum matre puerpera deceſſit: regibus enim talis inceſtus ibi locorum non creditur interdictus, quin potius hoc pacto prolem vere regiam gigni perſuaſum habent. Reliquum ejus characterem quod attinet, bona forma & egregia ſtatura eſſe perhibetur, jam quidem valde ſenex, at nondum viribus defectus, habitu plerumque inſolito, quemque ad phantaſiam novum ſibi ſubinde excogitet, conſpicuus; ſobrius admodum, ac ſemel modo in die, nec fere niſi herbis & fructibus veſci ſolitus; ſuſpicax valde, unde commercia epiſtolarum nec in ſuis, nec in peregrinis quidem in aula verſantibus tolerat, ſed graviſſimis aliquando ſuppliciis coercet; zelo præterea, diſſimulatione, crudelitate vere tyrannum agens, ut pote qui non in captivos ſolum miſeris modis ac tormentis ſævis, quos ſæpe per elephantes, carnificum vicem obeuntes, membratim diſcerpi facit; ſed & in miniſtros & ſatellites ſuos, qui quotidie in periculo cruentæ necis verſantur, dum eos plerumque, absque omni etiam cauſa obtruncat, & caput abſciſſum ventri eorum inſui curat: cujus exemplum recentiſſime dederunt duo juvenes in ſervitio ejus verſantes, ideo interfecti, quod regem in ſtagno lavantem, & ad tentandam ſuorum fidelitatem ſuffocationis periculum ſimulantem, brachiis arreptum protraxiſſent, & non potius majori utentes reverentia corpora ſua ipſi ſupponentes ita ex aquis eum elevaſſent. Filium quoque proprium veneno ſuſtulit, ob populi in eum propenſionem. Duriſſimis inſuper tributis & exactionibus ſubditos vexat, iisque bona, quandocunque lubet, ad proprios uſus eripit; unde ejus miniſtris jus eſt, quemcunque fundum, in quo flores fructusve, quibus rex delectatur, creſcunt, obſepiendi indeque proprietarium pro lubitu & ad quodlibet tempus excludendi: id quod ſubditos pleroſque adeo ſegnes reddit, ut non niſi de quotidiano victu & amictu ſoliciti ſint, nec quicquam ulterius acquirere ſatagant, dum quotidianis id ſervorum regiorum rapinis expoſitum norunt. Hæc & ſimilia gravamina ingenti non ita pridem rebellioni anſam dederunt, quæ contigit anno 1664, cujus Autor ipſe oculatus teſtis pleraſque circumſtantias recenſu-

cenſuit: ubi rex, quo e medio ſublato rebelles filium in thronum evehere voluerant, ex arce quidem ſua metu multitudinis profugere coactus, aſt paulo poſt tumultum ſponte ſedatum expertus eſt. Cum enim filius throno deſtinatus, tanquam puer, meticuloſum ſemet tantis rebus capeſſendis oſtendiſſet, ſubditi affectu mox ad antiquum regem relapſi, mutuis ſemet invicem ſuppliciis ſuſtulere, donec rex plene reſtitutus eſſet. Narrat noſter, fulſiſſe iſto anno cometam, qui, cum caudam prius Occidentem verſus direxiſſet, eadem illa nocte, qua rebellio eruperit, eandem in plagam contrariam Orientem verſus converſam oſtendiſſet: idque ſe certo certius ipſum vidiſſe aſſerit; quemadmodum & cometam alium anno 1666 ibidem apparuiſſe ſcribit, caput quidem ſub horizonte condentem, at cæteroquin ei fere ſimilem, qui anno 1680 in Anglia obſervatus fuerit. De cætero maximam & deſpoticam omnino regum iſtius inſulæ poteſtatem eſſe, ex pluribus, quæ percenſentur, abunde liquet; v. g. quod ipſi ſummi magnates noctu ante regis palatium excubias agere teneantur; quod nullæ quidem iſtic leges habeantur, at ſolius regis verbum abſque ulla exceptione pro lege irrefragabili æſtimetur, unde & nemo officialium, ſed ſolus rex reos ad necem damnandi jus habeat; quod tantam ei reverentiam ſubditi exhibere cogantur, ut non ipſi modo, ſed rebus etiam ad eum ſpectantibus, ipſiſque linteis immundis ad lavandum miſſis obviam facti, honoris ergo ex via a longinquo cedere teneantur, quam primum album pannum, quo tales res hunc in finem teguntur, conſpiciant: ii præterea, qui regi cœnanti miniſtrant, ſtrophiolo os obturare jubentur, ne halitu forte ſuo ipſius fercula tangant; ſicut & in ejus præſentia ſternutare, tuſſire aut exſcreare piaculum habetur. Legatos porro ad ſe miſſos dure ut plurimum tractat, ac pleroſque levibus ex cauſis aliquandiu captivos detinet, cujus rei diverſa exempla recenſentur. Rex hic cum Portugallis antehac cruenta geſſit bella, ab iiſque aliquando eo redactus fuit, ut tres elephantes annuos tributi loco ipſis penderet; at cum ne hoc quidem contenti eſſe vellent, hic vocatis in auxilium Hollandis, tota tandem inſula Portugallos expulit, Hollandis ea occupantibus & hodienum retinentibus, quæ iſti prius tenuerant. Plurimos tamen e Portugallis poſtea rex invitavit, ut in ſuis ditionibus habitarent, ex ſingulari propenſione, quam erga homines candida cute g rit, quique multis hinc privilegiis in ejus aula fruuntur; unde factum, ut lingua Luſitanica illis in terris admodum frequentetur,

 quam

quam & ipſe Rex callere exacte dicitur. In Hollandos vice verſa implacabile odium concepiſſe fertur, ex eo, quod pacta in occupatione civitatis Columbo cum ipſo inita non ſervarint; quapropter ipſis ubicunque damna inferre ſtudet, tametſi hi eum donis legatisque miſſis ſubinde demulcere ſatagant.

A rege nunc ad ſubditos progrediendum eſt, qui vernaculo idiomate *Chingulays* vocantur. Quamvis enim, præter Hollandos, etiam Malabarenſes partem inſulæ poſſideant; hi tamen proprio gaudent Principe, nec a Rege Candi dependente, nec a Batavis, niſi quod his longa bellorum vi compulſus certum elephantorum numerum tributi nomine ſolvat. Dantur præterea ſylvarum quidam incolæ, ſeorſim degentes ac feri homines, *Vaddahs* dicti, qui in luſtris ferarum more deliteſcentes ex herbis & venatu victitant, nec Regis fere ſuperioritatem agnoſcunt aut ipſi parent, niſi quod nonnunquam recognitionis loco aliquid eboris, mellis aut carnis cervinæ induratæ ejus miniſtris pendere cogantur. Ipſos *Chingulaſios*, potioresque adeo inſulæ habitatores quod attinet, prædicantur eſſe natura ad civilitatem proni, ingenioſi, agiles, eloquentes, ad ipſos usque ruſticos, furti oſores acerrimi; at e diverſo fraudibus mendaciisque valde dediti & ſuperſtitioſi. Idololatriam quidem ſectantur, ita tamen, ut unum reliquis omnibus ſuperiorem Deum credant, creatorem cœli ac terræ, cujus voluntatem ſaltem a reliquis minoribus numinibus his in terris perfici ajunt: ſecundarios vero hosce deos ſtatuunt eſſe animas bonorum quorundam virorum, uti dæmones, quos itidem religioſe colunt, malorum. Solem Lunamque etiam inter deos habent, ſtellas tamen non adorant. Idolis ſuis, quæ non eſſe, ſed repræſentare ſolum numina volunt, templa pro diverſis eorum gradibus diverſa ædificant, quorum ingreſſu mulieres menſtruas arcent. Diem Mercurii & Saturni ſpeciatim cultui dicatos habent. Sacerdotes magno honore afficiunt, iisque permittunt ſellam, cui inſident, albo linteo inſternere, quod alias ſoli regi reſervatum eſt: vinum tamen bibere, uxores ducere, ac bis in die cibum capere prohibentur. Reſurrectionem credunt & animarum immortalitatem, bonosque homines in divos: malos in beſtias transformari in altera vita exiſtimant. Roſariis in precibus utuntur; at in toto ſuo cultu irreligioſum deorum contemtum undique produnt: ad Chriſtianiſmum tamen amplectendum ſatis propenſi feruntur. A diabolo, quem *Jacco* nominant, valde ſibi metu-

metuunt, imprimis moribundi, quo tempore ad eum maxime preces dirigunt: nec rari inter eos dantur corporaliter a Dæmone obſeſſi, qui & ipſe alias ſæpius nocturno tempore horridos & ſtridulos clamores edit; qualem vocem diabolo communiter attributam Autor ipſe aliquoties ſe percepiſſe auribus teſtatur, ajuntque eam ut plurimum præſagam eſſe ſuppliciorum a rege tyranno ſervis ſuis imminentium. Incantationes quoque inter inſulanos frequentes ſunt, carminibusque non morbos ſuos modo, ſed & tigrides aliasque feras beſtias abigere norunt: f tentur tamen, ſerpentis genus, quod *Polonga* vocatur, magia ſua ſuperius eſſe, uti nec variolorum morbum hoc modo curare queunt, unde in eo manifeſte Dei digitum agnoſcunt. Speciatim Autor commemorat, quibus ceremoniis incantare ſoleant nucem Betel, ut ejus ductum dein ſecuti furem indagent. Pluribus etiam percenſet, quomodo populus in varios ordines gradusque exiſtimationis diverſos diſtinctus ſit, e quibus ſuperiores nunquam cum inferioribus cibum capiunt. Diſcrimina vero iſta maximam partem conſiſtunt in permiſſa vel interdict geſtatione thoracis, longitudine veſtium, terminatione nominum, (ubi eorum, qui in claſſe ſuperiore ſunt nomina fere in *oppow*, inferiorum in *adgah*, deſinunt,) ſeſſione in ſellis vel ſtragulis, forma pilei & ſimilibus. Omnium ſtrictiſſime vero in nubendo gradus iſti obſervantur: ac durius morte ſupplicium reputatur, ſi fœmina ex nobiliore claſſe oriunda uni ex infimis nuptui collocetur; unde taliter condemnatis plerumque ex gratia mortis optio conceditur. Omnium vero viliſſimi reputantur mendici, imprimis qui publica autoritate in pœnam tales facti ſunt; hi ob ſummum deſpectum extra legum coërcitionem eſſe reputantur, unde & inceſtus inter ipſos, in linea etiam deſcendente commiſſus non punitur. Ritus nuptiales in populo hoc conſiſtunt in comeſtione neonymphorum ex eadem patina, colligatione pollicum & aquæ infuſione in caput utriusque. At fidem conjugalem non magni curant: nam non modo conjuges libere ſemet rurſus relinquunt, quo caſu vir filios, uxor natas ſibi retinet, ſed & frequentiſſimis adulteriis thorum violant: quinimo nec mœcham viri reputant conjugem, quæ cum viris ſe dignioribus rem habet, & pro hoſpitalitatis ſpecie æſtimant, advenis uxores commodare. Ac tametſi monogamia inter eos vigeat, ſæpius tamen duo viri, fratres maxime, una uxore ſunt contenti, & filii inde prognati utrumque vocitant patrem. Infanticidia

porro promiſcue & nulla lege vetante fieri perhibentur, prætextu maligni planetæ, ſub quo infans natus feratur ab Aſtrologo; (quod munus ibi regulariter textores exercent:) vanam tamen eam excuſationem eſſe, vel inde apparet, quod primogenitis ut plurimum parcitur, non obſtante aſtrologi effato ſiniſtro. Mortuos ſuos viliores quidem terræ mandant, ſplendidiores vero metu vermium comburunt vel nudos, vel in alveum ligneum pipere plenum prius reconditos: ſi quis tamen ex variolorum morbo decedat, inter ſpinas ſepelitur, cujuscunque tandem conditionis fuerit. E reliquis hujus gentis moribus ab Autore recenſitis, breviter notamus ſequentes: quod opificia hæreditaria ſint & per generationes continuentur; quod luctus ſignum ſit, veſtes luto conſpurcatas gerere; quod ædes ſuas calce dealbare, duasve contignationes in iis habere, capitale fere ſit, & regi ſoli reſervatum, cui & ipſi ſoli licet ſella cum fulcro dorſali uti, & capras alere; quod bibentes os vaſi non admoveant, ſed eminus e tubulo urcei potum ori infundant; quod pro injuria habeatur, aquam ad lavandas manus alteri miniſtrare; quod ab ebrietate abhorreant, ac ſpeciatim Tabaci uſum pro vitio haud levi reputent; quod nigros dentes candidis præferant, & ad illos obtinendos continuo folia Betel cum calce mixta maſticare ſoleant; quod fœminæ etiam honoratiori nefas ſit, in præſentia viri cujuscunque etiam inferioris ſellæ inſidere; quod mulierum bona a publicis exactionibus ſint immunia; imo quod nec de mercibus, quas jumentum ſexus fœminini, v. g. vacca portat, vectigal exigatur. Jura ipſorum quod concernit, ſcriptis quidem legibus deſtituuntur, at nihilominus conſuetudines aliquas habent, quibus utuntur: ſic, v. g. in controverſiis abſtruſioribus utraque pars digitis duobus in oleo bulliente, & aqua, cui ſtercus vaccinum admixtum eſt, fervida immerſis, jurat ſuper jure ſuo per quatuor genera deorum; ubi is vincit, qui digitos non læſos inde retrahit. Sic nefas eſt, arbores *Cocos* cædere; ſic fur deprehenſus aut ſeptuplum ſolvit, aut ſervus fit; ſic ex famis neceſſitate, ſeipſum aut liberos vendere aut oppignorare valide licet; ſic frumentum mutuo datum, ſi intra biennium non reſtituatur, poſtea in duplo reddendum; at de pecunia uſuræ mox poſt annum ſunt duplum, neutro tamen caſu dein uſuræ ulterius per temporis lapſum creſcunt. Linguæ porro Ceilanicæ fundamenta quædam a noſtro annotantur, de cujus abundantia & luxurie vel exinde judicare licet, quod 7 aut 8 voces habent, quibus pronomen

Tu

Tu aut *Vos* exprimant, pro diverſa dignitate ejus, ad quem loquuntur.

Supereſt, ut hiſtoriam & fata Autoris paucis adhuc tangamus. Is vix adoleſcentiam egreſſus, a patre ſuo, Capitaneo navis penes Societatem Indicam Orientalem, quæ in Anglia eſt, peregrinationibus Indicis adhibitus fuit, & cum ipſo anno 1657. eas ad oras navigavit; unde cum elapſo biennio reditum pararent, vi tempeſtatis in Ceilanenſem portum *Cotiar* appellere coacti ſunt, ubi per aliquot dies commorantes, ne tempus perderent, pannos quosdam e mercibus, quas vehebant, venum expoſuere in terram. Id cum ad aures regis Ceilanenſis pervenit, is indignatus fortean, ſe inſalutato negotiationem ibi fieri, miſſis hominibus ſub ſpecie amicabilis colloquii Capitaneum in terram allexit, ac circumventum ita teneri cum aliquot ex ſuis fecit, inter quos & noſter fuit: varia etiam artificia adhibita, ut navem ipſam in ſuam redigerent poteſtatem, quod tamen a Capitaneo prudenter impeditum fuit, nave tandem, cum ipſe evadendi ſpem nullam videret, domum redire juſſa. Ita Angli hi omnino ſedecim, qui nominatim recenſentur, in manibus inſulanorum remanſere; qui quidem nil mali ipſis intulere, niſi quod ipſos a mutuo conſortio divulſos, ſingulos ſparſim per vicos & urbes diſtribuerunt, ſumtibus ſubditorum poſthæc alendos, tanquam captivos regios. Autor tamen, quod captivitatis ſolatium aliquale fuit, a patre ſuo diſtractus non fuit; ſed quem anno ſequenti 1660 diuturna febris tandem miſere ipſi eripuit, propriis filii manibus contumulatum. Reliqui captivi pedetentim liberius habiti, & a mutua converſatione non ita ſtricte prohibiti, cum laute ſatis ab hoſpitibus ſuis tractarentur, tædium detentionis tandem exuerunt, & uxoribus ductis ſedes ſibi fixas in inſula ſtatuerunt. Autor vero cum unico ſodali, poſtquam variam fortunam expertus, fugam amore reviſendæ patriæ fruſtra ſæpius tentaſſet, tandem in ditionem Hollandorum feliciter evaſit, a quibus comiter acceptus, circa finem anni 1679 in Angliam renavigavit, ibique ab eadem Societate Indica ſimili, qualem pater habuerat, functioni admotus, & negotiationi *Tarquinenſi* præfectus, jucunda ante actos labores memoria, ſi adhuc in vivis eſt, recolit.

ESSA-

ESSAIS D' ANATOMIE, OU L'ON EXPLIQUE clairement la conſtruction des organes &c. i. e.

TENTAMEN ANATOMICUM, IN QUO CLARE EXplicatur conſtructio organorum, eorumque operatio mechanica ſecundum novas hypotheſes.

Lugduni Bat. ap. Petrum van der Aa. 1686.

QUamvis paſſim proſtent libelli de ſtructura corporis animalis agentes, ea tamen hujus materiæ conditio eſt, ut, quoniam Anatomicorum induſtria identidem novi aliquid in machina hac maxime compoſita detegit, non exiſtimandum ſit, eos cramben bis coctam apponere, qui recentiorum inventa ſuccincte collecta proponunt, & ex genuinis philoſophiæ principiis explicare conantur. Qui ſcopus cum etiam propoſitus fuerit Autori noſtro anonymo (qui Genevenſis Medicinæ Doctor eſſe perhibetur) ejus conatus adeo non diſplicuit eruditis, ut potius opuſculum hoc in Italicum idioma translatum, & Parmæ A. 1687 excuſum fuerit. Conſtat vero totum 21 omnino diſcurſibus, in quorum (1) reliquorum prolixiſſimo, & in ſectiones undecim diviſo, Autoris de elementis, quæ corpus animatum non ſecus ac reliqua conſtituunt, ſententia proponitur. Exiſtimat autem, ex congerie illa infinitorum corpuſculorum in motu conſtitutorum, quam ætherem vocamus, nonnulla ſibi invicem adhæreſcentia conſtituere moleculas, quæ commode elementa corporum vocari poſſint, &, licet varietas inter illas infinita fere ſit, in quinque genera diſpeſci, quorum primum comprehendat moleculas valde ſolidas & angulis acutis præditas; ſecundum multis iisque ſatis patulis poris inſtructas; tertium ramoſas; quartum oblongas, ſed in extremitatibus ſuperficie ovali donatas; quintum tandem eas, quæ ad genera præcedentia referri nequeant. Hæc elementa quinque acidi, alcali, ſulphuris, phlegmatis & terræ donat nominibus, ſingulorumque non ſolum naturam ſed & phænomena, quæ ex ipſorum commixtione oriuntur, explicat, peculiari ſectione conatus evincere, ignem eſſe univerſale diſſolvens, ejusque ope rite inquiri poſſe in corporum naturalium elementa. Quo ſuppoſito in (2) diſcurſu ad Sanguinem tranſit, eumque chymice examinat. Deinde vero ordine aliis Anatomicis haut uſitato (3) Glandulas, (4) Nervos, (5) Muſculos, (6) Cartilagines, oſſa & membranas, (7) Vaſa lymphatica, (8) Os cum ſuis partibus,

bus, (9) Oeſophagum, (10) Stomachum & chylificationem, (11) Inteſtina, (12) Bilem & Jecur, (13) Mutationem chyli, quam in inteſtinis ſubit, (14) Meſenterium, venas lacteas, receptaculum chyli & ductum thoracicum, (15) Cor, (16) Pulmones, (17) Pectus, (18) Reſpirationem, (19) Lienem, (20) Renes & Ureteres, (21) Veſicam & Urinam, totidem diſcurſibus contemplatur, eorumque conſtitutionem & uſum juxta ſua principia declarat. Nimirum v. g. de glandulis agens, obſervat duorum eas eſſe generum, *Vaſculares* & *Veſiculares*, ita ut hæ ſint congeries plurium veſicularum, illæ vero plurimorum vaſculorum, quæ tandem in communem canalem excretorium abeunt; *Spiritus animales* maximam partem ex alcali & ſulfure volatili conſtare conjicit; rationem redditurus, *cur ligata aorta animal paralyticum evadat*, fieri hoc dicit ob ſanguinis ſtagnationem, quæ fibris muſculorum ſpatium intumeſcendi demit, quod extra hunc caſum nanciſcuntur, dum fibræ inflatæ ex vaſis ſangviferis ſangvinem expellunt, ita ut etiam in certis animabus muſculi albidi fiant, dum contrahuntur &c. Hæc vero omnia cum ſatis concinna brevitate ſine auctorum citatione exſequatur, inconſultum judicamus libellum, qui horæ ſpatio ferme totus perlegi poteſt, latius excerpere, id unum mirati, quod Autor membra generationi dicata in utroque ſexu plane præterierit ſilentio, cum tamen ætas hæc noſtra circa eadem plurima invenerit ſcitu digniſſima.

HET PIT DER WAARE CHYMIE, DOOR GEORGE Starckey M. D. en Philoſooph door't vuyr, ontdeckt in ſyn tractaaties &c. h. e.

Medulla veræ Chymiæ detecta a *Georgio Starckey* M. D. & Philoſopho per ignem, in tractatibus, quos (1) *de Naturæ explicatione & Helmontii vindicatione*, (2) *de Liquore Alcaheſt*, (3) *de Sale Ammoniaco philoſophorum* conſcripſit, & ex Anglico in Belgicum ſermonem tranſtulit Feyo Johannes Winter Univ. Medic. Doct.

Leoward. apud Gerard. Hooghslagh, A. 1687. in 8.

BEne multi jam præterlapſi ſunt anni, cum Anglico idiomate prodierunt libelli, quos titulo communi complexus eſt interpres Belgicus, qui cives ſuos diutius carere noluit ſcriptis iſtis hoc tempore in ipſa Anglia rariſſimis, ſed magni in medicina & chymia momenti, quippe in quibus Auctor, cujus *Pyrotechniam* alia vice recenſebimus, genuinam

medicamentorum præparationem, imo ipſius menſtrui univerſalis, quod Alcaheſt vocant, elaborationem docere inſtituit. Quanquam vero ſumma fide in verſione ſua ſe verſatum profiteatur, conſulto tamen omiſit dedicationem, epiſtolam ad lectorem, & nonnulla capita tractatus primi, in quibus Auctor ſtrenuus Helmontii ſectator, in Galenicos magno debacchatur impetu; quippe cum convitia ad rem ipſam nihil quicquam conferre poſſe cenſeat. Hanc autem quod attinet, in *primo* tractatu maxime commendantur alcalia fixa volatiliſata, quæ ſecundum a diſſolvente magno, juxta Helmontium, locum occupant, & quorum ope ſulphura non ſolum metallorum & mineralium, nec non vegetabilia omnia, rite præparari, ſed & ipſa venena corrigi, & purgantia violentiſſima in diuretica & diaphoretica ſaluberrima commutari poſſunt. Ipſa deinde horum ſalium præparatio, ſed obſcure ſatis, innuitur: Aſſumendum eſſe ſal tartari, quod merito reſpublica alcalium dicatur, idque conjungendum cum ſulphure aliquo vegetabili, inprimis oleo terebinthinæ, per circulationem ſecretam, ita ut digeſtio fiat in centro profunditatis materiæ, blandiſſimo calore, qualis Solis in vere eſſe ſolet; ita enim 10 hebdomadum ſpatio acquiri ſubſtantiam non ſaponariam, ſed ſalinam volatilem, neque tamen cauſticam, & unam ſalis partem duas vel tres olei partes in ſalem reducere, pauco reſinoſo gummi ſuperſtite. In *ſecundo* tractatu, ad ductum verborum Helmontii docetur, materiam qua Alcaheſt, quod unum idemque ſit cum circulato Paracelſi, componatur, ſed præparatione difficillima & tædioſiſſima, eſſe urinam humanam. Digreditur hinc Auctor ad coagulationem ſpiritus urinæ & ſpiritus vini, illamque nec non virtutem frigefacientem ſalis ammoniaci ex, neſcio quo, Blas lunari derivat, tandemque menſtrui univerſalis potentiam omnia corpora, excepta intima mercurii medulla & alia quadam ſubſtantia, in aquam elementalem inſipidam reducendi deprædicat. Cum vero in fine hujus tractatuli idem menſtruum ſalis ammoniaci philoſophorum nomine adpellet, liquet jam, quid ſibi velit in tractatulo *ultimo* eoque breviſſimo, ubi tradit ſal ammoniacum philoſophorum conſtare ex ſale urinæ ſubtiliſſimo, quod mediante aliquo fermento haud ab ipſo diverſo, ſed re plane eodem cum ipſo, ſit unitum cum acido non corroſivo, ſed in ſua eſſentia gratiſſimo & ante conjunctionem volatiliſato, ſancte teſtatur ſe materiam quidem candide & nude propoſuiſſe, rationem tamen præparandi difficillimam à Datore bonorum omnium expectandam eſſe.

TRA-

TRAITE' DES JEUX ET DES DIVERTISSEMENTS,
par M. Jean Baptiſte Thiers &c. i. e.

Johannis Baptiſtæ Thiers, Tractatus de ludis & recreationibus, quatenus Chriſtianis permiſſæ aut vetitæ ſint, ſecundum regulas Eccleſiæ, & ſententiam SS. Patrum.

Pariſiis apud Anton. Dezalliers, 1686. in 12.

ETſi abuſus ludorum & recreationum a multis ſeculis, adverſus pietatem & antiquam diſciplinam & morem Eccleſiæ, eum in modum invaluiſſe dici poſſit, ut nullum remedium admittere, ſed inter ea referendus eſſe videatur vitia, quibus pares non ſumus: deterreri tamen Theologus hic ſe non eſt paſſus, quo minus oſtenderet, quid de ludis & delectamentis ſtatuendum ſit homini Chriſtiano & maxime Eccleſiaſtico, cui conſcientiæ tranquillitas & ſalus ſua curæ eſt. Notat in præloquio tractari hanc materiam a *Caſiſtis*, quos vocant, cum de contractibus & reſtitutionibus, aut de explicatione *noni præcepti* agunt, ſed eorum more aride, nec ſemper practice, multo minus plene & perfecte. Alios veteres novosque vel ex inſtituto, vel per occaſionem de ludis & recreationibus ſcripſiſſe, aliquando de certis ludorum ſpeciebus, aliquando in genere; ſed neque hos ſatis luculenter & moraliter eumque in modum quæſtiones has tractaſſe, ut regulæ inde ad omnes vitæ Chriſtianæ ſtatus formari poſſent. Nominat libros *Joh. Aquilæ*, de omni ludorum genere: *Onuphrii* & *Bulengeri* de ludis circenſibus & theatralibus. Agnoſcit, de ludis verborum ſeu urbanitate, utilia multa ſcripſiſſe *Ciceronem* & *Quintilianum*, ſed non ad regulas Evangelicas. De alea & aleatoribus extare tractatum, qui S. Cypriano, ſed perperam tribuatur; item *Sonteri*, *Paſchaſii Juſti*, *Lamberti Danæi*, *Angeli Rocchæ* Epiſcopi Tagaſtani. Libellos etiam Gallicos quosdam præterea fuiſſe, qui malo more & effectu ipſam artem ludendi tradiderint. Sed nec illos, qui adverſus ludos eorumque abuſum ſcripſerint, materiam exhauſiſſe, aut ſi maxime fecerint, judicio tamen Auguſtini, utile eſſe, ſi plures de iisdem rebus diverſo ſtylo tractent. Sperare ſe igitur, librum hunc, odioſum licet multis, aliquibus tamen placiturum & profuturum eſſe. Et in hac quidem ſpe non putamus falſum fuiſſe Autorem. Licet enim nemo omnibus ſatisfacere poſſit, ea tamen methodo eoque ſtylo & judicio uſus eſt, ut de applauſu plurimorum, quibus pietas cordi eſt, confidere poſſe videatur.

Cap. I. Incipit ab eo, quod facilius & gratius eſt. Concedit enim ante omnia, & teſtimoniis inſignibus probat, licitas non ſolum, ſed & neceſſarias eſſe homini, etiam ſapienti & religioſo, laborum relaxationes & aliquas corporis & animi recreationes, quarum multæ per ſe indifferentes ſint, & non niſi a recto uſu aut abuſu, laudem & vituperium habeant.
C. II. Speciatim inde agit de ludis ſeu recreationibus, quæ in verbis conſiſtunt, ſive de *urbanitate* & *jocis*, & quatenus Chriſtiani his delectari poſſint. Non negat id licite fieri, ſed nec difficultatem celat, quod non ſufficiant Philoſophorum de his monita, ſed ex Chriſtiana diſciplina requiratur, ne per jocos charitas, religio aut honeſtas, directe aut indirecte lædatur.
C. III. ſq. Proponit deinde optima præcepta ex egregiis ſcriptoribus collecta, quibus urbanitas & facetiarum uſus intra limites continetur;
C. I. imprimis omnes jocos de Deo & rebus ſacris rejicit. Copioſe vero non Patrum ſolum & Theologorum veterum & recentiorum, qui ſanctitatis famam habent, dicta, ſed & conciliorum & ſynodorum decreta affert, & ex iis regulas extruit, per quas caveri poſſit, ne loquendo, legendo, ſcribendo inutilia & ſcurrilia, adverſus graviſſimum præceptum Chriſti Matth. XII. 36. peccetur, minime omnium a clericis & religioſis, qui aliis exemplo præire debent. Igitur hos per totum librum ab exceſſu omni in recreationibus ſerio dehortatur, & veterum novarumque Synodorum, itemque regularum monaſticarum decretis arcte conſtringit. A verbis ad facta, i. e. ad ludos, qui in
C. VIII. actione conſiſtunt, progrediens, ex *Thoma* tres obſervationes proponit, quæ eo tendunt, (1) ut nunquam ludatur, niſi honeſte & absque damno proximi. (2) ut gravitas ſemper teneatur. (3) ut perſonarum, loci, & temporis ratio habeatur. Ita ſecundum primam regulam abeſſe a ludis debent impudici geſtus, tactus & oſcula, & (in quas hac occaſione cenſuram exercet) denudationes colli, pectoris aut humeri, quibus fœminæ delicatiores indulgent: citat plurima contra has decreta, itemque adverſus oſcula Bullam *Alexandri* VII. qui propoſitio-
C. IX. nem damnavit, qua oſcula, etiam carnalis delectationis cauſa data, inter venialia peccata referebantur. Non minus omnia ſpectacula impudica improbat, omnesque ſtatuas & picturas laſcivas, eas etiam
C. X. quæ Jeſum puerulum nudum repræſentant. Libros etiam de amore & amantium tricis & fabulis, adeoque omnes, qui *Romani* vocantur, rejicit, adducto inter alia S. *Thereſiæ* teſtimonio, quæ damnum lectione fabu-

fabularum illarum ſibi ablatum deploravit; item exemplo *Heliodori*, cui ob editum librum de amoribus Theogenis & Charicleæ, Epiſcopatus Tricalenſis in Theſſalia ablatus fuit. Solos excipit *Epiſcopi Bellicenſis* libros fabuloſos, conſilio *Franciſci Saleſii* compoſitos, quos ab omni laſcivia puros edidiſſe dicitur. Omnes porro occupationes malignas & noxias, quæ temporis fallendi aut delectationis cauſa ſuſcipiuntur, taxat, interque eas potum, etſi non ad ebrietatem ſed ad exhilarationem ſumtum aut propinatum; reprehendit Senecam, Solonis, Ageſilai & Catonis exemplis id indulgentem. Oſtendit inde, quomodo gravitas in ludendo teneri debeat, reprobatque veterum quorundam pueriles recreationes. Diſtinguit ludos in tria genera; quidam enim ſola ſorte, quidam ſola induſtria, quidam ex utraque conſtant. Primum ex omnium Philoſophorum & Theologorum ſententia damnat, & eorum inventionem diabolo tribuit, allegans Phædrum Platonis, in quo *Theuth* Ægyptiorum Dæmon memoratur Thamum Ægypti Regem aleam docuiſſe. Adducit inſignia Patrum & aliorum celebrium ſcriptorum, item eorum, quos hæreticos vocat, Calvini, Danæi, Stuckii, & aliorum teſtimonia, tum decreta Synodica Reformatorum in Gallia. Addit leges & edicta Imperatorum & Regum, item canonum & conciliorum veterum, usque ad concilium Tridentinum, decreta, denique quæ poſt illud concilium ſecuta ſunt in variis provinciis & diœceſibus. Format inde tum adverſus laicos, tum maxime adverſus clericos aleæ ludisque, in quibus ſors regnat, indulgentes judicium, & quam graviter peccent, oſtendit, non diſſimulans, eſſe autores, qui exceptiones quasdam admittant, quibus tamen fidi non poſſe arbitratur. Vehementer invehitur in domos ad ludos paratas, quas Galli *Brelands* vocant. Contra illos poſtea ludos, in quibus præter ſortem ſive aleam etiam induſtria accedit, adductis autoribus pugnat. At eos, qui ſola induſtria peraguntur, per regulam licitos eſſe concedit, niſi perſonarum, temporis, loci, & aliæ circumſtantiæ abſtineri ab iis poſtulent. Sic cavere jubet Eccleſiaſticos a ludis cum laicis, quia ſecundum *gl. in c. continebatur* de *homicid.* Clero infenſi ſunt aut ſcandalum ex illorum ludis ſumunt. Ludere clericos & graves viros vetat in publico, etiam pila aut alio modo. Clero licere negat jaculis certare, aut venari. A delectatione ex cantu & fidibus eosdem arcet, ut & ab omni riſu immoderato. Contra comœdias omnesque repræſentatio-

C. XI. Cap. XII. XIII. C. XIV. C. XV. C. XVII. C. XVIII. C. XIX. C. XX. C. XXI. C XXII. C. XXII.[sic] C. XXIV.

tationes ſcenicas, item contra perſonas ſive larvas, quas *masques* vo-
C. XXV. cant, & contra choreas & ſaltationes, graviſſima allegat teſtimonia & decreta. Clerum ante omnia abſque ulla diſpenſatione tam ab agendo, quam ſpectando prohibet; Reformatorum etiam Gallorum ſtatuta Synodica producens. Idem cenſet de muſicis illis ſcenis, non ita pridem magno cum ornatu & ſumtu repertis, quas *opera* vocant. Etſi enim ab impudicis & ſcurrilibus in iis abſtineatur, *affectus* tamen (ait) *movent, quos Chriſtiana diſciplina domare & ſopire jubet. Hæc enim vult, ut homo cœleſtis & internus regnet, externus & carnalis crucifigatur & mortificetur. Hoc eſt vitæ Chriſtianæ ſtudium, quod utiq; in operibus illis non deprehenditur.* Addit quædam de pravis ſcenicorum & cantorum cantatricumque moribus, & de vetita veſtium, quibus ſexus diſtinguitur, confuſione & mutatione. Contra ſaltationem plurima tum Synodica Romanæ Eccleſiæ, tum Reformatorum decreta
C. XXVI. adjungit. Conſiderato porro fine & ſcopo ludorum, peccare oſtendit, qui ludunt, cum recreatione opus non habeant, ſed otioſi vivant: item qui difficile ludendi genere utuntur, quo non reficiunt animum ſed gravant: eo refert ludum *latrunculorum* ſive ſcacchorum. Ob
C. XXVII. eundem defectum finis improbat omnem cupiditatem lucri, quæ in ludo quæritur, omnemque fraudem ejus obtinendi cauſa adhibitam. A ludo etiam licito cavere ſibi jubet, qui alienæ ſunt poteſtatis, uxores, libros, famulos, cum de ſuo ludere non poſſint. Ex eadem ratione
C. XXVIII. ludum clericis permitti poſſe negat, quia nihil præter alimenta habeant, quod non in pias erogationes impendere obligentur. Alios inde
C. XXIX. ludorum exceſſus condemnat, & Turcorum legem laudat, qui non patiantur, ut pecunia ludi præmium ſit. Commendat *Paſchaſii Juſti* librum de *alea*, in præloquio nominatum, eumque commemorat editum fuiſſe primo A. 1561. Baſileæ, recuſum Francofurti A. 16.6. & Amſtelodami A. 1642. Quæ de clericis dixerat, teſtimonio Chryſoſtomi ad omnes Chriſtianos extendit, cum omnes non ſint niſi diſpenſatores facultatum ſuarum, & rationem Deo reddere debeant, quomodo iis
C. XXX. ad utilitatem proximi uſi ſint. De temporibus, quibus ludere nefas aut indecorum ſit agens, injungit ceſſationem a ludis tempore *Feſti Natalitii*, *Quadrageſimæ* & dierum *Dominicarum* aliorumque feſtorum, & ut lectioni, meditationi, converſationi piæ, & viſitationi ægrotorum & afflictorum, quod poſt cultum divinum ſupereſt temporis deſtine-

ſtinetur. Corporis & induſtriæ exercitia & honeſtos quosdam labores mechanicos, clero aliisque, quibus vacat, recreationis cauſa ſuſcipiendos, ex *Camuſii* Epiſcopi Bellicenſis tractatu Gallico de officio Paſtorum memorat. Scandala, quæ parentes, dum ludunt, liberis, clerici laicis dant, tum juramenta & blasphemias, item abuſum nominis Dei & Jeſu, aliosque ejusmodi exceſſus & abuſus ludentibus ſuetos ſub cenſuram vocat. De habitu ludendi, nationibus calidioribus præſertim C. XXXI.
veluti innato, nec non de mala fide colluſorum, de locis item, qui C. XXXII.
ludis profanari non debent, tractat; ubi refert veterem petulantiam C. XXXIII.
Cleri certo anni tempore, in templis aut cœmeteriis, ſaltantis & laſcivientis, & ut plurimis decretis, quæ a multis ſeculis, ad annum usque 1575. allegat, refrenari debuerit. Epilogi loco, Chriſtianis ad perfectio- C. XXXIV.
nem tendentibus ſuadet abſtinentiam ab omnibus ludis & ſpectaculis, & ut ſublevationem alio licito modo & per viciſſitudinem laborum quærant, *Franciſci Borgiæ* exemplum & dictum allegans, qui *quatuor perdi ludendo dicebat, tempus, nummos, pietatem & conſcientiam.*

VITA E VIRTU DEL BEATO AMEDEO &c.

i. e.

Vita & Virtutes B. Amedei, Tertii Ducis Sabaudiæ, deſcribente P. D. Carolo Joſepho Morozzo.

Taurini apud I. B. Zappata. 1686. fol.

VItas & res geſtas Principum diſtincte conſignaturi, & privata & publica ſcripta inſpicere neceſſe habent. Fecit id, quam maxime potuit, Auctor. Quod enim in omnibus æque ſatisfacere nequeat, id bellis inteſtinis merito tribuitur, quippe quorum injuria factum, ut perierint cum archivis tabulæ Pedemontii. Ceterum in unum & quinquaginta capita opus diſtribuitur; præmiſſa brevi introductione de octo Amedeis Domus Sabaudiæ, in quorum vitas tanquam in ſpeculum inſpexerit, atque ex iis exemplum ſibi ſumſerit Noſter, qui ejus nominis ex hac familia nonus, ſed eorum qui Ducali dignitate claruerunt, tertius celebratur. Ad hujus Hiſtoriam transgreſſus Auctor, parentes Amedei enarrat, Ludovicum I. filium Amedei Pacifici, primi Ducis Sa- Cap. I.
baudiæ, qui a Concilio Baſileenſi electus Antipapa, Felicis V. nomen ſumſerat; & Annam Luſignanam, filiam Jani Regis Cypri. His natus eſt Anno 1435. Amedeus, Tunonii, urbe ampla ad Lacum Lema- Cap. II.
num

num in Palatio, cujus rudera monſtrat Statua a *Philippo Charieres*
Cap. V. A. 1667. honoribus Beati erecta. Uxorem habuit filiam Caroli VII.
Galliæ Regis, in cujus nomine admodum Auctores diſſentiunt; aliis e-
nim Iſabella audit, aliis Violanta, verius tamen Jolanda ſeu Yolanda.
C. VII. Filios ex ea natos, præter filias, numeravit ſex, quorum tertius Carolus
C. IX. cognomine Bellator primus fuit, qui Rex Cypri voluit vocari. Mor-
tuo Patre ad regni gubernaculum A. 1465. Amedeus acceſſit, cui non
ſine laude præfuit. Quod enim alii parum eum regimini incumben-
tem fingant, tanquam epilepſiæ morbo oppreſſum, id ex frequentia iti-
nerum, ordinationum, infeudationum &c. facile refelli poſſe, Auctor
C. X. ait. Beneficiis certe in populum largiter effuſis nemini fuit ſecundus.
C. XII. Quorum non minima fuit portio ſtudium illud, quo Academiam Tau-
rinenſem vigori ſuo reſtituere eſt conatus. Typographia enim, quæ de-
mum A. 1458 Romam deportata erat, gaudere quoque Taurinum vo-
luit, factumque adeo, ut Mæcenati huic non deeſſent homines literati,
quorum præcipuos Auctor nominat *Conſtantinum Ruggerium, Am-
broſium Vignatum*, *Chriſtophorum Nicelli*, *Jacobinum de S. Georgio*
C. XIII. & *Joh. Ant. Ponciglionem.* Cum vero pax ſine bello acquiri nequeat,
C. XIV. Auctor porro narrat, quæ bella geſſerit Amedeus. Ducem Mediola-
nenſem, Galeatium Mariam, Franciſci Sfortiæ filium bello devicit, quem
C. XV. tamen certis pactis conditionibus libertati mox reſtituit. Fratri Ludo-
vico, coronato Regi Cypri per matrimonium cum Charlotta, filia Jo-
annis II. Cyprii, ſuppetias tulit, contra Jacobum filium nothum Joannis.
Et quamvis regno eſſet pulſus Ludovicus, nihilo tamen minus Legatos
Romæ ſemper habuit, honoribus regiis undique exceptus. Quæ ſe-
C. XXIV. quuntur capita virtutes Amedei prolixe enumerant, quarum omnium
charitas maxime eminuit, ut patris pauperum cognomen inde adeptus
fuerit. Hos namque ſuos eſſe canes venaticos affirmabat, queis ſalu-
tem & beatitudinem aſſequi poſſet. Studere iis virtutibus non prius
C. XXXI. deſiit, quam vitam cum morte commutaret, quod accidit A. 1472. men-
C. LI. ſe Martio, poſtquam Jolandæ regni & filiorum tutelam commiſiſſet.
Hinc per ſequentia viginti capita, in miracula B. Amedei auſpiciis per-
petrata ſe diffundit, ita ut capite ultimo hæreſeos, ut vocat, extirpa-
tionem in Vallibus Lucernenſibus nuper ſuſceptam prædicet, & adju-
vante Beato feliciter perfectam cenſeat.

§ (o) §

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio II.

DISSERTATIO DE CAUSIS MAJORIBUS AD CAPUT Concordatorum de Cauſis, autore Johanne Gerbais Socio Sorbonico, Regio Eloqventiæ Profeſſore.

Lugduni apud Jacobum Canier 1685. in 4.

IN generalibus Cleri Gallicani comitiis A.1665 habitis,ab Antiſtitibus tum congregatis id negotii Gerbaſio datum eſt,ut tractatum de Cauſis Majoribus, quas vocant, conſcriberet, & inprimis, quid juris apud Gallos in hac controverſia obtinere debeat, explicaret. Quorum voluntati ille morem gerens, per integrum quinquennium ex monumentis eccleſiaſticis diligenter collegit & collecta in ordinem redegit, quæ ad hoc argumentum facere viſa ſunt, ac tandem A. 1670 opus illud Gallicanis Antiſtitibus, qui eo tempore ad generalia comitia Lutetiæ iterum convenerant, obtulit. Oblatam diſſertationem Franciſcus Harlæus Rotomagenſis tum Epiſcopus legit, & cæteris Gallicanæ eccleſiæ Præſulibus in publico conſeſſu commendavit, qui & ipſi Gerbaſii tractatum inſignibus elogiis ornarunt, neque tamen edendum, ſed in tabulariis Cleri Gallicani reponendum cenſuerunt. Autor vero ſive ab aliis incitatus, ſive quod ipſe lucubrationes ſuas quaſi tenebris damnatas ægre ferret, Regem adiit, cujus diplomate munitus anno 1679 Lutetiæ Pariſiorum ex typographia Franciſci le Cointe diſſertationem ſuam in lucem publicam emiſit. Cum autem Innocentius XI, eccleſiæ Romanæ hoc tempore Pontifex, anno ſequenti 1680 menſe Decembri Gerbaſii diſſertationem peculiari Bulla damnaſſet, Archiepiſcopi & Epiſcopi anno 1681 Pariſiis congregati, Gerbaſii quidem ſcriptum iterum laudarunt, ejusque zelum in defendendis eccleſiæ Gallicanæ libertatibus approbarunt; ut tamen Romano Pontifici qualemcunque

reverentiam exhibere viderentur, novam hujus diſſertationis editionem Gerbaſio demandarunt, poſtulantes, ne, quæ a Commiſſariis huic cenſuræ deſtinatis notata fuiſſent, corrigere gravaretur. Id num in hac editione, quam recenſemus, factum fuerit, iis diſpiciendum relinquimus, quibus primæ editionis copia ſuppetit. Interim lectori non ingratum fore arbitramur, ſi operis hujus argumentum breviter recenſeamus.

Primum igitur quid majorum cauſarum nomine veniat, exponit, obſervans Innocentium I, qui primus cauſarum majorum meminit, easque poſt epiſcopale judicium ad Sedem Romanam referendas ſtatuit, tria cauſarum iſtarum genera deſignaſſe, nimirum cauſas fidei, cauſas diſciplinæ, & graviora epiſcoporum negotia; ſequioris autem ævi Pontifices, cauſas illas unius Romanæ ſedis arbitrio ſubjeciſſe, & tribus iſtis generibus multa alia ſuperaddidiſſe. Deinde inquirit, quis modus cauſas majores finiendi in Gallia vigeat, & num Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. modum aliquem cauſas majores in Gallia tractandi determinaverint? Exiſtimat autem concordata illa circa modum cauſas majores finiendi nihil novi juris ſtatuiſſe, nedum decreviſſe, quod majorum cauſarum cognitio etiam prima ad Sedem Romanam unice pertineat. Objectas difficultates diluit, & ad autoritatem Petri de Marca ſtatuentis, ſaltem depoſitiones epiſcoporum ex lege Concordatorum immediate Romano Pontifici ſubjiciendas eſſe, inter alia reſpondet, Virum illum celeberrimum eo tempore, quo eminentiſſimus Cardinalis Richelius Epiſcopos quosdam tanquam majeſtatis reos inſecutus eſt, libros ſuos de concordia ſacerdotii & imperii adornaſſe, ideoque Richelii votis ſtylum ſuum accommodaſſe.

Poſtea ad tria illa majorum cauſarum genera ſuperius indicata ſic accedit, ut qualis illarum in Gallia ratio a primis eccleſiæ Gallicanæ initiis fuerit, exponat. A fidei cauſis exorſus eorum ſententiam, qui omni cauſarum fidei cognitione Epiſcopis interdicunt, S. Scripturæ, Eccleſiæ, & ipſorum Pontificum autoritate confutat, & inprimis Gallicanos Epiſcopos poteſtatem quæſtionum fidei cognoſcendarum a Chriſto acceptam continua praxi exercuiſſe, pluribus exemplis demonſtrat. Nec huic ſententiæ obeſſe putat, quod Epiſcopi Gallicani cauſam Janſenii ad Innocentium X referendam cenſuerint, cum poſtea ipſe Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anno 1660 abunde declara-

declaraverit, quæ ratio Epiſcopos Gallicanos moverit, ut a prima ejus cauſæ cognitione ſibi temperantes Romanum Pontificem conſuluerint, nimirum quia ob diſſidia, quæ in Galliarum provinciis tum exarſerant, libera Synodorum convocatio non fuerit. Circa alterum majorum cauſarum genus, quod in rebus ad diſciplinam ſpectantibus verſatur, agnoſcit, Romanos Pontifices in gravioribus dubiis etiam a Gallicanis Epiſcopis & Regibus frequenter conſultos fuiſſe; negat tamen illa Pontificum reſponſa vim legis obtinere, ſi cum receptis probatisque canonibus pugnent, aut vetuſtis firmatisque Eccleſiæ conſuetudinibus adverſentur, cum Pontificum non ſit novas leges condere, ſed antiquos canones interpretari, quod Innocentii aliorumque Pontificum teſtimoniis confirmat. Maxime vero tertio cauſarum majorum generi illuſtrando immoratur, quod graviora Epiſcoporum negotia concernit. Atque hic primum in genere, quid primitiva eccleſia de Epiſcoporum judiciis ſtatuerit, oſtendit, deinde qualis in Gallia conſuetudo viguerit, ea methodo recenſet, ut narrationem ſuam juxta quatuor epochas diſtinguat. Prima epocha complectitur tempus ab exordio eccleſiæ Gallicanæ usque ad tempora Caroli M. Intra hoc tempus epiſcopos graviorum criminum reos in ſynodis epiſcopalibus judicatos fuiſſe, magna exemplorum ſerie confirmat. Altera epocha a Caroli M. ætate usque ad Hugonis Regis imperium procedit. In hac temporis intercapedine jus commune, quod hactenus in Epiſcoporum judiciis uſitatum fuerat, fictitiis veterum Pontificum Romanorum epiſtolis haud mediocriter turbatum, iisdemque libertates eccleſiæ Gallicanæ ſubinde oppugnatas, nunquam tamen expugnatas, ex ævi illius hiſtoriis demonſtrat. Tertiam quoque epocham, quam usque ad concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. inita extendit, libertatibus Gallicanis fatalem fuiſſe negat, & quæ Petrus de Marca aliique pro contraria opinione objiciunt, confutat. In ſpecie probat, neque autoritatem Leonis IX, Gregorii VII & Innocentii III, neque novas canonum & decretalium collectiones, neque facta & exempla quædam Epiſcoporum Pontificia autoritate in Galliis depoſitorum, priſco epiſcopalium judiciorum juri derogare quicquam potuiſſe, cum Leo IX. contra jus antiquum nihil tentaverit, Gregorii VII. dictatus nullius unquam in Gallia ponderis fuerint, Innocentii vero III. effatum, niſi commoda expoſitione emolliatur, veritati plane adverſetur, neque novæ canonum collectiones,

etiam Gregoriana, ſaltem in Gallia vim legis obtinuerint, nec exemplis denique ſed legibus judicandum videatur. Dubium quoque hic movet, an Summo Pontifici eadem ſit in eccleſia poteſtas, quæ Imperatori in republica, ut ſcilicet deceſſorum ſuorum leges augere vel minuere, firmare vel refigere, & quidvis pro lubitu immutare poſſit, cum nulla lex proferri queat, quæ talem poteſtatem Epiſcopo Romano fecerit. Addit eos ſemper Gallorum mores fuiſſe, ut novis eccleſiaſticis legibus, ſive a Pontifice ſive a conciliis profectæ fuerint, ſe obſtringi non paſſi fuerint, niſi Regia publicave autoritas acceſſerit. Quarta & ultima epocha continetur temporibus, quæ Concordatorum legem ſecuta ſunt. His temporibus ſemper a Gallis interceſſum fuiſſe monet, ſi quando Pontifices Romani Epiſcopos Galliæ judicio ſuo ſubjicere voluerint. Ad exempla in contrarium allata reſpondet, & inprimis ad factum Richelii, quo procurante quatuor Antiſtites Gallicani ab Urbano VIII deſignati collegas ſuos, cæteris Epiſcopis tum ſilentibus, exautorarunt. Regerit, factum illud Richelii novam & extraneam judiciorum formam in Gallias advocantis excuſari non poſſe, & Clerum Gallicanum, etſi ad tempus prudenter ſiluerit, cum de crimine læſæ Majeſtatis vindicando ageretur, poſtea re in vado poſita omnibus modis interceſſiſſe, ne inſolens illud factum in exemplum traheretur. Id ne gratis dixiſſe videatur, nonnulla monumenta ad ejus rei hiſtoriam ſpectantia, ex Cleri Gallicani actis exſcribenda cenſuit, quibus etiam ſubjicit literas Urbani VIII & Ludovici XIII, quas beneficio Cl. Mellonii Regii apud Tutelenſes Advocati ſe nactum aſſerit. Hinc ad concilium Tridentinum pergit, ejusque legem de cauſis criminalibus Epiſcoporum, mores Eccleſiæ Gallicanæ circa Epiſcoporum judicia immutare potuiſſe negat; cum & Cardinalis a Lotharingia in ipſo concilio capiti illi interceſſerit, idemque ab Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis improbatum fuerit, inſuperque diſciplina concilii Tridentini generatim in Galliis accepta non fuerit. Ad objectionem nuperi Scriptoris, quod nimirum Epiſcopi Gallicani & ſæpius Regem rogarint, ut illius concilii diſciplinam in ſua ditione recipi juberet, & præterea anno 1615 ad eam in diœceſibus ſuis ſervandam ſacramento ſe obſtrinxerint, reſpondet, Epiſcopos Gallicanos exceptiones quasdam addidiſſe, quæ ſalvas præſtarent Eccleſiæ Gallicanæ libertates, easque ab adverſario libertatum illarum minime omitti debuiſſe. In ultimo diſſertationis hujus articulo, quæ

etiam-

etiamnum ſit Gallorum mens in Epiſcoporum judiciis, ſcrutatur. Eam vero haud melius cognoſci & explorari poſſe putat, quam ex ſententiis Epiſcoporum Gallicorum & Facultatis Sorbonicæ. Producit igitur declarationem Doctorum Pariſienſium anno 1663 editam & regia autoritate confirmatam, qua inter alia Romano Pontifici, præter poteſtatem in Regum temporalia ſive directam ſive indirectam, & autoritatem conciliis œcumenicis majorem, & infallibilitatem, etiam poteſtatem Epiſcopos deponendi expreſſe denegant. Recentia illius declarationis ſex articulis comprehenſæ inſtrumenta, in rei memoriam & cauſæ ſuæ patrocinium exſcribit. Subjicit deinde, quid anno 1667 factum fuerit, cum Clemens IX cauſam quatuor Epiſcoporum per delegatos Commiſſarios cognoſcere tentaſſet, quo tempore plures in Gallia epiſcopi ſcriptis & ad Pontificem & ad Regem literis, utcunque expoſtularunt, & ipſi quatuor epiſcopi accuſati encyclicam ad omnes Franciæ Epiſcopos & Archiepiſcopos direxerunt, qua eos ad opem non tam ſibi quam receptis hactenus canonibus ferendam incitarunt, quas epiſtolas, excepta encyclica, huc apponere non gravatus eſt. Appendicis loco operi huic ſubnectit inſignia quatuor monumenta, quibus Eccleſiæ Gallicanæ libertas vindicatur, nempe I. Epiſtolam Caroli Calvi ad Hadrianum Pontificem de cauſa Hincmari Laudunenſis. II. Reſcriptum Concilii Duziacenſis de eodem negotio. III. Epiſtolam Caroli Calvi ad Johannem VIII. de judiciis ac appellationibus Epiſcoporum, & IV. Apologiam Concilii Remenſis a Gerberto conſcriptam.

RELATION DE L' INQUISITION DE GOA. i. e.

Relatio de Inquiſitione, quæ Goæ eſt, in India.

Lutetiæ apud Danielem Horthemels. 1688. in 12.

Quam horrendum *Inquiſitionis Tribunal* ſit, illi ſciunt vel maxime, quos ſiſtere ſe coram eo, fideique ſuæ rationem reddere oportuit; ſed ejus tamen arcana, & quas alioqui ſequatur rationes, non perinde innotuerunt hactenus; quod jurisjurandi religione obligentur ſinguli, quibus vitæ incolumitatem auferre hinc contigit, ſe nec quæ viderint, nec quæ audiverint, aliis eſſe enunciaturos. Cum itaque *Relationis præſentis Auctor*, homo Gallus & pontificiam religionem profeſſus, fati ſui infelicitate horum omnium triſte fecerit experimentum, Cap. I. publice intereſſe putavit, accuratiorem *Sancti* hujus *Officii* notitiam

lectoribus impertiri; nec conſcientiæ violati jurisjurandi, cum quibus
per quadriennium conflictatus erat, veritus ſcrupulos, quos dicit penitus ſibi exemtos ab amicis prudentioribus, jusjurandum illud injuſte
exactum, utilitatem vero publicam longe maximam, ad ipſos quin
etiam *Inquiſitores*, ſi velint, redundaturam ſubinde oſtendentibus.

Cap. II. Narrat igitur, quomodo delatus in Indiam cum varii generis hominibus ſermones de religione imprudentius miſcuerit, cumprimis de
effectu baptiſmi, adoratione & cultu imaginum, quam ceu ſuperſtitioſam
nimis cum improbare, & de juſtitia *Tribunalis hujus* non ita magnifice
judicare videretur, factum eſſe, ut ab iis etiam, quibus tanquam amicis ſinceris familiarius ſe dederat, hæreſeos apud *Commiſſarium Inquiſitionis* fuerit inſimulatus. Nam ſub pœna *excommunicationis majoris*, & quod hæc ab aliquibus non adeo metui videbatur, ſub pœna
illius criminis, quod in alio non revelaſſent, præceptum eſſe, ut ſinguli intra triginta dierum ſpatium ad ipſum indicent, ſi quid vel videndo vel audiendo perceperint, cujus cognitio ad *Inquiſitionem*
pertineat; qua re ſæpius fieri, ut amici amicos, parentes liberos, libe-
C. XXXVII. rique parentes zelo præpoſtero prodant perdantque; nec minori delicto imputari, admonuiſſe amicos, priusquam fuerint denuntiati.
Quod cum reſciiſſet *Auctor*, ſtatim ſeipſum, ait, *Commiſſario* ſtitiſſe reum,
C. IX, & XIX. & hanc quidem confeſſionem valde ad ſecuritatem ſuam profuturam
ſperaſſe, cum ex legibus inquiſitionis attineri nequeant, qui accuſatores ſui ipſius ſunt.
cap. X. Nihilominus clandeſtinis inſidiis præfecti urbis
d. 24. Aug. 1673. *Damanæ*, ubi hæc geſta ſint, & Sacerdotis cujusdam, *Sancti Officii ſcribæ*, ſuorum rivalium, circumventum ſe ſuccubuiſſe, adeo ut cum
cap. XI. minime omnium putaret, a rerum criminalium judice in cuſtodiam
cap. XII. & XIII. ſqualidiſſimam abductus, in eadem ultra quatuor menſes miſere detentus, & poſt preces ſuas pro libertate ubique deluſas, tandem cum aliis
1. Jan. 1674 captivis navi impoſitus, Goamque avectus fuerit.

cap. I. Non incommode autem obſervaverat *Auctor*, *Inquiſitionis Ju-*
cap. XXIII. *dicium* cum in Italia, Hiſpania, Luſitania, locisque eidem ſubjectis
in uſu habeatur, illam, quæ Romæ eſt in Italia, multo mitiorem eſſe
Hiſpanica; Hiſpanicam vero illis, quæ Luſitanici juris ſunt: nam quatuor in Portugalliæ regionibus id generis vigere tribunalia, Olyſſipone, Conimbricæ, Devoræ, & quæ in India Orientali urbs Luſitanorum primaria eſt, Goæ. Hanc ultimam jurisdictionem ſuam exten-

tendere in omnes regiones, quas ultra *bonæ ſpei promontorium* non exiguas Luſitani poſſident. Præter quatuor hæc tribunalia, *magnum Inquiſitionis concilium* conſtitutum eſſe, cui præſideat *Inquiſitor Generalis*, quod caput ſit reliquorum, & quod de rebus omnibus, quæ eveniant ubique, certius fieri oporteat. Et ſane non intermiſit *Auctor* totius *Inquiſitionis faciem*, prout *Goæ* eſt, accurate, quam potuit, delineare; quam & nos ductum ejus ſecuti, omiſſis tamen, quas hinc inde inſpergit, rebus geographicis paſſim obviis, utcunque repræſentabimus.

Ædem Inquiſitionis, quam Luſitani *ſanta caſa*, domum ſanctam appellitent, magnifice extructam *Inquiſitoribus duobus* ſplendida palatia, reliquam partem Inquiſitionis miniſtris manſiones, captivisque, ſæpe ultra ducentis, & ſeparatim fere habitis, cuſtodias præbere. Ipſos captivos ſic ſatis benigne haberi, ut tamen candidis noſtris Europæis multo adhuc ſit melius, quam nigris illis Indiæ indigenis; nec, qui pecunia inſtructi in eam calamitatem inciderint, mollius tractari, quam reliquos, quia illorum opibus pauperioribus proſpiciatur; carceres ut multo nitidius, quam alibi extructi ſint, ita & mundius haberi; tribus vicibus per ſingulos dies captivis porrigi cibum, qui fere ex piſcibus, oriza, non raro etiam ex carnibus conſtet. Haud minorem impendi curam in ægrotos; his enim ſtatim præſto adeſſe chirurgos & medicos; etiam morbo minitante ultima, confeſſionarios acciri, ſic tamen ut nullus in hac Inquiſitionis cuſtodia, nec viatico *corporis Domini*, nec *extrema unctione* donetur, uti nec ad conciones & *miſſam* admittatur, nec quidem librorum, & ſi ſacerdos ſit, *breviarii* particeps relinquatur. Quod jam ad illos pertinet, qui munere hic aliquo funguntur, *duos* refert eſſe *Inquiſitores*, unum *Magnum*, qui ſemper Sacerdos ſecularis a Rege nominetur, a Papa per *bullam* confirmetur; majori autem, quam Archiepiſcopus & Regis ipſius Vicarius, auctoritate inſtructus ſit, cujusque poteſtas ad omnes laicos & eccleſiaſticos pertingat, ſi *Archiepiſcopum*, *Magnum ejus Vicarium, Pro-Regemque* excipias: & alterum *Religioſum* ex familia *Sancti Dominici*. Inquiſitores iſtos, licet ampliſſimis fruantur commoditatibus, duabus tamen præterea rationibus inſignes ſibi accumulare divitias: cum enim captivorum opes ſectione facta per præconem divendantur, ſubmittere ipſos aliquem ex domeſticis, qui res dominis arridentes quam minimo licitentur, ſatisque ipſos jam ante ſecuros eſſe, nemi-

cap. XV.
cap. XVI.
cap. XIV. & XXXVII.
cap. XVII.
cap. XXIII.

neminem plus oblaturum, atque ſic maximi ſæpe pretii res dimidio aut minori etiam ipſis addici. Deinceps reditus bonorum confiſcatorum regio quidem inferri theſauro, ſed Inquiſitoribus jus eſſe, impenſis ſuis & neceſſitatibus ſubſidia atque ſumtus, quando & quantos libet, exinde poſcere, ut nec tamen aut ipſi oſtendant, aut quisquam alius inquirere audeat, cui uſui hæc omnia erogentur. Non autem facile
C. XXVIII. credi poſſe, quam indecora laborent rerum Theologicarum inſcitia; ut ille etiam, qui tum temporis munus iſtud ſuſtinuerit, ad dictum Joannis, *niſi quis renatus fuerit;* &c. hæſitaverit penitus, ſubdubitans, an & ubi locorum illud in ſacro codice legatur; neque cognitum habuerit, quæ vera ſit & genuina de adoratione ſanctorum *Concilii Tridentini* ſententia. Eſſe porro *Deputatos S. Officii*, multo majori numero, ex omni *Religioſorum ordine* adſcitos, quorum munus ſit, intereſſe ſententiæ in reos ferendæ, examini & ordinationi *Actionis* cum ipſis inſtituendæ, qui interim nunquam, niſi vocati, tribunali ipſi adſiſtere conſueverint. Eſſe *Qualificatores*, quibus commiſſa cura in libros ob hæreſin ſuſpectos inquirendi: nec iſtis etiam *tribunal* accedere fas eſſe, niſi quando referre quædam oporteat. Eſſe *Promotorem, Procuratorem, & cauſarum Patronos;* quorum ultimi tamen captivis nulli ſint uſui, niſi ut quæ ſecretiora ſunt, ab ipſis expiſcentur; cumprimis cum iſtis comites ſemper veniant judices ipſi, aut ex familia ipſorum in hoc miſſi, qui omnia captivorum dicta & ſermones arbitrentur. Eſſe *Sancti Officii Familiares*, qui nihil ſint aliud, quam *apparitores tribunalis;* nec deeſſe tamen, qui id genus officii ex Ducibus, Principibus aliisque magnæ dignationis hominibus ambitioſius ſibi depoſcant, & quamvis nullo gaudeant ſtipendio, abunde tamen ſibi ſatisfieri opinentur honore, tam ſancto inſerviendi Judicio. De cætero unum ſaltem ex iſtis ſe accingere ad arceſſendum accuſatum, cui magna incumbat neceſſitas ſine tergiverſatione ſequendi, niſi cujusvis obviantis manus in ſe concitare velit. Eſſe denique veri nominis *lictores, captivorum cuſtodem*, & *excubitores*, qui ne diffugiant miſeri, invigilent.

Quod vero ad *rationes, quibuscum agitur cum captivis*, equidem non temere de ſingulari *Sancti Officii* juſtitia atque bonitate vulgo
cap. XVIII. perſuaſum eſſe: nam & *Inquiſitorem ipſum* ſcriba ſtipatum & interprete ſingulis duobus menſibus captivos inviſere, ipſos interrogandi gratia,

gratia, ſi qua re opus habeant, an ſtato tempore apportetur cibus, & ſi quid de miniſtris ipſis ſit, quod conquerantur? Hæc tamen omnia in ſpeciem tantum fieri, quis dubitet? cum priusquam reſponſionis quippiam reponere poſſit captivus, occluſa derepente porta, comitatus iſte abire ſoleat. Sic qui ſe ipſos accuſent, ſuamque teſtentur pœnitentiam, antequam apprehendantur, manere liberos; apprehenſos non puniri pœna temporali ad mortem procedente, niſi manifeſte criminis convictos. Nec, ut ea infligatur, duos aut tres ſufficere *teſtes*, ſed requiri *ſeptem*. Quocunque vero peccato aliquis teneatur, *Sanctum Officium* pœna Eccleſiaſtica eſſe contentum, excommunicatione, bonorumque confiſcatione: quantum ad pœnam temporalem, quam debeat *jurisdictioni laicæ*, ſi confeſſus fuerit culpam, impune ipſum evadere, *Inquiſitione* pro ipſo intercedente; niſi ubi fuerit in idem delictum relapſus, tum enim brachio ſeculari traditum ab *Inquiſitione* totum deſeri; quæ tamen hoc nimirum apponat gratiæ, ut obtineat a judice, ſi morte utique reus afficiendus ſit, ſine effuſione ſanguinis id fiat, hoc eſt, comburatur. Enimvero quantumcunque favorem hæc omnia conciliare valeant Inquiſitioni, non deficere tamen longe plura, quæ non optimam de ea opinionem in animis hominum excitare idonea ſint. Scilicet teſtes nunquam cum accuſato committi, teſtiumque loco illos etiam adſciſci, quibus non niſi per quæſtionem teſtimonium eſt extortum, & qui vitam aliter ſalvare non poterant, niſi faterentur, quod nunquam factum eſt. Hoc *ſeptenario* contineri & ipſum accuſatum, cui per tormenta expreſſa eſt confeſſio criminis, a quo conſcientia ipſum pronuntiat eſſe immunem. Numerum etiam iſtum ad quinque ſæpius reſtringi, imo in nihilum abire, ubi nempe ex ſolis complicibus conſtiterit, qui cum a crimine ſint vacui, per ignis interminationem adigantur, ut accuſent innocentem. Hoc tantum myſterium ut cognoſcatur liquidius, exempli loco ſiſtit, cui *Judaiſmi* nota intenditur. Ubi Judæos annotat a Ferdinando Arragoniæ Rege ex omnibus Hiſpaniæ regnis exterminatos, a Luſitanis fuiſſe receptos, hac tamen lege, ut Judaicis ritibus depoſitis Chriſti diſciplinam amplecterentur; quod cum ab ipſis promte factum eſſet, odio in Judæos rem eo rediiſſe, ut ipſorum familiæ a reliquis familiis diſcriminarentur; Judæique converſi, & omnes in hunc usque diem ab iis deſcendentes

cap. XIX.

Chriſtiani novi, uti cæteri *antiqui*, dicerentur; inter quos cum perpetua adhucdum ſit invidia atque obtrectatio, cogi *Chriſtianos novos*, ut, cum reliqua fere converſatione ex: .dantur, inter ſe familiarius vivant; id quod odii prolixioris & harum ipſarum accuſationum ſuppeditet materiam.

cap. xx. Jam cum *Chriſtianus ejusmodi novus*, cæterum Chriſto ſincere addictus, juſſu *Sancti Officii* comprehenſus, & a ſeptem vel quinque teſtibus accuſatus ſit, illum equidem, conſcientiæ ſuæ confiſum, & quod promittant Inquiſitores, ſi innocens reperiatur, omnia redditurος, bona ſua, quod poſcitur, fideliter recenſere; quæ tamen illi e veſtigio haſtæ ſubjiciant, ſatis certi, eadem domino nunquam reſtituere. Poſt aliquot menſes accerſere judices hominem, & ex eo requirere, num ſatis bene ſciat, cur in cuſtodiam datus, & in hunc locum conſtitutus ſit? Illo vero rerum omnium ſe ignariſſimum eſſe contendente, non deſiſtere eos ſedulo ipſum cohortari, etiam atque etiam hac de re cogitet; eſſe enim expeditam hanc rationem, qua ſalvus hinc evadat, confiteri delictum; atque ſic reddi ſuæ cuſtodiæ; hanc vero interrogationem aliquoties repeti, eidemque, cum eadem captivus reſpondeat, ſimiles adjungi admonitiones. Et hæc

cap. xxii. omnia facere judices, non quod tantopere de vita reis conſervanda laborent, ſed partim ut bona jure ipſis ademiſſe videri queant; (cum moris ſit, illorum æque, qui ultro ſe accuſarunt, quam in quos mortis pœna animadvertitur, facultates publicare; quare & nihil non agant judices, ut captivis confeſſionem delicti quacunque ratione, ad ultimum per quæſtionem eliciant:) partim ut *Tribunalis* lenitas ſpecioſius in vulgus prædicetur, ſi innotuerit, mortem ſua confesſione commeritis tamen donari vitam, ademptis modo legitime rebus & opibus ipſorum; quod quidem bonitatis imitamentum non parum conferat ad auctoritatem & ſanctitatis opinionem, ſine qua

cap. xx. ſubſiſtere non poſſit, *Inquiſitionis Judicio* conſtituendam. At cum *actus fidei* habendi tempus propius immineat, adeſſe *Promotorem*, captivo denuntiaturum, eſſe ipſum ab inſigni teſtium numero accuſatum, quod ſuperſtitionem Judaicorum rituum ſecutus ſit: adjurari ipſum per viſcera miſericordiæ Chriſti, ut ne diffiteatur amplius culpam, nec perdere ſemetipſum pergat. Si in negando adhuc pertinax ſit, condemnari ipſum veluti *convictum negativum*, qui convictus quidem

quidem facinoris, nihil tamen ejus confeſſus ſit, dedique brachio ſeculari, igni immolandum. Ubi tamen iterum iterumque admoneatur, adhuc tempus eſſe, ne negligat edere confeſſionem peccati; quæ omnia, ſi nihil quicquam valeant, ſignificari ipſi mortis ſententiam in ipſum latam, idque fieri *die Veneris*, cum mox ſequente Dominica *actus fidei* celebretur. Hanc denuntiationem fieri præſente lictore *juſtitiæ ſecularis*, qui continuo reo injiciat funem, in ſignum ſcilicet, ſui ipſum jam juris eſſe, poſtquam a *Jurisdictione Eccleſiaſtica* deſtitutus ſit. Hoc tempore etiam intromitti ad eum *Confeſſionarium*, qui neque interdiu neque noctu a latere ejus diſcedat, nec ſegnius ipſum ſollicitet urgeatque, ut crimen, cujus poſcitur, confiteatur. Quid agat nunc homo in tantas anguſtias redactus? Si usque ad *diem Dominicam* negare perſeveret, conclamatam ejus vitam eſſe. Neque eo ſecius dari non paucos, qui intrepide mortem ſubire eligant potius, quam dedecoris ſibi impacti mendacio ſuo reum ſe facere, & vix inter centum hoc modo ſublatos reperiri quatuor, in Judaiſmo morientes; cæteris ad extremum halitum, ſe eſſe Chriſtianos, & fuiſſe ſemper, ſuamque ſpem omnem in Chriſti merito ſibi eſſe repoſitam, clamantibus; at *Inquiſitorum* auribus ad hæc omnia ſurdis & occluſis. Si vero ſui ipſius accuſator ſit, infamem miſerumque ad omnes vitæ dies a ſe ipſo conſtitui. Quod ſi tamen mortis horrore & vivendi cupiditate victus conjecti in ſe criminis nocentem ſe faciat, juberi minutiſſimas peccati circumſtantias exponere, nec ſic tamen omnibus moleſtiis defunctum, ut non majoribus impediatur. Si enim ſincere ipſum pœniteat facti, agedum, non ſaltem nominet accuſatores ſuos, verum illos etiam, qui cœtui mores & conſuetudines Judaicas exercenti interfuerint? *Illos* autem quomodo innocentiſſimus divinando aſſequetur, aut *hos* quales effinget? Quapropter in tantam neceſſitatem conjectum non poſſe non, quin cognatos, amicos, vicinos aliosve ex *Chriſtianis novis*, quibuscum frequenter eſſe ſolet, recogitet, & ut numerum illum ſeptenarium adimpleat, magnam copiam producat innocentium; id quod ſufficiat ſæpe, ut ipſi apprehendantur, eo usque in cuſtodia detinendi, dum procedente tempore ſeptem contra ipſos poſſint allegari teſtes, demumque ad ignis ſupplicium condemnari. Eandem eſſe rationem cum illis, qui ex Chriſtianis novis *ſodomiæ* aut *veneficii* poſtulentur; cap. XXII.

lentur; nam plurimos ipſorum ſuperſtitione gentilium paulo ante imbutos, tam cito ſe eadem expedire non poſſe. Eandem eſſe cum gentilibus, Muhammetanis, aliasque religiones ſectantibus rationem. Quamvis enim Luſitaniæ Rex conſcientiæ libertatem permittat, *Inquiſitionem* tamen, permiſſionis hujus interpretem, ſatis eſſe cenſere, ſi quisque ſua in religione degat, illum tamen reum fieri, qui eam exerceat. Ubi & illud adjicitur, quod cum inquiſitio mortis pœnam in *Chriſtianos* ſaltem *relapſos* ſtatuat, Muhammetanos autem, & gentiles delinquentes, exilio, fuſtibus aliave pœna coerceat, etiamſi vel centies idem peccatum admiſerint, deterreantur multi hac ratione, ne ad Chriſtianam religionem ſeſe conferant.

cap. XXIV. Nec humanius & æquius ſecum fuiſſe actum commemorat *Auctor:* poſtquam enim ad preces plus ſemel factas ante judicem conſtitutus fuerit, poſtulatum ab ſe, ut impoſita *Miſſali* manu juraret, ſe & dicturum veritatem, & in arcanis omnia habiturum eſſe; quo jurejurando omnes, qui aut ut teſtes aut ut rei audiuntur, obſtringantur; & poſtea cum interrogaſſet *Inquiſitor*, num ſciret, cujus gratia adeſſet? cumque longa ſerie ipſe confeſſus eſſet omnia, & hæc ipſius declaratio, exhortatioque judicis ab aſſidente ſcriba conſignata & a ſe ipſo ſubſcripta fuiſſet, quod ſemper fieri ſoleat, ſe iterum eſſe

cap. XXV. dimiſſum: ſecunda vice cum eſſet auditus, quæſtionem fuiſſe, numquid eſſet *Chriſtianus octo dierum?* (nam in Luſitania octavo demum die baptiſmatis fonte ablui infantes;) quis ipſum ſacerdos, & in qua urbe baptizaſſet? & multa præterea alia cum ex eo quæſita fuiſſent, ipſeque appoſite multa reſpondiſſet, in carcerem ſe contra votum eſſe remiſſum. Nam ſpem foviſſe, fore, ut facta hac ingenua con-

cap. XXVI. feſſione in libertatem mox reſtitueretur, quæ cum ipſum decepiſſet,

XXVII. & fame, & venæ inciſione, inciſæque diſruptione, vitæ & longarum

c. XXIIX. ſe miſeriarum finem facere ſed fruſtra voluiſſe. Verum quartum cum audiretur, allatum eſſe libellum, qui imputata ſibi delicta, & multa præterea conficta continuiſſet, ut ſi quæ haberet, reponeret, aut confiteretur ſingula. Quod cum aliqua confitendo, aliqua excuſando, aliqua negando feciſſet, *Promotorem* ultimam in ſe ſententiam ſubjeciſſe: ipſum incurriſſe *pœnam excommunicationis majoris, confiſcationis bonorum* regio ſcrinio inferendorum, utque traderetur

c. XXXVII. brachio ſeculari, flammis ſecundum leges uſtulandus. Nos hic capita,

pita, in quibus injuſtitiæ non unius in ſe commiſſæ Auctor *Inquiſitionem* incuſat, ut & ea quæ affert contra titulum *Sancti Officii*, quem nimis inconvenienter *Inquiſitioni* vindicari ait, ſilentio transmittimus, qui potius habemus, *actum hujus judicii ultimum*, quem *Actum fidei* nuncupant, quique ſingulis tribus vel duobus annis fere habetur, contemplari.

Igitur cum ultra duos annos tam diri carceris ſuſtinuiſſet calamitatem, memorat adfuiſſe tempus, quo demum ſpes cuſtodia egrediendi propius affulſerit. Tum enim captivis univerſis peculiaria indumenta, pictis utplurimum dæmonibus fœdata, alia tamen rogo imponendis, & alia, quibus vitæ gratia decreta fuiſſet, exhibita; ipſosque etiam poſtridie diverſos, & hos quidem in ſpatioſum ambulacrum, illos in vicinum aliquod conclave adjunctis Confeſſionariis deductos, & poſt duas horas, cum magna campana populum undique ex India affluentem ad funeſtum ſpectaculum invitaſſet, ita quidem cum cereis in manu fuiſſe emiſſos, ut e viris Goæ primariis unus ſemper latus rei cinxerit, tanquam futurus ejus *fidejuſſor*, quibus hoc ipſo non parum honoris ſibi haberi, perſuaſio ſit. Prælatum *Sancti Officii* inſigne, *Auctorem* videlicet ejus, opere phrygio affabre effictum, qui gladium teneat in una, & olivæ ramum in manu altera, additis verbis: *Juſtitia & Miſericordia.* Hoc ſecutum *Dominicanorum Ordinem*, quibus hoc *jus & privilegium* ſit proprium, quod hujus familiæ auctor *Dominicus*, non minus & *Inquiſitionis* fuerit *repertor.* Iſtum excepiſſe captivos, quorum qui in minori culpa fuerint, præiverint, *Auctor* vero in medio quaſi inceſſerit. Cum ita per plateas urbis Goæ præcipuas non ſine incommodis eſſent circumducti, in proximo adſtitiſſe templum *Sancti Francisci*, ſolennitati huic celebrandæ hoc tempore deſtinatum. Magnum altare panno nigro ſuperinſtructum, ſuperque eo lychnuchos ſex cereis inſtructos eminuiſſe. Ad illius latera aliquid throni inſtar habentis apparuiſſe, quodque a dextra, Inquiſitoribus eorumque conſiliariis; quod a ſiniſtra fuerit, *Pro-Regi* ejusque miniſtris ſedem mox præbuiſſe. E regione altaris, aliud minus, & hinc usque ad templi portam, longam adfuiſſe porticum, ſellis conveſtitam undique, ad recipiendos captivos cum ſuis ſponſoribus comparatis. Illud vero nunc obſervari licuiſſe, ordinem hunc clauſiſſe illos, qui magiæ fuiſſent po-

cap. xxx. *d. 11. & 12. Jan. 1676.*

cap. xxxi.

c. xxxii.

ſtulati, & poſt ipſos geſtatam ingentem *cruci affixi* imaginem, cujus facies proſpectaverit præcedentes; idque indicaſſe, veniam ipſis indultum, vitamque condonatum iri, ſed ſubſecutos eſſe duos, & quatuor ſtatuas forma humana expreſſas, illorumque oſſa, quos ſtatuæ repræſentaverint; & hos quidem homines una cum oſſibus apportatis ad ignis ſubeundum ſupplicium, præciſa ſpe omni obtinendæ miſericordiæ, fuiſſe damnandos. Nam & in mortuos poteſtatem eſſe *Inquiſitoribus*, ſive in ipſos ſententia dicta ſit ante ipſorum deceſſum, ſive poſtea etiam, ſive durante ipſorum captivitate, ſive antequam includerentur carceri, ex vita migraverint, quo caſu exhumata ipſorum oſſa, *Actui fidei* hoc modo illata, rogo imponi, bona confiſcari, deturbatis longo jam tempore poſſeſſoribus, qui alias legitime in eadem ſucceſſerant.

c. XXXIII. Intraviſſe paulo poſt *Inquiſitorem* ipſum, ſuis ſtipatum collegis, *tribunalque* excitatum occupaſſe; idemque cum ſuis etiam feciſſe *Pro-Regem.* Tum vero *Provincialem Auguſtinorum* concionem adſcendiſſe, & verba in rem præſentem per dimidium horæ ſpatium feciſſe. Eo finito ſermone duos *Lectores* in eandem cathedram ſe alternis recepiſſe, publice prælecturos in ſingulos *Actionem*, & denuntiaturos, cui pœnæ ſufferendæ condemnati eſſent. Illum, cujus *Actio* fuiſſet prælecta, interea in medium illius porticus conſtitutum, & poſt pronuntiatam ſententiam ad pedes altaris fuiſſe adductum, ubi flexis genibus, manibusque *Miſſali* impoſitis, cum parte reliquorum reorum alta voce injunctam & prælectam confeſſionem ſecutus ſit, & poſtmodum in ſuum locum rurſus ſe receperit. Itaque ſe ordine ſic ferente, memorat *Auctor*, excommunicatum, bona ſua Regis ærario addicta, item ex India ſibi tam chara ſe exterminatum, & ad
cap. XLIV. carcerem Luſitaniæ, quem *la Galere* ideo vocitent, quia in locum iſtum ad id genus navigiorum damnati, quo careant Luſitani, mitti conſueverint, fuiſſe damnatum, præter ſatisfactiones adhuc a Judice
c. XXXIV. ſibi imponendas. Quibus peractis Epiſcopum, ſacro nunc indutum habitu, & viginti ſacerdotibus comitatum, quorum virgam quisque geſtaſſet in manu, in medio templi conſtitiſſe, & poſt varias preces *excommunicatione* reos ſolviſſe, Sacerdotibus unicuique illorum virga ictum infligentibus. Ad ultimum *actionem* quoque fuiſſe prælectam in illos inſtitutam, quos propter relapſum & magiæ facinora

nora ignis pœna manſerit; ſtatimque imminuiſſe *lictorem juſtitiæ ſecularis*, qui mortis has victimas ſibi vindicaverit; &, dum reliqui voce judicis in tantum abſoluti, a fidejuſſoribus ſuis in vetus hoſpitium *Inquiſitionis* eſſent reducti, ad rogum abripuerit. Ubi damnati ejusmodi interrogari ſoleant, in qua religione mori velint: ſi in Chriſtiana reſpondeant, ſtrangulari prius; ſi in Judaiſmo aut hæreſi, vivos concremari. Poſtridie combuſtorum imagines templo *Dominicanorum* inferri, expreſſa ſaltem figura capitis ardentibus titionibus impoſiti, & in ſubſcriptione mentione facta illorum parentum, patriæ, delicti, temporisque inflicti ſupplicii. Huic, qui bis in idem impegerit crimen, ſubſcribi: *combuſtus ut relapſus.* Si una ſaltem vice accuſatus aliquis, in crimine & errore defendendo pergat, infra legi: *combuſtus ut hæreticus contumax;* Si a ſufficienti teſtium numero accuſatus, ſe tamen innocentem dictitet, appingi: *convictus ut hæreticus negativus.* Se vero, ſcribit Auctor, poſt brevem perceptam catecheſin, pœnitentiasque ſibi injunctas, navi impoſitum, & in Luſitaniæ regnum novem menſibus abductum fuiſſe; ubi Olyſſipone in carcerem ſupra memoratum detruſus (cujus & deſcriptionem addidit accuratam) ſed interceſſione medici Reginæ palmarii, hominis Galli, exinde liberatus, & patriæ ſuæ poſtliminio incolumis fuerit reſtitutus.

cap. XL. *d. 27. Jan. d. 16. Dec. 1676.* cap. XLI. XLIV. *d. 39. Jan. 1676.* c. XLVI.

IL MOSE DELL' IBERNIA.
Vita del Glorioſo S. Patrizio.
i. e.
MOSES HIBERNIÆ.
Vita S. Patricii, Canonici Regularis Lateranenſis, Apoſtoli & Primatis Hiberniæ, conſcripta per Abbatem D. Jacobum Certani.
Bononiæ 1686. in 4.

De *S. Patricio* rebusque ejus geſtis paſſim apud Scriptores, maxime Anglos, perquam multa memoriæ prodita reperiuntur. Nemo tamen omnium eſt, qui prolixiorem, &, ſi fas eſt ita appellari conſuetum Italis ſcribendi genus, politiorem illam nobis tradat Abbate hoc *Certano*, Canonico Regulari Lateranenſi, Philoſophiæ Docto-

Doctore, Theologo Collegiato, inque Academia Bononienſi Philoſophiæ Moralis Profeſſore Publico. Ordinem temporis minus aliquando ſervatum, ipſemet in præfamine queritur. Et qui aliter fieri potuit, in tanta rerum inveteratarum obſcuritate? Equidem quamdiu ducem ſequitur *Johannem Colganum*, Divorum Patricii, Columbæ & Brigittæ Acta ex S. Fieco Epiſcopo Sleptenſi, Patricio quodam juniore, S. Benigno Epiſcopo Armachano, S. Elerano Sapiente, Probo, Jocelino de Furnes, S. Evino denique, in *Triade* ſua *Thaumaturga* proſequentem, a veri via ſe vix aberraſſe credit. An vero nimium Colgani fidei tribuat, Pontificii cordati ipſimet judicent. E noſtratibus nemini non ſuſpecta erit ſtupenda illa concatenatorum innumerorumq; miraculorum copia, a quibus nec in utero vacare potuit Patricius. Sunt certe, de quorum veritate Auctor ipſe dubitat; nec obſcurum eſt, aliorum ſequi fidem quam ſuam maluiſſe. Natus vero eſt Patricius A. O. S. 373. d. 5. Aprilis, in Cornubiæ caſtello, Nemh-Thor, temporis injuria deſtructo, nec hodie noto. Pater fuit Calfurnius, mater Conqueſſa S. Martini Epiſcopi Turonenſis ex ſorore neptis. Nato inditum fuit nomen Sochet, quo appellabatur usque dum ſervus per captivitatem factus, cum libertate nomen quoque mutare cogeretur, Cosbrighius a domino dictus. Sed miraculo quodam priſtinæ libertati redditus, prius nomen reſumſit; quo minus tamen eo diu gauderet, obfuit S. Germanus, noſtri magiſter. Ab illo enim Magonii nomen, non ſine Magni omine, Patricio datum fuit. Verum Celeſtinus I. Papa, Patricium eum vocari voluit, *quod nomen magni honoris erat eo tempore, indicabat enim liberatorem a carcere & redemtorem captivorum*, uti verbis S. Euvini docet Auctor. Scilicet Gentiliſmi, quibus laborabat, tenebris eripere Hiberniam, & ita Evangelii luce eam colluſtrare Noſter jubebatur, totius Inſulæ Archiepiſcopus a Celeſtino declaratus. Nec male ceſſit negotium: Noſtri enim cura & exhibitis abundanter miraculis, brevi poſtea factum eſt, ut non ſolum confluerent ad Chriſtianam fidem incolæ, ſed & ipſi Dæmones, (ſit fides penes Auctorem) ſeptem annos, ſeptem menſes & ſeptem dies, exulatum aufugerent. Imo ſunt, qui auſpiciis Sancti noſtri carere credunt Hiberniam omnibus venenoſis; de quo tamen merito Auctor dubitat, Solino jam ſuo tempore hoc naturæ beneficium in Hibernia prædicante. Idem fortaſſis erit judicium

cium de rebus aliis, quæ a natura hoc vel illo modo elaborata, miraculis Patricii gratis adſcribuntur. Hujusmodi ſunt quæ de ſterilitate fluminis Sianei, & fœcunditate fluminis Bannæ, deque aliis Auctor prolixe prædicat, a nobis ſicco pede prætereunda. De famoſo illo S. Patricii Purgatorio Scriptores, etiam Pontificii, inter ſe non conſentiunt. Sunt enim qui nihil ſingulare in eo ſe potuiſſe agnoſcere, modeſte fatentur. Sunt vero etiam qui ſtupenda narrant, inter quos eſt Matthæus Pariſienſis, in Chronico ad an. 1153. Falſa certe veris miſceri Auctor agnoſcit; unde ſibi ſufficere ait, antri prodigioſi conditionem, & modũ pœnitentes introducendi hodie obſervatum deſcripſiſſe. Scilicet antequam in cryptam abſcondi poſſit pœnitens, novem dies continuos cibo omni potuque abſtineat, neceſſe eſt. Solo pane ſub cineribus cocto & aqua vitam tolerare jubetur. Quo facto, in Templum S. Patricii nudipedem introductum, abſolutis rite precibus, ſepties parietes templi interioris circumire oportet, idemque poſtea circa cellulas, ut vocant, pœnitentiales prope Purgatorium facere, non quidem pedibus eas obeundo, ſed nudatis genubus. Hinc ad crucem ſeſe confert in medio areæ poſitam, qua adorata aliam accedat oportet, ſaxa inter incondita lapidesque acutos eminentem. Ut vero conceptos inde dolores abſtergat facilius, parvum lacum intrat, in cujus fundo marmor reperitur impreſſis Sancti noſtri veſtigiis ſacrum. Idem opus diebus ſeptem continuis ſemel, octavo tamen bis pœnitenti eſt faciendum. Tandem, facta confeſſione, ſolenni ritu Purgatorio horis quatuor & viginti includitur, præter vas aqua repletum cibo omni deſtitutus. Quæ vero incluſo per dictum tempus accidant, prolixe referre tutum non fuit viſum Auctori; quapropter & nobis hinc recedendum erit. Id ſolum addimus, deceſſiſſe ex hac vita Patricium d. 17. Martii A.O.R. 493. ætatis 120, apoſtolatus 60.

FRIDERICI SPANHEMII FIL. PROFESSORIS IN ACAD. Lugd. Bat. Primarii Vindiciarum Biblicarum ſive Examinis locorum controverſorum N. T. Liber 3.

Lugduni Batavorum apud Joh. Verbeſſel, 1685. in 4.

PArentis ſui, cui tria Dubiorum Evangelicorum in prioribus Evangeliſtarum capitibus occurrentium volumina debemus, exem-

 plum

plum imitatus Cl. Spanhemius, Vindicias locorum controverſorum Novi Teſtamenti jampridem adornare cœpit, quarum liber primus & ſecundus ad priora Matthæi capita A. C. 1663 Heidelbergæ prodierunt. Ab illo tempore aliis ſcriptis occupatus Auctor, paucis demum abhinc annis tertium Vindiciarum librum in lucem prodire paſſus eſt. Incipit ille a loco Matth. XVI, 18. cujus examen in fine libri ſecundi jam inchoaverat quidem Spanhemius, ſed ob Typographi feſtinationem abſolvere non potuerat. Denuo igitur locum illum aggreditur, & cum jam in libro ſecundo probaverit, Petrum & fictitium ejus ſucceſſorem Pontificem Romanum, nequaquam pro ſupremo totius eccleſiæ Monarcha & œcumenico Pontifice agnoſcendum eſſe, ſi vel maxime conſtaret, Petrum a Chriſto petram ſeu eccleſiæ fundamentum appellari; nunc ulterius Petrum petram illam eſſe negat, cui Chriſtus eccleſiam ſuam ſuperſtruxit, & ad ſingulas Pontificiorum inſtantias & exceptiones nervoſe reſpondet. Poſtea quam inepte Pontificii eodem dicto ad ſtabiliendam Pontificis Romani infallibilitatem & perpetuam eccleſiæ viſibilitatem abutantur, eadem methodo demonſtrat.

Hoc dicto ſatis vindicato, pergit ad locum Matth. XVI, 19. de cœli clavibus agentem, ex quo ſeptem errores incruſtari aſſerit, nempe 1. collatum Petro primatum, 2. translatum a Petro ad Romanos Pontifices jus ſucceſſionis in illum primatum, 3. eorundem Pontificum ſupremum & infallibile in fidei controverſiis judicium, 4. poteſtatem coactivam legislatoriam, & obligatoriam in conſcientiis circa ſpiritualia omnia credenda & facienda, quam itidem Pontifici Romano Papiſtæ tribuunt, 5. poteſtatem concedendi indulgentias, vel imponendi ſatisfactiones & opera pœnalia, 6. primatum Epiſcoporum ſuper Presbyteros, & 7. denique auricularis confeſſionis neceſſitatem. Singulorum probationes adducit, & in his Chriſti verbis minime fundatas oſtendit. Progreditur inde ad locum Matthæi XVI, 24. 25. ex quo neque conſilia Evangelica a Pontificiis, neque vires liberi arbitrii ab iisdem & Remonſtrantibus, neque nova legis moralis additamenta per Chriſtum facta a Socinianis & Remonſtrantibus probari poſſe aſſerit. In ſequenti loco, qui Matth. XVI, 27 legitur, primum contra Socinianos Chriſti divinitatem impugnantes; deinde contra Lutheranos, quos Ubiquitarios

vocat,

vocat, communicationem idiomatum in Chriſto aſſerentes, & contra Pontificios operum merita urgentes diſputat. Reliquæ vindiciæ hujus libri concernunt dicta Matth. XVII, 2. 5. 11. 24 & ſeq. Matth. XVIII. 3, & 6. 10. 17. 18. 20. 24. & ſeq. Matth. XIX, 3. & ſeq. Sequentes vindiciarum libros Typographus in præfatiuncula non ante lucem viſuros monet, quam hiſtorica Autoris ſcripta ad umbilicum perducta fuerint.

LA CREANCE DE L'EGLISE ORIENTALE, SUR la Tranſubſtantiation, avec une réponſe aux nouvelles objections de M. Smith.

Hoc eſt,

Fides Eccleſiæ Orientalis de Tranſubſtantiatione, cum reſponſione ad noviſſimas objectiones Dn. Smithii.

Pariſiis, apud Th. Moette, 1687. in 12.

QUanquam ex longo intervallo Latina & Græca Eccleſia diſſentiunt, & mutuo ſe odio & conviciis proſcindunt; neutra tamen alterius teſtimonium contemnit, ſi vel antiquitas doctrinæ, vel uſus longe lateque receptus, contra adverſarios probandus eſt. A tranſubſtantiationis dogmate immunes adhuc Græci fuerunt habiti: nuper autem, qui Romanas partes tuentur, ad Græcorum conſenſum cœperunt provocare, qui ideo verbum μετουσίωσις formaſſe perhibentur, ut idem exactiſſime confiteantur, quod Romani credunt & docent vocabulo *Tranſubſtantiationis.* Proteſtantes improbarunt verbum, ut inauditum in veteri Græcia, nec majori auctoritate innixum, quam ſuſpecta Gabrielis Philadelphienſis. Is Archiepiſcopus inſolentem vocem in Latinorum gratiam confinxiſſe credebatur, quod Claudio Charentonenſi, Reformato Theologo, eo pronius ad fidem habendam fuit, quo callidius egiſſe Cardinalis Perronius videbatur, cum, cæteris hujus materiæ Græco idiomate productis, ſolius Gabrielis teſtimonium Latine tantum allegaſſet. Poſtquam vero Gabrielis Opera Pariſiis A. 1671 tam Græce quam Latine recuſa fuerunt, quæ ineunte noſtro ſeculo Venetiis Græce impreſſa erant; putant diremtam hanc litem fuiſſe, ante omnium oculos expoſito libro, de quo, ut ficto & ſuppoſititio dubitatum fuerat. Viciſſe

ſibi Romani videbantur, cum clariſſimus Smithius, Anglus Oxonienſis, alia illos via, aliisque armis aggreſſus eſt, contra quem hoc ipſo libello P. Simon, ſcriptor non incelebris, depugnat. Hunc enim autorem hujus libri eſſe, ex præfatione non obſcure cognoſcitur. Smithius quamvis verum, non ſuppoſitum, Gabrielem noſſet, ſuſpectum tamen eo uſque habet, ut credat, Pontificiorum conſuetudini, qua Venetiis uſus erat, hanc novam & inſolentem vocem debuiſſe. Jeremiam certe, ipſius Gabrielis Patriarcham, & Græcos contra Cyrillum Lucarem, quorum Synodales cenſuræ typis exſcriptæ ſunt, ut & alios tam recentes, quam veteres in Liturgiis, & Symbolis, ac Confeſſionibus hoc verbum ignoraſſe, ut potius ſacra illa ſymbola, etiam poſt conſecrationem, ἀντίτυπα corporis & ſanguinis Chriſti appellarint. Ad hæc Simonius cap. I reſpondet, Gennadium, integro ſeculo antiquiorem Gabriele, & primum poſt captam Conſtantinopolim Patriarcham, promiſcue verbis μετουσιώσεως & μεταβολῆς in hoc myſterio uſum eſſe. Errare ergo, qui Gabrielem ejus primum autorem ſtatuant. Nec hunc in Latinorum partes allectum fuiſſe, qui contra Florentinum Concilium ſcripſerit, defenſor Marci Epheſini, & amicus Meletii, infenſiſſimorum Latinæ Eccleſiæ. Jeremiam, quem Smithius objecerat, non quidem verbum μετουσιοῦσθαι, attamen, quod idem valet, μεταβάλλεσθαι habere, perinde ac cæteros μεταστρέπειν, μεταποιεῖν & ſimilia. Uſos præterea μετουσιώσεως verbo Gregorium Protoſyncellum Synopſi Venetiis A. 1635 impreſſa, & Meletium Syrigium MSto contra Lucarem, qui etiam longa illud diſſertatione defendat. Gerganum quidem, Artenſem Epiſcopum, negare Tranſubſtantiationem, uti etiam Meletium, Metropolitanum Epheſinum, quem Claudius Charentonenſis objecerat: ſed illum ait Autor purum Proteſtantem eſſe; hunc etiam venerationem Mariæ & Sanctorum, contra receptam Græcorum conſuetudinem, abnegare. Liturgiis & antiquis Symbolis, contra hanc vocem objectis, reſpondet Autor, argumentum negativum eſſe; & contra Proteſtantium morem ad antiquitatem & Symbola provocari: etiam contra Calvinum negari ὀνοματοποίησιν, qui in Servetiana cauſa id maxime pugnaverit, ut liceat Eccleſiæ vocabula formare, quibus myſteria explicarentur. *Antitypa* vero non ab omnibus appellari ſancta ſymbola, idque verbum

ex Liturgia Baſilii & Concilio Nicæno II recte explicandum eſſe.

Hactenus ex I. Capite hujus libri. Quæ contra hæc Cl. Smithius excepit, examinantur ſequentibus. Sunt autem: Gennadii teſtimonium ex fide Meletii Syrigii haberi, Græculi tenebrionis & obſcuri hominis, etiam Pontificiis addicti, cujus librum ne ipſi quidem Latini in lucem proferre audeant: nec Jeremiam, qui ſcrutatus eſt archiva Eccleſiæ ſuæ, idem de Gennadio referre, quod Syrigius: Gabrielem Philadelphienſem imbecillitate judicii non intellexiſſe Latinorum terminos ſcholaſticos: obſcuris monachis Metrophanem Critopulum, & Gerganum Aſtenſem opponi poſſe, recentes negatores Transſubſtantiationis. His reſpondet Autor, Gennadium ſua plurima ſcripſiſſe poſt Patriarchatum in monaſterio. Mirum ergo non eſſe, ſi ſcripta ejus in Patriarchali Eccleſia non fuerint reperta. Multis verbis ibidem contra Allatium probat, Gennadium hunc & Georgium Scholarium eundem eſſe, Secretarium Joannis Imperatoris & Concionatorem; poſt Patriarcham: tandem, abdicato Pontificatu, monachum. Meletium Syrigium non obſcurum hominem fuiſſe, nec Romanis obnoxium, ſed Protoſyncellum & Patriarchæ legatum in Moldavia, Exarchi titulo inſignitum, etiam teſtimonio Nectarii Hieroſolymitani Patriarchæ, & Concilii ibidem nuper habiti, laudatiſſimum. Hunc Meletium Syrigium eſſe, qui cum primis Cyrillum Lucarem, editorem Confeſſionis, in ſententiam Reformatorum inclinatæ oppugnaverit, qui tamen de Confeſſione illa ſubdubitet, an genuinus fœtus Cyrilli ſit, nec potius ab alio in gratiam Legatorum ad Portam, Reformatæ religioni addictorum, ſub nomine hujus Patriarchæ conficta. Sed quoquo modo de Cyrillo res habeat, hoc certum eſſe Simonius addit, etiam Grotii conſenſu probat, impoſtorem fuiſſe Confeſſionis illius autorem, quæ ſub Cyrilli Patriarchæ nomine Genevæ primum, deinde in Belgio Græce & Latine ſit edita. Gabrielem, pergit, non laboraſſe judicii debilitate, quamvis cum Lucare non comparandus ſit. Eadem enim quæ Smithio ſuſpecta ſint, Simonem quoque Theſſalonicenſem & alios ſcripſiſſe, quos vero nemo imbecillis judicii accuſare audeat. Laudari eundem quoque a Cruſio in Turcogræcia, quæ literas quoque contineat, a Cruſio ad hunc Philadelphienſem Archi-

epiſcopum datas. Nec cæteros, qui in partes vocentur, Agapium de Monte Athos, Coreſſium, Gregorium, Cortacium, & horum æquales, obſcuros monachos eſſe, ſed ſatis claros ex ſubſcriptione Confeſſionis Orthodoxæ. Critopulum vero & Gerganum Artenſem his minime opponi poſſe, utpote manifeſto inſervientes cauſæ Proteſtantium. Et hæc usque ad VII Caput pertractantur, quo tandem de adoratione Sacramenti agitur, quam Græcis quoque uſitatam eſſe Autor propugnat, licet oppido concedat, in ceremoniis illos parciores eſſe, quam Romanos. Poſt hæc, Excerpta quædam Græco-Latina ex Gennadii & Meletii Syrigii libris de Tranſubſtantiatione ſubjungit, etiam quædam ex Thomæ Aquinatis Verſione Græca, ut oſtendat, Græcis quoque doctoribus Latinam Theologiam curæ cordique eſſe. His tandem Catalogum librorum recentis Græciæ, quorum teſtimoniis in hoc libro uſus erat, ſubjungit, non ingratum eruditis opuſculum, unde de noviſſimis libris, & loco ac anno impreſſionis judicari poteſt. Sunt autem, Agapii Religioſi Cretenſis liber dictus *Αμαρτολῶν Σωτηρία*, impreſſus Venetiis 1641 & 1664: Confeſſio Orthodoxa (*Ορθόδοξος Ομολογία*) ſtudio Panagioti, Turcici Interpretis, Græco vulgari idiomate in Batavis excuſa: Georgii Coreſſii, genere Chii opera; & Michaelis Cortacii Cretenſis, impreſſa Venetiis 1642: Cyrilli Lucaris Confeſſio ſcripta 1629, impreſſa Genevæ 1633; repetita in Batavis 1645. Gabrielis Severi, Archiepiſcopi Philadelphienſis, Apologia Venetiis 1604 exſcripta, & alia ejus Opuſcula 1600; rurſus repetita Pariſiis 1671. Georgii Scholarii cognomine Gennadii opera MSS. in bibliotheca Regia, quæ ſpeciatim enumerantur. Gergani Epiſcopi Artenſis Catechiſmus, cujus ſumma capita recitantur in Refutatione impreſſa Romæ Græco vulgari idiomate & Latino 1631. Gregorii Protoſyncelli Synopſis Dogmatum Eccleſiæ (*Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων*) Venetiis publicata 1635. Jeremiæ Patriarchæ Reſponſiones in Actis Wirtenbergenſibus. Marci Archiepiſcopi Epheſini Sermo de Conſecratione Sacramenti Græce & Latine, typis excuſus. Meletii Syrigii liber MS. qui ne Venetiis excuderetur, Miſſionarii impediverunt, qui quædam in eo mutanda eſſe contendebant, præſertim Exordium, quo autor non plures univerſales Synodos, quam ſeptem agnoſcit. Metrophanis Critopuli Con-

Confeſſio impreſſa Helmſtadii 1661. Cenſura gemina Confeſſionis Cyrilli Lucaris, prior facta 1638; poſterior 1642. Utraque cum ipſa Confeſſione in Batavis excuſa Nihuſii ope, Græce & Latine, prior etiam Latine Laureti 1639 exſcripta. Synodus Bethlehemitica ſive Concilium Hieroſolymitanum, congregatum 1672, & Græce ac Latine deſcriptum Pariſiis 1676.

TRAITE' TOUCHANT L' ORIGINE DES DIXMES & l' obligation de les payer.

i. e.

Tractatus de Origine Decimarum, & obligatione eas ſolvendi.

Pariſiis apud Dan. Horthemels 1687.

IN hoc Tractatu Auctor, qui ſub literis C.B. latet, *Sex* diverſas
Propoſitiones contra Decimas, a quibusdam defenſas, oppugnare
ſatagit. I. earum eſt: *Decimas in Novo Fœdere ab hominibus ſolum*
fundatas eſſe. Origine itaque Decimarum ex lege naturæ & V. T. p. 7. 26.
accerſita, oſtenditur, Chriſtum ſub perſona *Melchiſedeci*, ab *Abrahamo* omnes fideles repræſentante decimas accipientem, docere voluiſſe, Decimas tum naturale & inſeparabile æterni Sacerdotii ſui apanagium, tum naturale etiam veri fidelis debitum eſſe. Cumque Sacerdotibus Leviticis de jure divino eædem competierint, ex contraria ſententia duobus inconvenientibus locum fore: ut nimirum 1. Sacerdotium Leviticum Chriſti Sacerdotio majus, & 2. Synagogæ melius, quam Eccleſiæ proſpectum videri queat. Ut vero apertius con-
ſtet, etiam in N. T. jure divino Decimas deberi, effatum Chriſti 13. 36.
Matth. 23. v. 23. & Pauli 1. Cor. 9. v. 7-14. adducitur, iisque, quæ re-
geri poſſint, occurritur, Patribus ſimul, Pontificum Decretis, Con- 47.
ciliis nationalibus, Principumque Conſtitutionibus in partes vocatis. II. *Ex compluribus Terræ fructibus, vino maxime & animalibus,*
Decimas non deberi, easque rem inſolitam eſſe. Tales vero æquo 103.
cum reliquis jure cenſeri, nec diuturnam eas non ſolvendi conſue-
tudinem quicquam contra easdem probare, autoritate *Hiskiæ* & 106.
Nehemiæ, longam non ſolvendi poſſeſſionem non attendentium, deducitur. III. *Præſcriptionem reſpectu omnium Decimarum, excepto frumen-*

112. *frumento majori, admitti poſſe.* Aſſeritur e contrario, Decimas cu-
juscunque generis jure divino ſancitas præſcriptioni non ſubjacere,
cui mala fides obſtet, Laico eas redimenti ſemper adhærens; ubi Co-
119. quillius (*Coquille*) pro præſcriptione pugnans operoſe refellitur,
185. ejusque Objectionibus reſpondetur. IV. *Decimas populi reditus
diminuere, eique maxime damnoſas eſſe.* Contrarium ex divina bo-
norum temporalium accumulatione, æternorum promiſſione, & a
temporali æternoque exitio liberatione promittitur, & ex adver-
ſo, quam indignam Chriſtiano impietatem committant ſolutionem
detrectantes, quantasque calamitates in ſe & integras regiones pro-
vocent, excommunicationem ipſo facto incurrentes, prolixe do-
194. cetur. V. *Decimas non niſi meram eleemoſynam, non debitum eſſe.*
Ratio negandi hanc propoſitionem ex virtute excommunicationis
aliarumque pœnarum petitur, quodque eleemoſynæ, teſte *Ambroſio*,
poſt decimas demum eroganda ſint, hæ vero jus a voluntate debi-
200. toris independens involvant. Objectionis vulgaris, *cur ergo non
ubique æqualiter præſtentur*, cauſam *avaritiæ* partim hominum,
partim Sacerdotum locupletum ſatis in exigendo *negligentiæ* tribu-
218. endam; *Alcuini* vero literas ad Carolum M. *an decimarum jugum Hun-
nis recens converſis imponere conveniat*, dubitantis, obligationem in
fide roboratorum confirmantes, de exactione nimis ſevera exaudi-
endas eſſe. Decimas denique eſſe eleemoſynas, ex parte ejus, qui
236. accipit; debitum vero, reſpectu illius, qui ſolvit. VI. *Decimas a
Laicis poſſideri poſſe.* Hic præmittitur, Decimas a Laicis poſſeſſas
238. antehac ad Eccleſiam pertinuiſſe. *Coquillii* aſſertum, decimas feu-
dales a Romanis in Gallia conſtitutas & a Pharamundo conſerva-
tas eſſe, fabulam ſapere. Poſito etiam tali feudorum genere, de-
cimas tamen a DEO imperatas propterea ceſſare non potuiſſe. In-
242. feudationis tantam vim non eſſe, ut rem divinam & eccleſiaſticam
in profanam transmutare valeat. *Carolum Martellum*, qui proceri-
bus contra Saracenos belligerantibus partem Decimarum addixerit,
ſolam occaſionem non præbuiſſe, ut tantus earum numerus Laicis ceſ-
ſerit; nec enim niſi fructus earum, loco ſtipendii, ſolum dum bellum ge-
rerent, aſſignare voluiſſe. Accuſandam potius eſſe Nobilium injuſti-
tiam, qui, prætextu eas jure hereditario in poſteros transmittendi inde
quæſito, *decimis* hiſce *feudalibus* nunquam ſatis deplorandis origi-
nem

nem dederint. Violentiæ & prætextui belli ſucceſſiſſe Simoniam, & 250.
vel pretio, vel favore familiæ, ab Epiſcopis patrimonium Chriſti ac-
quiſitum fuiſſe. Et licet a Carolomanno, Pipino, & Carolo M. reſti-
tutio ita injuncta fuerit, ut poſſeſſores titulo *precariæ* Decimis frue-
rentur, ejusque ſpatio elapſo vel renovatio fieret, vel Eccleſia, cui
electio relinquebatur, iis iterum frui inciperet; poſſeſſione tamen a
Nobilibus violenter continuata, eas cum reliquis eorum bonis quaſi
coaluiſſe. Fruſtra ſibi blandiri, qui decimas bona fide emptas præſcri- 265.
bere ſe potuiſſe arbitrentur; cùm ob leges alienationem talem inter-
dicentes, bona fides eos plane deficiat. Eſſe, qui *Conceſſiones* in ſui fa- 271.
vorem allegare audeant. Tales vero non poſſe expectari a *Principi-
bus*, quorum autoritas non niſi ad protectionem rerum ſacrarum ſe
extendat; nec poſſe eſſe *Eccleſiaſticas*, cum nec Papa, nec Concilium
talium rerum uſurpationem ullo modo approbare poſſint, utpote
quorū poteſtas ad res *diſciplinæ* tantummodo reſtricta ſit. Hinc nec Bre-
ve *Clementis* V. Philippo pulchro A. 1305 datum, quo contra Concilium 282.
Lateranenſe infeudatio decimarum permittatur, locum habere poſſe,
obſtante Lege divina; quicquid Papa contra hanc conſtituat vel diſpen- 234.
ſet, in errorem degenerare. Veluti ex hac ratione, quod poteſtas
transferendi Regna ſoli Deo competat, nemo facile perſuaderi ſibi pa- 291.
tiatur, Papam Regnum Navarræ Hiſpanis conferendi jus habuiſſe.
Tandem uſurpationis peccato, cujus, niſi prævia reſtitutione, nulla
remiſſio ſperanda, acerbe exaggerato, graviſſima admonitione totius
materiæ tractatio clauditur.

RELIQUIÆ WOTTONIANÆ: OR A COLLECTION OF Lives, Letters, Poems, &c.

ſive

Collectio Vitarum, Epiſtolarum, Poëmatum Henrici Wottoni, quondam Equitis ac Collegii Ætonienſis Præfecti, una cum characteribus quorundam virorum, aliisque ejus operum fragmentis.

Londini, apud B. Tooke & T. Sawbridge, 1685. in 8.

TAntum abeſt, ut librum hunc velut novum Actis Eruditorum in-
ſerere licuerit, ut potius dubitaverimus, an inter ipſa etiam Sup-

plementa locus eidem aſſignandus foret, cum hæc *quarta ejus editio* jamjam ſit, quæ demum ad noſtras pervenit manus. Vel ideo tamen ipſum penitus præterire noluimus, quod maximam partem Anglico conſcriptus idiomate, plurimorum dubio procul e noſtris notitiam hactenus fugiſſe videtur; licet fortean celebre Wottoni nomen ipſis haud manſerit ignotum: ut taceamus, additionibus nonnullis auctum nunc prodiiſſe, adeoque aliquid ſaltem, ſi non multum novitatis exhibere. Complectitur vero præter epiſtolas Wottonianas, poſthumos quosdam egregii iſtius ingenii fœtus; ſi modo fœtus vocare fas eſt primas operum quorundam lineas, quæ Wottonus concinnare quidem occœperat, verum non multum ultra exordium fere pertexere aut voluit, aut potuit morte præventus: certe vix unum alterumve opuſculum ad umbilicum uſque perductum comparet. Præmittitur vero Vita Wottoni conſcripta ab *Iſaaco Waltono*, qui & ipſe in compilandis hiſce fragmentis operam adhibuit. Natus fertur Noſter anno 1568, in loco quodam Comitatus Kentiæ *Botton-hall* dicto, ex familia celebri ac de Angliæ regno optime merita. Proavum habuit *Robertum Wottonum* Equitem, ſub Eduardo IV diverſis muneribus publicis ornatum, e cujus filiis unus *Nicolaus Wottonus*, juris Doctor ac Decanus Eboracenſis & Cantuarienſis, novem diſtinctis legationibus defunctus, ac Henrico VIII, Eduardo VI, Mariæ ac Eliſabethæ a privatis conſiliis fuit, adeo tamen modeſtus, ut oblatum ſibi ab Eliſabetha ſummum in Anglia honorem, Archiepiſcopatum Cantuarienſem, recuſarit. Avus noſtri Henrici, *Eduardus Wottonus* Eques, Theſaurarius Caletenſis ac Henrici VII Conſiliarius intimus, Cancellariatus dignitatem ſibi imminentem declinavit. Pater denique ipſius fuit *Thomas Wottonus*, Armiger ac ſtudiis egregie imbutus, ſed qui honorem equeſtrem, quem Eliſabetha ipſi gratioſe offerebat, tanquam pignus ulterioris in aula ſua promotionis, detrectavit ex amore vitæ campeſtris, quodque vir eſſet inſignis modeſtiæ, cordis plani ac infucati, & priſcæ libertati ac integritati adſuetus. Tres tamen ejusdem filios, noſtri Henrici fratres conſanguineos, *Eduardum*, *Jacobum & Johannem* eadem Regina ad equeſtrem dignitatem evexit. Et hos quidem ejus parens ex *Eliſabetha Rudſtonia* genuerat; qua defuncta ſecundam duxit uxorem *Eleonoram*, *Roberti Mortoni* viduam, filiam nobilis cujusdam viri *Wilhelmi Finch*, e quo matrimonio unicus

cus tantum filius, Henricus Wottonus noſter ſuſceptus eſt. De familia Wottoniana id ſpeciatim commemoratur inſuper, quod ex ea oriundi ſomnia ſubinde habuiſſe ferantur apprime ominoſa, cujus rei unum alterumque exemplum de Nicolao & Thoma Wottonis recenſetur; quorum uterque etiam ipſam mortis ſuæ diem prædixiſſe compertus eſt. Noſtrum quod attinet, is Oxoniæ per aliquot annos ſtudiis incubuit, ibique anno ætatis vigeſimo Magiſter artium creari meruit: biennio poſt iter adgreſſus, ut exterarum nationum converſatione non mores minus quam ingenium ulterius expoliret, peregrinationibus per Galliam, Germaniam & Italiam integrum novennium impendit; indeque redux, mox apud Robertum Eſſexiæ Comitem Secretarii munus nactus eſt. Cum vero poſtea hic Eliſabethæ odium incurrens carceri incluſus eſſet, veritus Wottonus, ne ipſius etiam domeſticis, e quorum tunc numero erat, forte moleſti quid immineret, ſatius putavit ex Anglia ſemet ſubducere Italiamque repetere, amicitiam cum antiquis, quos ibi nactus erat, familiaribus renovaturus. Itaque Florentiæ aliquandiu ſemet continuit. Cum vero tum temporis, Eliſabetha ad ſenium vergente, a Romano-Catholicis metuentibus, ne ſi contingeret, Jacobum Scotiæ Regem Angliam quoque adipiſci, de ſua in regno iſto religione actum foret, variæ in hunc inſidiæ ſtruerentur, & inter alia Ferdinandus, Magnus Dux Florentiæ, forte literas quasdam intercepiſſet, machinationem in Jacobi excidium directam detegentes; quo hunc mature ea de re certiorem redderet, nuntium ſibi delegit Wottonum noſtrum, qui quo tutius iter haberet, Itali perſonam & loquelam adſumens, *Octavio Baldi* interim nominari voluit, & ſic abſque mora per Norvegiam in Scotiam perrexit, Regique totum negotium dexterrime aperuit, ac ſua ſic defunctus legatione in Italiam rediit: non omiſit tamen Jacobo verum ſuum nomen gentemque clam exponere, cauſamque cur alium ſe ſimulare in itinere hoc voluiſſet. Occaſio inde nata Jacobo fuit, poſtquam Angliæ regno poſt Eliſabethæ deceſſum potitus erat, Wottonum, cujus quippe habilitas in negotio iſto abunde ipſi perſpecta fuerat, ex Italia adſciſcendi in ſuum ſervitium, eumque ad equeſtris ordinis ſplendorem evehendi. Cum vero Rex (congrue ſuo ſymbolo, quod fuit: *beati pacifici,*) ſtatuiſſet, ad melius conſervandam cum vicinis regnis & provinciis amicitiam, diverſos emittere legatos, optionem Noſtro fecit,

an ad Hiſpanos, Galloſve, aut ad Venetos ablegari mallet; qui cum Italiam ſuo maxime genio congruere noſſet, Venetam ſibi legationem delegit, ad eamque Rempublicam anno 1604 miſſus fuit, faſces tunc ibi tenente Duce Leonhardo Donato: quo in itinere ſocios ſibi adſcivit *Albertum Mortonum* cognatum ſuum, quo Secretario uſus eſt, & *Wilhelmum Bedellum*, Capellani munus exercentem; cujus Vitam *in Actis Eruditorum anni 1686. m. Maj. pag. 239* commemoratam videre eſt. Variis poſtmodum aliis legationibus adhibitus fuit, uti liquet ex inſcriptione, quam ex ultimo itinere Italico domum remeans, in ſui memoriam reliquit hinc inde in diverſoriis publicis, quæque ita habet: *Henricus Wottonus Anglo-Cantianus, Thomæ optimi viri filius natu minimus, a Sereniſſimo Jacobo I. Magnæ Britanniæ Rege in equeſtrem titulum adſcitus, ejusdemque ter ad Rempublicam Venetam Legatus ordinarius; ſemel ad Confœderatarum Provinciarum Ordines in Juliacenſi negotio; bis ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem; ſemel ad unitos ſuperioris Germaniæ Principes in Conventu Heilbrunnenſi; poſtremo ad Archiducem Leopoldum, Ducem Wirtenbergenſem, Civitates Imperiales, Argentinam Ulmamque, & ipſum Romanum Imperatorem Ferdinandum II. Legatus Extraordinarius, tandem hoc didicit,* Animas Fieri Sapientiores Quiescendo. Atque hoc quidem ſuum ſymbolum ad praxin deducendi commoda paulo poſt occaſio arriſit: cum enim tot tandem legationibus defunctus ac ſexagenarius prope anno uno ante Jacobi Regis obitum domum rediiſſet, ex hujus gratia Præfecturam Collegii Ætonienſis nactus, ſucceſſorque factus eſt Thomæ Murræi, per cujus mortem ſparta hæc vacare cœperat. Atque hac in ſtatione reliquum vitæ tranquille tranſegit, ſibi quippe & Muſis victitans, ac piis maxime meditationibus ſemet impendens. Annuatim tamen patriam ſuam *Bocton-Hall* inviſere ſolitus eſt, hauſtum nempe talem aeris genitalis ad virium confortationem multum conducere, & præſentiſſimum contra omne curarum genus remedium eſſe prædicans. Ultimo vitæ tempore aſthmate laboravit, quod ex nimio Tabaci uſu contraxiſſe creditus eſt. Deceſſit denique ex febri, vergente anno 1639. ætatis ſuæ 72. Epitaphii loco non niſi ſimplex marmor popoſcit, cui nil niſi ſequentia inſculpi teſtamento juſſit: *Hic jacet hujus ſententiæ primus Autor:* Disputandi Pruritus, Ecclesiarum Scabies. *Nomen alias quære.* Reliqua ejus teſtamenti capita hic recenſere nil

atti-

attinet; cujus quidem potiſſima puncta in variis ſupellectilis ſuæ partibus uni alterive amicorum in ſui memoriam legatis conſiſtunt: pecuniæ enim, cujus ſemper admodum incurioſus fuiſſe fertur, vix tantum reliquit, ut æri alieno, quod in legationibus occupatus olim contraxerat, diluendo ſufficeret. Cæterum perhibetur fuiſſe egregiæ & proceræ ſtaturæ, ingenioſus præterea & præſertim jocis elegantibus locuples. Quæ ipſa tamen jocandi habitudo parum aliquando abfuit, ut eum ex Regis gratia deturbaret. Nimirum inſcripſerat vice quadam, cum per Auguſtam Vindelicorum ad Venetos ablegatus iter faceret, familiaris ſui Chriſtophori Fleckameri albo amicorum, lepidam hanc Legati definitionem: *Legatus eſt vir bonus, peregre miſſus ad mentiendum Reipublicæ cauſa*; (jocoſam ſcilicet æquivocationem innuens in phraſi Anglica, *to lie abroad*, quippe quæ aut *commorari*, aut *mentiri in locis exteris* indicat.) Cum etenim ſcriptura hæc, incertum quo caſu, octennio poſt ad aliorum, ac ſpeciatim *Caſparis Scioppii* notitiam perveniſſet, atque hic Romanæ aulæ paraſitus in ſcriptis contra Regem Jacobum rei indignitatem multis exaggeraſſet, Rex factum hoc graviſſime tulit, intempeſtivam hanc jocandi libertatem pro oſcitantia quadam & judicii defectu in Wottono interpretatus: qui & hac de re duas apologias ſcripſiſſe reperitur, alteram ad Jacobum, alteram ad Velſerum Nobilem Patritium Auguſtanum: unde tandem Regi partim ob propriam excuſationem, partim amicorum quorundam interventu, delinito reconciliatus, ac in majori dein pretio habitus eſt.

Sed tempus eſt, ut vita ejus aliquantiſper conſpecta, nunc ad ſcripta quoque paucis nos convertamus. Inter hæc primo loco comparent *Elementa Architecturæ*, in quibus id maxime operam dedit, ut potiſſimas artis hujus regulas, e melioribus autoribus & exemplis in compendium quoddam methodicum redigeret. Quemadmodum vero alias libere philoſophari amavit, ita nec hac ex parte in magiſtri cujusquam verba juravit, aut ab aliis communi conſenſu recepta probavit indiſtincte, quin potius audacter ubivis, ſi ſecus ſtatueret, expoſuit. Sic v. g. doctrinam Vitruvii improbat, jubentis columnas ſtriatas ordinaria ſua dimenſione paulo minus craſſas fieri; id enim rationi quadantenus adverſari autumat, cum ſtriæ per ſe jam de corpulentia columnarum quid detrahant adeoq; infirmiores eas relinquant.

Sic porro carpit morem in Italia & ubivis fere uſitatum, portas conclavium contiguorum ſitu parallelo ſic ordinandi, ut ex una proſpectus per omnes pateat: id enim ex vana tantum oſtentatione profectum, quo advenæ totius domus ſplendor uno velut ictu oſtendi valeat, ait aut duram hanc ſervitutem plerisq; cameris imponere, ut per eas tranſitus ad interiores ſemper patere debeat; aut oportere, ut tanto plures in conclavibus januæ fiant, (id quod ſtructuram haud parum debilitet,) utque eo plus inutilis ſpatii ante cameras relinquatur pro atriis, utplurimum tamen obſcuritate luminisqne defectu fere laborantibus, quod ſpatium utilius ad alias commoditates impendi poſſet. Pariter damnat curioſam plerorumque ſolicitudinem, hortos ordine nimis concinno & regulari conſerendi, & in iis mavult naturæ amicum ordinem quaſi tumultuarium & irregularem, aut certe fabricam ſylveſtri modo & fera quadam regularitate conſpicuam. Scalarum quoque gradus, non ut plerumque fit, ſitu perfecte horizontali jubet poni, ſed ita, ut aſcendenti aliquantillum modo declivitatis antrorſum præbeant; id enim, cum pes ita ratione quadam adſcendat deſcendatque ſimul, ſecretam quandam & gratam laboris in ſcandendo deceptionem dare teſtatur. In duas vero partes libellum diviſit ſic, ut in priore de partibus ſtructuræ eſſentialibus agat; in poſteriore vero de ejusdem ornamentis, pictura præſertim & ſculptura; ubi varia notatu haud indigna, picturam inprimis concernentia affert. Inter alia annotat, quod utut lætitia & fletus natura maxime ſint oppoſita, nihilominus atteſtantibus optimis artificibus, hæc duo quoad artem adeo vicina ſint, ut vel minimo penicilli ductu facies ex dolore ejulantis in vultum effuſe ridentem transformari valeat. Pariter tametſi veritatis & naturæ imitatio maximum in picturæ alicujus perfectione requiſitum ſit, nihilominus & hac in parte excedi poſſe, ex Quintiliano oſtendit, narrante alicubi, *Demetrium* pictorem ideo culpari ſolitum fuiſſe, quod in naturali exactitudine exprimenda nimis ſcrupuloſus eſſet, & magis ſimilitudinem, quam ſuavitatem in pingendo affectaret. Quod ipſum etiam celeberrimis noſtri ævi pictoribus, *Alberto Durero* & *Michaeli Angelo Bonaroto* exprobratum eſſe Autor perhibet, hac tamen cum differentia, quod ille nimis laborarit in exprimendo eo, *quod reipſa adeſſet*, hic vero in eo, *quod adeſſe deberet.* Plura ex opuſculo hoc allegare ſuperſedemus, præſertim cum Latina ejus verſio nonnullis

lis Vitruvii editionibus adjecta feratur, adeoque eruditis ignota eſſe nequeat. Hæc ædium Architecturæ Elementa excipiunt fragmina quædam *Architecturæ morum* ab Autore occœptæ, hoc eſt, Doctrina de puerorum educatione, quam quo accuratius contexeret, perhibetur ex ſcholis plerumque ſibi elegiſſe unum pluresque melioris ſpei adoleſcentes, quos continuo ſecum haberet, & ex eorum diſcurſibus, converſatione & actionibus obſervationes ſibi colligeret pro complendo melius iſto opere; cui ipſi tamen vix primis paginis abſolutis immortuus eſt, in quibus nihilominus varia, ad cognoſcendam maxime intimam puerorum indolem facientia, haud vulgaria ſatisq; curioſa continentur. Subnectuntur præterea aphoriſmi nonnulli ad eandem educationis materiam ſpectantes. Sequuntur rudimenta obſervationum quarundam, Hiſtoriam Angliæ tam civilem, quam eccleſiaſticam concernentium, inde a Regno Wilhelmi Conqueſtoris ad ſua uſque tempora; ut & ſpeciatim vitam & exceſſum Henrici VI, ut qui Collegium, in quo noſter verſabatur, fundavit, attinentium: ſed de hoc labore non niſi paucæ ſtricturæ exhibentur, quod eo magis dolendum eſt, quo ſuaviorem exiguæ hæ reliquiæ de futuro, ſi vixiſſet, opere prægustum lectori præbent. Porro exhibetur Panegyricus ſermo, ad Regem Carolum I. e Scotia reducem anno 1633 ſcriptus Latino idiomate, cui tamen & Anglica verſio ſubjungitur: in qua ipſa oratione perquam florida, potiſſima ejus geſta per compendium enarrantur & extolluntur. Sequitur Collatio ſeu Paralleliſmus inter par celeberrimorum ſui ævi aulicorum, nempe *Robertum Devereux*, Comitem Eſſexiæ, & *Georgium Villiers*, Buckinghamiæ Ducem, in quo ſcripto utriusque horum mores & facta, interſperſis variis conſiderationibus moralibus & politicis explanantur, ac ſpeciatim varia aulæ myſteria, factiones & ſimilia, a curioſis ſub regno Eliſabethæ & Jacobi annotata revelantur. Paralleliſmum hunc excipit aliud paucarum pagellarum ſcriptum, a *Comite de Clarendon*, dum juvenis eſſet, uti fertur concinnatum, conſimilis cum priore argumenti, niſi quod hic diſparitas potius, quam convenientia inter utrumque illorum aulæ Miniſtrorum oſtendatur. Separatim dein adhuc ab Autore delineata comparet Hiſtoria vitæ ac necis laudati Georgii Villiers, Ducis Buckinghamiæ, quemque Noſter jure merito inter magna exempla temporis & fortunæ reponendum exiſtimat. Porro ſequuntur, ut paucis, quod reliquum eſt, expediamus, introitus

ad de-

ad deſcriptionem belli inter Pompejum & Cæſarem, quam Autor componere ſibi propoſuerat; Character item Ferdinandi, Magni Florentiæ Ducis; nonnulla ſtatum Reipublicæ Venetæ, cujus pariter hiſtoriam noſter animo conceperat, concernentia, & in ſpecie diſcurſus ſuper electione duorum Ducum Venetorum, Nicolai Donati & Antonii Priuli, quæ nempe utraq; ipſo Venetiis præſente contigerat: ulterius una & altera meditatio ſacra, ut & poëmata Anglica Wottoniana argumenti varii. Maximam denique libri partem faciunt Epiſtolæ, ſcriptæ ad varios, & ex parte ad Regem ipſum aliosque Principes, in cauſa legationum ſibi commiſſarum: & acceſſit nunc faſciculus literarum nonnullarum Wottoni ad Dn. *Zoucheum* datarum, quæ antehac lucem nondum viderant publicam. Tametſi vero omnes lectu jucundiſſimæ ſint, cum ex iis undique ingens ingenii Wottoniani vis judiciique acumen euceſcat; tales tamen non ſunt, ut in recenſendis earum argumentis amplius chartæ impendere debeamus, cum multæ earum res familiares concernant; pleræque vero eventus motusque iſtorum temporum hinc inde per Europam vigentes, adjunctis tamen hinc inde judiciis politicis, tractent.

HERMANNI WITSII AD ULRICUM HUBERUM Diſſertatio Epiſtolica. In qua de Scripturæ S. Auctoritate Divina ex ſola ratione adſtruenda &c. diſputatur.

Trajecti ad Rhenum ex officina Franciſci Halma Anno 1687. in 8.

CONtroverſiis Theologicis, quæ ſubortæ fuerunt non ita pridem in Academia Franeckerana, in quibus non pauci in Belgio Theologi ac Philoſophi, relati *in Bibliotheca Univerſali A. 1687. Tom. 6. & 7,* ſuum ingenium exercuerunt, immiſcere ſe abſtinuit Cl. Witſius, donec ab iis, a quibus diſſentiebat, ad partes ſe rapi, ab Hubero autem amico vetere (*cujus librum de hac lite excerpſimus menſe Auguſto 1687. p. 405.*) ſententiam ſuam atque conſilium expeti videret. Hinc enim neceſſitatem ſibi aliquam impoſitam exiſtimavit, ad veritatis elucidationem ſymbolam quoque ſuam conferendi. Nimirum diſputatur, *an errorem enormem committant, qui credunt & aliis inculcant, quæ rationi rectæ adverſiſſima ſunt, modo in Scripturis ea contineri ſibi perſuaſum habeant?*

Num

Num *Scripturæ divinitas, qua auctoritas ejus omnis nititur, aliunde quam ex ratione adſtrui poſſit?* Num *culpa liberandi ſint, qui adſerere ſuſtinent, ſi ratio aliud quid nobis dictaret quam Scriptura, Scripturæ potius eſſe credendum?* Quid *Eccleſia Reformata de Spiritus S. in electis operationibus ſeorſim ab Enthuſiaſtis doceat?* Num *conſcientia hominis ab errore omni immunis, nonniſi quod verum ac certum eſt, dictare poſſit?*

De quibus problematibus ut recte diſputet Witſius, certa ab incertis initio diſtinguit, poſtea ad cardinem rei accedit. Ait in eo *primum* omnes convenire, verum id eſſe, quod recta ratio homini dictat; ſive quod ex indubitatæ veritatis principiis, evidenti, perſpicua & nusquam hiante argumentatione deducitur. Sed *&* *id* apud Reformatos extra controverſiam eſſe debere, primi Parentis vitio vigorem humanarum mentium, ingenii acrimoniam, ac judicii ſoliditatem valde imminutam ac retuſam eſſe. *Tertio* & hoc in confeſſo arbitratur, rationem noſtram naturalem certis circumſcriptam eſſe limitibus, quos tranſcendere nullo conatu valeat; ideoque non pauca ſupereſſe cognoſcenda ad veram æternamque beatitudinem ex ſupernaturali revelatione. *Porro* cum tam manifeſtatio per naturam, quam per ſupernaturalem revelationem, pariter ex DEO ſit, clarum dicit, unam alteri repugnare non poſſe. Qui itaque Scripturam divinitus inſpiratam agnoſcat, eum perſuaſum habere non poſſe, Scriptura contineri, quæ rationi rectæ adverſiſſima ſunt, neque poſſe ea, quæ rationi rectæ adverſa novit, vel ipſum credere, vel aliis inculcare, eo argumento quod in Scriptura extent. *Inſuper* & illud patere, revelationem ſupernaturalem quædam gnoriſmata atque indicia habere, quibus de illius divinitate conſtare poſſit, quam dignotionem opus rationis eſſe, i. e. mentis ſive intellectus noſtri, non dubitari. Atque hoc ſenſu bene dici, per rationem noſtram, i. e. per mentem illiusque operationes, Scripturarum divinitatem adſtrui. Duo autem quærenda reſtare: *Primo*, ex quibus principiis ſive axiomatibus adſtruenda revelationis divinitas atque auctoritas ſit? *Deinde*, an ita diſpoſita ſit noſtra ratio, ut per ſe ſola ex illis axiomatibus argumentando, ſe atque alios de divinitate revelationis convincere poſſit, & ſi quid rationi noſtræ accedere debeat, quid illud tandem ſit ac quomodo operetur?

Primam quæſtionem quod attinet, affirmare illi videntur, qui docent, revelationis divinitatem. & quæ ei innititur, auctoritatem, nonniſi ex ratione adſtrui poſſe. Negat *Witſius*, tum quod rationis axiomata ad myſteriorum ſublimitatem non pertingant, tum quod corrupta nunc omnium hominum naturalium ratio, & cæca, præcipue circa res divinas, craſſos errores pro axiomatibus rationis plerumque habeat: unde periculoſum eſſe atque indignum, ad cæcæ & perverſæ rationis dictata Scripturarum auctoritatem examinare. Ad id confirmandum exempla adducit, partim vetuſtius Socini, partim recentius Scriptoris Galli, qui videri voluit exhibere Judicia quorundam Theologorum Belgicorum ſuper Hiſtoria Critica Richardi Simonis. Ejus enim nuperi Scriptoris, pleroſque Scripturarum Sacrarum libros ad rationis ſuæ tribunal vocantis, judicium eſſe, de Jobi calamitate non eſſe veram hiſtoriam, ſed fictam Tragœdiam, in qua contra omnes decori & probabilitatis leges pluriſariam peccatum ſit, quæque conſequenter DEI Spiritum auctorem habere non poſſit. Ad eundem modum ex rationis ſuæ ſcitis de Pſalmis quibuſdam, & maxime de Sacris Proverbiis illum ipſum philoſophari. Canticum Canticorum pro Idyllio vel Ecloga ab eodem haberi, cujus ſtylus Græcis Latinisque Theocriti & Virgilii carminibus ſimilis ſit, niſi quod pro captu gentis Hebrææ aliquanto ſit durior; cujusque comparationes cap. 4 conferri debeant cum iis, quæ Polyphemo attribuit Ovidius Metamorphoſeon 13.

Si quæras, *unde tandem revelationis divinitas adſtruatur, ſi non ex rationis principiis?* Reſpondet *Witſius*, eam revelationem, quæ ſingularibus quibusdam DEI amicis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolisque immediate contigit, ex ſe ipſa, & per ſe ipſam cognoſci potuiſſe, ſicuti Sol ſuo lumine cernitur: Simili propemodum ratione revelationem, quæ ſacris literis comprehenſa, nunc nobis pro fidei noſtræ objecto proponitur, ex inſitis Scripturæ a DEO characteribus, quos ibi enarrat, unice conſtare. Quod ſi adverſarii idem velint, oportere etiam eos ita loqui, non verbis, quibus Sociniani fere utuntur.

Nunc ad alteram quæſtionis partem progreſſus, *num ita diſpoſita ſit noſtra ratio, ut per argumenta iſta, quibus Scripturarum probatur divina auctoritas, valide convinci poſſit, niſi quid ei aliunde accedat?*

accedat? Aſſerit omnino advenire oportere internam Spiritus colluſtrationem, tum in reprobis, per quam iſti, etſi non regenerati, neque ſanctificati, animum inducant attendere ad gnoriſmata divinitatis in evangelio, adeo quidem ut convicti id pro vero agnoſcant, credentes argumentorum evidentiæ; tum in electis, ſed longe ſublimioris ordinis, quippe per quam ſalutaris fides, quæ cum veritatis amore & interioris hominis ſanctificatione eſt conjuncta, conferatur. Atque hac quidem de re nullam nunc eſſe controverſiam (*ſcilicet inter Calvinianos, ex quorum doctrina communi hic locutus eſt.*) Illud autem preſſius inquiri, quomodo is Spiritus Chriſti ad ſalutarem convictionem procedat. Witſius ſic concipit: *Primo* Spiritus S. electis ſuis novam & ſpiritualem mentis facultatem concedit, quæ rebus ſpiritualibus certa quadam proportione reſpondet. *Porro* novam hanc mentis ſpiritualem facultatem excitat, ad agnoſcendam ſacrarum literarum divinitatem. Præſtat id ingerendo menti divinitatis gnoriſmata, facitque ut mens ea in nativa ſua luce conſpicans, valide illis non afficiatur tantummodo atque tentetur, ſed & plene convincatur, non minus certo, quam ſi vel rebus ipſis præſens adfuiſſet, vel in cœlos evecta verba Scripturæ ex ipſius DEI ore audiviſſet. Attamen ii, qui certiſſime de divinitate Scripturarum perſuaſi ſunt, non ſemper pro ea proportione liquido, diſtincte, & partitim memorata gnoriſmata diſcernere, multo minus ea exponere & vindicare norunt. Nam, teſte experientia, cæteris non ſolum hominibus, ſed & fidelibus multis ſimpliciores minusque callidi, tanta fidei πληροφορία Evangelii veritates amplexi ſunt, ut præ eruditis carceres, cruciatus, mortes ingenti animo pro veritatibus iſtis ſuſtinuerint. Accedit & aliud, quo certitudinem illam corroborat Spiritus S. nempe præter lumen, quo videntur res ſpirituales, earundem guſtum animæ exhibendo, Pſ. 34, 9. 1.Petr.2,2.3. adverſus quem nulli argumentationum nodi, nulla pericula, nullæ tentationes valent.

An præter jam dicta, ad teſtimonium illud pertineat ſpeciale & expreſſum Spiritus S. ad animam alloquium, ſive arcana quædam notificatio & efficax mentis excitatio, & in qua re conſiſtat, difficile explicatu ait Witſius, fateturque ea, quæ de aliis Spiritus S. operationibus, iisque ſive mediatis ſive immediatis, inter Theologos & Huberum Enthuſiaſmi accuſatum controvertuntur, ſe non ſatis aſ-

ſequi. Verum cum materia ipſa, ſua tam jucunditate quam utilitate comiter invitet, hanc quoque diſputationem ſuſcipit, & ſequentem in modum tractat: Præter illas operationes Spiritus S. quæ tendunt ad fidem divinitatis Scripturæ electorum mentibus ingenerandam, de quibus hactenus ſumus locuti, aliæ agnoſcendæ ſunt, quarum præcipuæ ad tria capita referri poſſunt, nimirum ad informationem, ad ſanctificationem, ad conſolationem. Informatio, quæ in Scripturis etiam unctio Spiritus dicitur, omnibus DEI filiis immediate contingit, eſtque ab ea, quæ per verbi prædicationem fit, diſtincta: non quod alias res doceat DEUS per Spiritum in anima, quam per verbum, ſed quod aliter doceat. Verbi enim inſtitutio omnis moralis eſt, & ſæpe, immo ſine Spiritu ſemper, incaſſum adhibetur. Spiritus inſtitutio eſt realis & hyperphyſica, atque hactenus immediata, res in mentem inducens, mentem in res, tanta efficacia, ut ſapientiam vel fatuis ingeneret. Quam doctrinam communem alias Calvinianorum, ſed adverſam Auguſtanæ Confeſſioni addictis Eccleſiis, confirmat ſuffragiis Heidani, & ipſius adverſarii Wayeni. Adjicit etiam, nec hoc præfracte negandum, contingere nonnunquam piis ſpecialium eventuum revelationes, quoad tempus, modum, cæteraſque circumſtantias. Hiſtorias aſſertionis notabiles narrat ex *Burneti Hiſtoria Reformationis Anglicanæ*, & *ſcripto anonymi Anglico de impletione Scripturæ*. Ad ſanctificationem refert immediatam Spiritus S. operationem, ex qua vita illa nova & ſpiritualis in electis promanat, quæ fideles ad preces excitat. Conſolationem denique Spiritus S. electis immediate ſuppeditari vult, de adoptione eorundem in filios DEI. Sed & ſingulare quid contingere piis, maxime ægris ac moribundis, quando in eorum phantaſia, ſive in vigilia, ſive in ſomno, Spiritus DEI luculentiſſimas rerum cœleſtium imagines ita nonnunquam diſtincte pingit, ut eas non mente ſolum, ſed & oculis coram cernere videantur, nec aliter iis adfecti ſint, quam ſi rebus ipſis præſentes intereſſent, exemplis *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, *Caſpari Oleviani*, aliorumque non ſolum magnorum, ſed & aliorum e plebe credentium comprobat.

Ex quibus hactenus diſputatis concludit, Spiritus S. operationes omnes immediatas dici poſſe, in quantum quidem hyperphyſica ſua virtute ipſam hominis mentem intime penetrant, ſine ullo alte-

rius

rius cauſæ reali efficacia agentis interventu. Poſſe nihilominus operationes Spiritus S. illas mediatas dici, quas efficit idem intercedente morali operatione verbi, quod nonniſi objecta proponendo, ſuadendo, mandando, promittendo agat: illas autem immediatas prorſus eſſe, quas ſine interventu verbi agit, uti infuſionem luminis ſpiritualis; inditionem novarum facultatum, quibus apprehendi debet DEI verbum, antequam ullam ſalutarem efficaciam exerat; revelationem rerum arcanarum particulares eventus ſpectantium, de quibus in Scriptura nihil eſt traditum; reſponſionem ad preces; inclinationem animi ad ſingularia quædam amplectenda vel fugienda; immo ipſam verborum Scripturæ, ad informationem vel conſolationem, interiorem ſuggeſtionem, & id genus plura. Quæ ad rem præſentem applicans ſtatuit, operationem Spiritus S. qua fidem divinitatis Scripturarum mentibus noſtris ingenerat, mediatam dici poſſe, quatenus ea fides oritur ex conſideratione radiorum divinitatis, qui per totum Scripturæ corpus varie ſparſi illuſtri ſplendore micant: ſed operationem eam Spiritus S. qua oculos dat ad cernendos eos radios, qua voluntatem efficaciter flectit, ne obnitatur luci ultro ſe ingerenti, immediatam eſſe. Similiter ſapientiam ſpiritualem doceri nos a Spiritu S. mediata operatione per Scripturas; quod tamen earum mentem ſalutariter intelligamus, hoc ex interna atque immediata Spiritus S. inſtitutione eſſe. Atque hoc ſenſu immediatam revelationem myſteriorum Evangelii, omnibus fidelibus neceſſariam eſſe, ex præſtantiſſimorum Theologorum (*Calvinianorum* puta) ſententia. Quæ ſi mens ſit Huberi, eum ab Enthuſiaſmi impacto crimine fidenter abſolvit.

Supereſt quæſtio *de Conſcientia, nunquam an aliquando errante?* Negatum eſt, conſcientiam unquam errare. Noſter de Conſcientiæ voce & ratione ex Scripturis ubi præmiſiſſet aliqua, judicat totam diſputationem tam calide agitatam, in frigidam λογομαχίαν recidere: id enim ſolum quæri, utrum animus judicans circa τὰ πρακτὰ ſi fortean male judicet, conſcientia dici mereatur? At hoc parvi eſſe momenti: putat tamen, in Scriptura eam ſic nominari, 1. Cor. 10. v. 28. 29. Tit. 1. v. 15. Rom. 14, 5.

Addita eſt ob materiæ affinitatem Oratio elegans, dicta Ultrajecti A. 1680, cum ordinariam Theologiæ Profeſſionem ſolenniter

auſpicaretur Auctor, in qua præſtantia veritatis Evangelicæ ſuper omnes diſciplinas in ſublimitate, jucunditate, ſanctitate, utilitate laudatur.

LES ELEMENS DE GEOMETRIE, OU DE LA meſure du corps &c.

i. e.

Elementa Geometriæ ſeu menſuræ corporis, comprehendentia non ſolum ea omnia, quæ Euclides docuit, ſed & pulcherrimas Archimedis propoſitiones, nec non Analyſin; Auctore R. P. Bernhardo Lamy, Oratorii Presbytero.

Pariſiis apud Andream Pralard, 1685. in 12.

CUm Auctor ante annos aliquot tractatum emiſiſſet in lucem de proprietatibus magnitudinis in genere, conſultum poſtea duxit, præſentem quoque Geometricum publici juris facere, in quo de proprietatibus corporis, quod magnitudinis ſpecies eſt, agitur, idque ob præſentiſſimam utilitatem, quam Geometria ſui ſtudioſis pollicetur. Neque enim, judice Auctore noſtro, ſolum aliis diſciplinis, quæ circa corpus quacunque ratione verſantur, principia certa ſuppeditat, ſed etiam mentem humanam methodo imbuit unam veritatem ex alia deducendi, atque ſic efficit, ut ipſa ſumma delectatione ſpirituali & contemptu voluptatum corporearum repleta perpendat, quam vaſta ſit illa ſcientia, quam poſſident qui DEO fruuntur, & quam ſincera illa voluptas, qua beati gaudent, dum in eſſentia divina novas ſemper veritates detegunt, atque ita in Deum omni deſiderio feratur. Fatetur vero, libros veterum Geometrarum non adeo aptos eſſe huic inſtituto, quippe cum illi ſoliciti ſolum fuerint de inveniendis præcipuis theorematibus, ordine naturali fere neglecto, adeoque auctorem Elementorum Geometriæ, quæ Gallice impreſſa A. 1667 apud Savreux, primum fuiſſe, qui decenti eadem ordine propoſuerit. Quoniam autem ille de ſolidis plane non egit, ſuo tractatu Auctor noſter complexus eſt non illa tantum, quæ Euclides de iisdem tradidit, ſed etiam quæ Archimedes de Cylindro, Cono & Sphæra docuit. Diviſit enim Elementa hæc in quatuor libros, in quorum *primo* de lineis,

lineis, *ſecundo* de angulis & ſuperficiebus, *tertio* de rationibus & proportionibus linearum & ſuperficierum, tandemque *quarto* de ſolidis tractat; ita quidem, ut in libro tertio ſæpiſſime lectorem ad doctrinam de ratione & proportione in genere, ex libro de magnitudine hauriendam remittat. Dedit vero operam, ut Elementa facilia non minus quam brevia redderet, non quidem omittendo neceſſarias propoſitiones, ſed utendo demonſtrationibus brevibus & generalibus, ex quibus una opera plura alia poſſint deduci, & iis inſiſtendo viis, quibus recta ad veritatem itur. Adjecit tandem appendicis loco Analyſeos ſpecioſæ compendiolum, tredecim capitibus comprehenſum, & octo Problematibus illuſtratum, ut eidem ſcopo inſerviret, cui Geometria ab ipſo deſtinata.

MICROGRAPHIA NOVA, SIVE NOVA ET CURIOSA variorum minutorum corporum, ſingularis cujusdam & noviter ab Auctore inventi Microſcopii ope adauctorum, & miranda magnitudine repræſentatorum deſcriptio, additis eorum figuris; publicata a Joh. Franciſco Griendelio ab Ach, Ordin. Equeſt. Spir. S. Canonico, Sacræque Cæſar. Majeſt. Architecto militari.

Norimbergæ apud Joh. Ziegerum. 1687. in 4.

CUm non jucundum ſolum,ſed maximi quoque in philoſophia naturali uſus ſit,corpuſcula,quæ exilitate ſua aciem viſus noſtri ſubterfugiunt, armatis perluſtrare oculis,idipſum ſua non indignum opera judicarunt celeberrimi viri, Henricus Powerus & Robertus Hoockius, Angli, quorum ille ſuas obſervationes microſcopicas Londini anno 1664, hic Micrographiam anno 1665 ibidem in lucem emiſit, ut jam de Lewenhœckio Belga,qui indies adhuc bene de hac re meretur, nihil dicamus.Quoniam autem Micrographia Hoockii nitidiſſimis referta ſchematibus apud nos rariſſima,neque ex Anglico unquam converſa eſt, ejusdem locum replere voluiſſe videtur Micrographia nova Dn. Griendelii, in qua ultra quinquaginta delineationes corpuſculorum exiguorum æri inciſæ exhibentur. Diſpeſcitur vero eadem in octo obſervationes,quaſi totidem capita. I. verſatur circa Auctoris microſcopium noviter inventum,quod circumferentia ſua pedem operarium

rium Noribergenſem ſuperare, & majorem habere campum, plusque lucis ad objecta admittere, quam hactenus excogitata, ſcribit, dimenſionem ac ordinationem vitrorum ſtudio omittens, ſolumque innuens, machinam ſuam conſtare ex vitris ſex convexis, & objectivum, quod minimum eſt, eſſe hyperbolicum. Obſervatio II. animalcula varia contemplatur; III. vermiculos quosdam repræſentat; IV. flores & alia vegetabilia nonnulla conſiderat; V. varias texturas delineat; VI. capillos & pilos exhibet, quorum nonnullos cavitate gaudere contendit; VII. ſemina quædam oculis offert; VIII. res varias curioſas microſcopio ſubjicit.

TRAITE' DU NIVELLEMENT PAR M. PICARD &c.

i. e.

Tractatus de libellatione, auctore Dn. Picardo Regiæ Academiæ ſcientiarum membro; editus a Dn. de la Hire, membro ejusdem Academiæ & Matheſeos Profeſſore regio.

Pariſiis apud Stephanum Michallet. 1686. in 12.

EXſolvimus nunc fidem noſtram, quam in *Actis ſuperioris anni menſe Novembri* dedimus, circa Picardi de libellationibus opuſculum. Natum hoc eſt ex notis nonnullis, quas quoad correctiones libellationum adparentium, & verificationem, ut vocari ſolet, inſtrumentorum, cum eſſet adhibitus ad explorandum libramen aquarum, quæ prope Verſaliam deprehenduntur, nec non ad altitudinem & declivitatem alvei Ligeris atque Sequanæ inveſtigandam, in ſuum primum uſum conſignaverat, deinde vero amicorum ſolicitatus precibus, cum aliis quibusdam ad hanc rem ſpectantibus, in lucem proferre conſtituerat. Sed cum ultima manus admovenda eſſet huic operi, morbus violentus ipſi Auctori manus injecit, eumque ex viventium numero abripuit. Quocirca Dominus de la Hire bene meriturus de publico pariter atque de amici defuncti memoria, editionis curam ſuſcepit; nihil equidem immutans in illis, quæ Picardus conſcripſerat, niſi quod in locis quibusdam demonſtrationes adjecit in eorum gratiam, qui mediocriter tantum in Geometria verſati ſunt. Addidit inſuper generalem quandam Methodum rectificandi inſtrumenta, quæ libellæ vocantur,



fig. II.
A
E
F
I
M
fig. 2
B
C
D
E
fig. 1
fig. 10.
fig. 12.
Q
R
S
M
N
P
K
O
fig.
11.

cantur, & deſcriptionem, tum aliorum quorundam, tum inprimis ejus, quod Picardus in tractatu de menſura terræ exhibuerat quidem, ſuccedentibus tamen temporibus pauliſper immutarat. Eidem quoque Cl. Editori appendix debetur, quæ epitomen continet tractatus de menſura terræ modo commemorati, & a nobis in *Actis anni 1688. pag. 578* recenſiti. Cæterum ipſum opuſculum *duabus partibus* abſolvitur. In *prima capite primo* theoria libellationis traditur, & cum linea viſualis, quam inſtrumenta dirigunt, exhibeat lineam libramenti adparentis, quæ ſemper altius extollitur linea libramenti veri, idque eo magis, quo termini libellationis longius diſtant, ita ut illæ altitudines ſint ut quadrata diſtantiarum, tabula adfertur, ex qua exceſſus altitudinum poſſunt cognoſci. Præterea cum linea, quæ per centrum vitri objectivi & filorum, quæ in ejus foco ſeſe interſecare debent, tranſit, nonnunquam horizonti non ſit parallela, ſed juſto magis vel attollatur vel deprimatur, de erroribus hinc oriundis quoque agitur, oſtendendo correctiones hic adhibendas creſcere aut decreſcere in ratione diſtantiarum. Proponuntur etiam hic duæ methodi librandi, in quibus nulla ratio habetur, neque altitudinis lineæ apparentis libramenti ſupra libellam veram, neque refractionis, (quæ in certis caſibus non omnino negligenda) neque verificationis inſtrumenti. *Caput ſecundum* libellatoria quædam inſtrumenta deſcribit, ex quibus ſolum Picardi dabimus, tanquam ipſo uſu maxime comprobatum, quod in ſchemate ita depictum eſt, ut ejusdem interior quoque conſtructio viſui adpareat.

In *Fig. I.* E F G H eſt tubus quadratus ex ferro vel orichalco, pro teleſcopio inſerviens. Tab. II. Fig. I.

E F notat limbum comprehendentem vitrum objectivum.

G H eſt margo portans duo ſubtiliſſima fila in foco vitri objectivi ſe decuſſantia, ita ut hæc fila & vitrum objectivum in tubo rite diſpoſita pinnacidiorum vice fungantur.

Parvus tubulus D vitrum oculare continet, poteſtque pro lubitu altius infigi. Teleſcopium ipſum firmiter adfixum eſt ad angulos rectos tubo I K.

L & M ſunt arcus ſuſtinentes teleſcopium cum tubo I K, ejusque inclinationi inſervientes.

A C eſt ſeta ex puncto A ſuſpenſa, ita ut facto nodo incum-

bat acui, ſuper quam libere movetur, cujus diſpoſitionem diſtinctius
Fig. II. repræſentat *Fig. II.*

Extremo ſetæ annexum eſt plumbum C, quod ſetam citra rupturam tenſam detinet.

Prope extremitatem tubi I K ita diſpoſita eſt argentea lamella, ut ſit in eodem plano cum puncto ſuſpenſionis ſetæ, ex quo etiam arcus circuli per centrum lamellæ, cui ſeta reſpondet, tranſiens deſcribendus & in gradus minutaque dividendus eſt, ut adpareat, quanto objectum aliquod plus aut minus ſit elevatum linea libramenti adparentis.

Vitrum objectivum mediante limbo ſuo firmiter affixum eſt tubo, pariter ac limbus G H, qui fila ſuſtinet. Satius vero eſt, ſi duplex limbus conficiatur, ita ut ille, qui fila geſtat, alterius canaliculis, quibus inſerendus, exacte reſpondeat; huic vero afferruminata ſit lamella elaſtica, quæ limbum priorem extrudat cochlea pro
Fig. III. lubitu coercendum. Vide *Fig. III.*

Appendix N eſt virga ferrea dorſo tubi IN affixa & ſurſum deorſumque mobilis, ut inſtrumentum in inclinatione data conſervet. Suſtentaculum totius machinæ formam gerit ejus, cui pingentes tabulas ſuas ſolent imponere (chevalet) ita tamen, ut ejus pedes pro lubitu abbreviari & prolongari posſint, ut ex figuræ inſpectione adparet.

Hæc de inſtrumento ipſo, cujus verificatio, cum demonſtratione, deinde prolixiuscule exponitur, tam juxta methodum Auctoris, quam Dn. de la Hire, qui etiam Hugenii & Romeri inſtrumentum explicat, una cum eo, quod ipſe invenit, cujus pinnacidia aquæ innatant. *Caput tertium* de praxi libellationis agit, ubi potisſimum correctio operationis per libellationem reciprocam, ſi diſtantia terminorum cognita non fuerit, ſuadetur, tandemque qua ratione peractæ libellationes conſignandæ ratioque ſubducenda ſit, explicatur. *Secunda* opuſculi *pars* hiſtorica eſt, plurimarum libellationum, cum cura peractarum a Picardo, narrationem continens. De *Appendice* nihil eſt quod moneamus, niſi ejuſdem auctorem loco apparentium veras exhibuiſſe Poli elevationes, quavis illarum minuto mulctata, ob refractionem ſtellæ polaris, cujus quantitas a Casſino primum determinata dicitur.

LES

LES IDYLLES DE BION ET DE MOSCHUS, TRADUITes de Grec en vers Francois avec des remarques.

i. e.

Idyllia Bionis & Moſchi, ex Græco in verſus Gallicos translata, cum notis.

Pariſiis apud Petrum Aubouinum. 1686. in 12.

EOs inter, qui olim in Græcia carminis Bucolici dignitatem admirabili ſuavitate aſſeruerunt, ſi non primum, ſaltem a primo ſecundum occupant locum *Bion & Moſchus*, Duumviri politisſimi. Nam in eo quidem conſenſerunt hucusque tantum non omnes, qui literarum harum præſtant intelligentia, *Theocritum Syracuſanum*, non ipſos tantum, ſed omnes alios, quorum ad nos ingenii pervenerunt monumenta, gloria ſcribendorum ejus generis carminum prævertiſſe. Non de Latinis dicendum quicquam eſt, quum ne *Virgilius* quidem, (licet exquiſitiſſimæ elegantiæ & judicii ita ſit emendati, ut, niſi fallimur, *Theocrito* ipſi palmam in hac parte præripiat,) ad Græcorum amœnitatem adſpirare, nec agreſtem illam ſimplicitatem, quam Dorici idiomatis opportunitate uſi expreſſerunt Pelaſgi, & qua cenſentur maxime carmina paſtoralia, aſſequi potuiſſe exiſtimetur. Sane vero cum illa Poeticæ pars, ut jam diximus, tum demum genuinum ſuum referre characterem judicetur, cum familiare dicendi genus & amœnam quandam præ ſe fert ruſticitatem, diffitendum non eſt, *Theocritum* utriusque longe fuiſſe retinentiorem, utpote cujus dictio nudas quasdam delectationes priſcumque rus ubique ſapit, (licet alicubi ſatis etiam comtum & concinnum ſe inferre ſciat,) quam *Bionem & Moſchum*, qui elegantiorem cultum politioremque urbanitatem fere de ſe ſpirant, nec urbem ipſam aut forum, quod *Fabius* tamen in hac poeſi requirit, reformident. Sed nec iſtud tamen inficiandum eſt, admirandas apud utrumque ſuaviſſimasque reperiri dulcedines, tamque eos delicatæ venuſtatis molliterque blandos eſſe, ut in perpetuo cum Gratiis contubernio vixiſſe credi posſint. Quæ omnia hominem movere Gallum, virum ſane doctum, & elegantioris literaturæ apprime peritum, ut ipſorum carminibus eruditis annotationibus illuſtrandis, & Gallicis verſibus induendis admoveret manum. Quamvis enim non neſciret, quod ingenue etiam fatetur *Rapinus in*

Conſiderationibus ſuper Poeſin, quas cum aliis *menſe Majo 1686. p. 263. in Actis hiſce* cum debito elogio percenſuimus, linguam patriam, quam perfecta etiam hodie videri poſſit, non ſuſtinere tamen bucolicorum verſuum naturalem poſſe indolem, ſummamque illam ſimplicitatem, quod linguæ Græca faciant & Latina; *Bionis* tamen *&* *Moſchi* illecebris adeo ſe pellici & ſuperari veluti paſſus eſt, ut quicquid id eſt operis ſuſceperit in ſe, & quantum Gallicæ linguæ permittit genius, non infelici dexteritate perfecerit. Ipſum vero opus antequam aggrediatur, commendat utrumque Vatem, ut elegantiarum ingenioſiſſimarum ſummos artifices; quos licet nec ipſe ſupra *Theocritum* collocare audeat, nullus tamen aſſeverare dubitat, iſtos longe, quam hunc, ad præſentis ſeculi indolem ſcribere accommodatius; & *Bionem* quidem plus gratiarum ac dulcedinis, plus etiam artificii quam *Theocritum* exerere, *Moſchum* vero media quadam inter utrumque incedere ſemita. Ipſorum Idyllia diu, ait, *Theocrito* fuiſſe attributa, idque inde contigiſſe, quod omnia Bucolicorum Græcorum carmina in unam farraginem collecta ab initio fuerint, ubi quidem in iſta complexione uniuscujusque Auctoris nomen in fronte idyllii appoſitum ſit, quod grammatici cum facere neglexiſſent, occaſionem confuſionis ejusmodi ſucceſſu temporis enatam eſſe. Sed reſtituta mox auctoribus fuiſſe omnia, ut tamen *Theocritus* alienis exuviis opulentus permanſerit, quamvis tam ampla non fuerint ſpolia, ut *Heinſius* olim crediderit. Etiamſi vero plus una vice in Latium converſi fuerint Poetæ noſtri, ſemper id tamen factum eſſe ratione aut nimis jejuna, aut nimis libera, quod utrumque effugiendum & a ſe etiam diligenter evitatum ſit. Primam in translatore virtutem & regulam eſſe debere fidelitatem, quemadmodum in effigianda imagine cum archetypo ſimilitudinem, & quæ niſi urgente extrema necesſitate, ſi vel declinanda ſit obſcuritas aut pueriles ineptiæ, vel ſi aliquod loquendi genus minus ad hodiernum morem quadret, migranda & violanda non ſit. Hæc ſe obſervaſſe ait in converſione *Anacreontis*, quem eodem ſe inſtituto evulgaſſe commemorat. Veniam itaque ſperat a lectoribus, ſi alicubi nimis diffuſus ſit & longius excurrat; id enim fuiſſe neceſſarium, non tantum quod fieri aliter non poſſit, quin verſio certis numerorum legibus ſyllabarumque modulis alligata extendatur prolixius, ſed etiam ob linguæ Græcæ ingenium, cujus epitheta,

cum

cum ejus maximam elegantiæ partem conſtituant, fideliter exhiberi verſibusque refundi non poſſint, ſi brevitate ubique utendum ſit; & male utique facere, qui per omisſionem epithetorum auctores potisſima gratisſimaque ſui parte imminutos reddere ſoleant. Veniam etiam ſibi ſperat, ſi quædam protrita ſint nimis, quæ affert in obſervationibus; quod popularibus in vernacula ſcribat, qui non omnes literis ad humanitatem pertinentibus æque imputi ſint. Denique cur non adjecerit *Europam*, idyllium *Moſcho* vulgo asſignatum, edocet; nondum enim omnes inter convenire, an is verus illius auctor ſit, cum & *Caſaubonus* ipſe non tantum illud *Theocrito* adjudicet, ſed & in antiquis exemplaribus ipſi conſtanter attribui, quod & in quibusdam recentioribus fiat, teſtetur; ejus tamen in vicem *Oariſtum*, & ipſum dubii parentis fœtum in fine opuſculi annectit, arbitratus Gallica veſte exornatum (quem vero & *Daniel Heinſius* in Latinos verſus transfudit, uti ex Græcis ejus in Latinum verſis apparet,) majorem quam Europam habiturum eſſe gratiam. Poſt illa in præfatione latius explicata, vitas utriusque, quantum quidem de illis, quod ſane perpauxillum eſt, haberi potuit, pertexit. In obſervationibus vero ipſis, cuique Idyllio ſubjectis, modo ſuæ verſionis reddit rationem; modo aliorum Latinas ſub limam revocat; modo fluvium, locum, ritum, hiſtoriam, fabulam ex ſcriptoribus, quos in promtu habet ſemper, illuſtrare ſatagit, plurima ubique afferens, quæ cum in antiquitatis memoria eximie verſatum eſſe, ſubindicant.

Quo tamen labore ubi ſe defunctum vidit, in lingua etiam patria quædam Muſæ illius tentare pulchrum putavit. Itaque cum nonnulla de *carminum bucolicorum origine*, quantum & ad auctorem & ad inventionis locum pertinet; de *nomine* item *Idylliorum*, eorumque *materia*, fuſe & erudite præfatus eſſet; *decem* ſubjicit *Gallici oris Idyllia* res amatorias complexa, & campeſtrium deliciarum characterem feliciter ſatis exprimentia; ſed in quibus uti ad Italorum imitationem paſtores ſuos elegantiores paulo, quam *Theocritus* ſuis permittit, incedere jubet; ita vicisſim *Theocriti* exemplo plus ipſis nativæ illius ſimplicitatis relinquit; idque ideo ſe feciſſe fatetur, ut ſeculi moribus, qui politiores fere etiam hodie in pagis ſunt, quam olim, obſecundaret; magis poſtremum hunc imitaturus, ſi animi tantum cauſa & ſibi duntaxat ſcripſiſſet.

Iſta dum in chartam conjicimus, ſilentio transmittere non poſſumus, quæ Vir Clariſſimus, *Joh. Gothofredus Herrichen*, in Muſæ paſtoralis carminibus apud nos præſtiterit. Ut enim nihil dicamus de *Hexaſtichis Anniverſariis Græcis*, quibus *pericoparum evangelicarum*, quæ ſingulis diebus dominicis in ſacro ſuggeſtu explicantur, argumenta nervoſis epigrammatibus incluſit; anni amplius elapſi ſunt viginti, cum diverſis temporibus amœbæo paſtorum ſermone *natales Androthei* celebraret; *Pana mortuum*, ad imitationem *epitaphii Adonidis*, in quod *Moſchus* omnes ſermonum Veneres congeſſerat, facunde miſeraretur; *Angelorum* denique *miniſterium* decantaret, iſtaque omnia *Idylliis Græcis* ſcitiſſimis, & puritate verſuum inventionumque inaffectato acumine tantum non ſupra ſeculi genium eminentibus. Ac optandum omnino eſt, ut vir literarum humaniorum, Græcarum inprimis callentiſſimus, reliqua non ejus ſaltem, ſed aliorum etiam generum poemata, quæ partim affecta, partim elaborata in ſcriniis aſſervat, *Archilochum* inprimis *Chriſtianum*, cum ejusmodi ſuavitatum ſtudioſis communicare quam primum velit.

ANATOMIA, SEU INTERIORA RERUM CUM ANIMATARUM tum inanimatarum, ope & beneficio exquiſitiſſimorum microſcopiorum detecta, variisque experimentis demonſtrata, Epiſtolis quibusdam ad celeberrimam Societatem Regiam Londinenſem datis comprehenſa ab ANTONIO LEEUWENHOEK, *ejusdem Regiæ Societatis Symmyſte.*

Lugduni Batavorum apud Cornel. Bouteſteyn. A. 1687. 4.

PRæter trigam Epiſtolarum, *in Actis Erud. A. 1685. p. 533* jamdum a nobis commemoratam, aliæ quindecim hic ſiſtuntur, ab Autore perſpicaciſſimo ad Illuſtrem Societatem Regiam, quæ Londini floret, perſcriptæ. Harum Prima viva indagat animalia, tam in lactibus ſive ſemine maſculino aſelli majoris & variorum luciorum, quam in leporis, canis & galli gallinacei teſticulis ab Auctore viſa; demonſtratione evidenti adjecta, homines in toto univerſo degentes a numero animalculorum, ex unius aſelli majoris lactibus provenientium, plus

pag. 1.

deciés

decies ſuperari. *Ep. II.* vaſa lignorum v. g. quercus, ulmi, fagi, ſalicis, alni, ebeni Mauritii, buxi & ſtraminis deſcripta & depicta, nec non animalcula in lactibus percæ, cyprini lati, truttæ & tincæ animadverſa exhibet. *Ep. III.* teſticulum gliris & animalcula in eodem non minus ac in conchis & oſtreis, quemadmodum & in liquore a palmite deſtillante, reperta pertractat; craſſitudinem imprimis 10000 animalculorum & plurium ſimul teſticuli gliris, non tantam eſſe, quanta unius ſit exigui fili teſticulum conſtituentis, innuens. *Ep. IV.* obſervatione propoſita circa ortum & figuram capillorum, a nobis *A. 1683. p. 511.* ex Transactionibus Anglicanis excerpta, oſtendit, pruritum ſæpius corporis noſtri a crinibus oriri in locum profluxorum quidem ſuccedentibus, aſt dum ad extremam cutem protruſi nullam ibi patulam viam inveniunt, cum vi per ſupremam cutem perrumpentibus, tum aliquo modo extremam cutem a cute ſubſtrata divellentibus; item crinones falſo reputari pro vermiculis; viva vero animalcula in excrementis, equi urina & limo exiſtere. *Ep. V.* ſtrias muſculorum carnoſas non tam ex globulis, quam e magno numero ſtriarum, (quas hic differentiæ cauſa fibras Autor appellat) contextas eſſe; nec ſanguinem rajæ, aſelli majoris & ſalmonis ex particulis globoſis, uti in homine & animalibus, ſanguinem rubefacientibus, ſed ex ovalibus conſtare indigitat, capillamentorum autem fibratorum oſtrearum motum inſignem, modumque, quo laminæ ſive putamina oſtrearum concham conſtituentia multiplicentur, detegit. *Ep. VI.* muſculos tam cancri, quam ſquillæ, ex parvis admodum ſtriis conſiſtere, quarum quælibet e copia fibrarum coaleſcat, confirmat. In omnibus arborum & plantarum ſeminibus originem plantæ contineri, *Ep. VII.* exemplo ſeminum potisſimum fraxini, folia adeo magna includentium, ut magnitudine omnia folia in ſeminibus arborum hucusque ab Autore perſpecta excedat, nec non ſeminum ſalicis, quæ æque ac ulmi, antequam folia harum arborum ad juſtam maturitatem pervenerint, deprehendantur matura, illuſtrat; uberiusque *Ep. IIX.* corroborat ſeminibus gosſipii, palmæ, uvarum criſparum, uvarum urſinarum, casſiæ, ſpinæ acutæ ac tiliarum, item caryophyllis aromaticis: quamvis circa hæc in conciliando aliquo ipſis incremento fruſtraneos ſemper conatus, unicam ſi vicem excipias, de ſe Autor teſtetur; ita quidem, ut ulterioribus quoque conati-

bus

pag. 12. pag. 25. pag. 32. pag. 43. pag. 54. pag. 58. pag. 28.

bus oppido valedixerit, cum a Duce quoque poſtea, qui multos per annos in India Orientali militibus præfuit, caryophylla aromatica ibidem a corruptione conſervanda, ſalſæ primum committi aquæ, hinc admodum areſieri, tandem perfumari intellexiſſet. De cætero ſemina inter commemorata hanc intercedere differentiam, ut pleraque eorum præter initium ſive originem plantæ, ſubſtantia quadam alba, farinæ nomine inſignita gaudeant, ad iſtam ſeminis partem, unde arbor aut planta oriunda eſt, tam diu alendam, donec eadem per duram corticulam in terram radices alimenti inde recipiendi gratia egerit; ſemina vero goſſipii & ſpinæ acutæ ſimili ſubſtantia farinacea penitus deſtituantur. Reliqua denique obſervata chylum, ſudorem, cutem ſupremam, nervum opticum, trutarum bilem, cutem anguillarum, vaſa ſquammarum praſini, ſaliaque diverſa concernunt.
pag. 119. *Ep. IX.* figuram ſalium plurimorum v. g. card. bened. abſinth. aluminis, nitri, vitrioli, liquoris tartari, cinerum & calcium non unius
pag. 149. generis, ſalis denique ammoniaci explanat. *Ep. X.* generationis & conceptionis fœtus in utero negotium ex animalculis ſemini maſculino inexiſtentibus evolvit, jamjam in Acta *A. 1686. p. 474.* e Trans-
pag. 178. actionibus Anglicanis potiorem partem transſcripta. *Ep. XI.* modo in Cinabari nativa argentum vivum, oleum & ſal; modo ingens ſpatium a pulvere pyrio intra occluſum vitrum accenſo occupatum, una cum figura accenſarum particularum nitroſarum denuo quieſcentium contemplatur, judicium ſimul ferens de tormentis bellicis glandem plumbeam ad majorem diſtantiam, breviora ſi fuerint,
pag. 194. propellentibus, quam ubi longiora extiterint. *Ep. XII.* obſervationibus circa ſemen goſſipii ſuperioribus (quibus quatuor equidem in hoc folia cum ea parte, quæ in truncum & radicem cedit, nec non ipſas foliorum maculas diſtincte apparere, materiam ſolum farinaceam ſive nutritiam exteriorem abeſſe innotuit,) per novas reiteratas ſatis comprobatis, texturam cum oſſis, tum ſquammularum cuticulam efformantium, exponit: illud videlicet e quadruplicibus coaleſcere tubulis magnitudine differentibus, ac longitudinem oſſis conſtituentibus, quos alii duplicis magnitudinis ex cavitate ſive imo oſſis provenientes & ad circumferentiam excurrentes interjaceant, forſan perioſtium maximam ſui partem æque concinnantes & ſuſtentantes, ac cortices alias arborum ex ligno produci & nutriri aſſolent;

has

has vero ſive ſquammulas minimas, ducenteſimam arenæ partem nondum æquantes, e magna vaſculorum ſe mutuo mire intercurrentium copia, pariter atque piſcium ſquammas, coagmentari. Præternaturales interim videri partes coniformes, in ramenti cuticulæ a naſo, ubi pruritus ſentiebatur, avulſi parte interiori, qua cutem ſpectat, obſervatas, utpote e materia quadam craſſa e corpore proſcripta contextas, atque hic in *Tab. II. Fig. 2.* A B C D cum apertura E, quam pilus quidam parvus pertranſiit, microſcopii adminiculo repræſentatas, etiamſi ramentum ipſum coram nudo oculo non majus, quam *Fig. 1.* exhibet, apparuerit. *Ep. XIII.* Gallas fructus querci denominare prohibet; ex foliis namque quercinis a certo genere vermiculorum (a muſcis oriundorum, rurſusque in muſcas tranſeuntium) perfoſſis excreſcere, nec ratione abſimili nuces cardui in ipſo carduo provenire; in caſtanea vero & juglande primordia plantarum, & quomodo per funiculos, animalium inſtar intra uterum, alantur, deducit. *Ep. XIV.* ſemen Karpock, Bupariti, Kaukin & Adamboe luſtrat, quorum duo priora in Tab. II pariter delineata, non minus quam goſſipii ſemen, oleoſa materia nutriente careant. Scilicet *Fig. 3.* A B C D fructum ſemen ferentem, *Karpock* in *Horto Malabar. tom. 3. p. 59. Panjala* dictum, exhibet nonnihil apertum, quo ſitus ſeminis in goſſipio decumbentis, fructumque hunc intus quaſi replentis animadverti queat. *Fig. 4.* ſemen ejus denotat, cum duro cortice, e goſſipio exemptum. *Fig. 5.* idem ſiſtit ſemen cortice duro membranaque denudatum, quod nucleus alias ſeminis audit. *Fig. 6.* ipſum ſemen membrana ſua in circulo non ſolum tenellam involvente, verum portione ſui aliqua ipſa quoque folia intercurrente ſpoliatum exprimit, poſtquam aquæ aliquamdiu, membranæ eo promptius ſeparandæ ergo, fuiſſet immerſum, quapropter nonnihil etiam intumuit; in hoc acutus oculus radicem duplicatim ſibi incumbentem facile dignoſcere valet. *Fig. 7.* E F G folia ab invicem diſperſa & valde alba repræſentat, ea quidem, qua microſcopium exhibuit, magnitudine. H vero partem ſignificat in radicem ac truncum ceſſuram, quæ inſtar colli cujusdam cygni incurvati jacet. *Fig. 8.* plantam pariter tenellam, cujus folia non adeo ſunt extenſa, ſiſtit. *Fig. 9.* ſemen delineat in *Hort. Malab. Bupariti* vocatum, prout cum cortice craſſo vulgo apparet. *Fig. 10.* nucleum prædicti ſeminis exhibet, in quantum e cortice duro

TAB. II. Fig. 2. Fig. 1. pag. 210. pag. 227. Fig. 3. Fig. 4. Fig. 5. Fig. 6. Fig. 7. Fig. 8. Fig. 9. Fig. 10.

Fig. 11. exemptus membranæ involvitur. *Fig. 11.* itidem idem oſtendit ſemen membrana denudatum, poſtquam per aliquot horarum ſpatium membranæ ſeparandæ gratia aquæ immerſum fuit, in quo jam hic loci oculo nudo complicata pars in radicem truncumque ceſſura dignoſci
Fig. 12. poteſt. *Fig. 12.* vero L M N O folia denotat quatuor ſeminis ejusdem vitri modice amplificantis ope delineati, & Q R S aciculas, quibus folia ſunt extenſa, K P autem partem indigitat in radicem & truncum abituram, utpote in hocce & priori ſemine extraordinarie magnam, proportione habita ad alia ſemina, in quibus oleoſa continetur farina plantæ primordia involvens ſeu cingens. Atque cum ſeminibus hiſce Karpock & Bupariti, ova matureſcentia ſquillarum & aſtacorum porro conferuntur, ceu in quibus pariter nihil præter parvas
pag. 258. ſquillas parvosque aſtacos liceat reperire. Tandem *Ep. XV.* ligna tempore æſtivo truncata, æque ſolida eſſe, ac ligna tempore hyberno abſciſſa, e textura eorum declarat; ſubitaneam vero lignorum putrefactionem a lento eorundem obitu in medio derivat; lignum denique quercinum in calidis regionibus productum, robuſtius eſſe & durabilius, quam in frigidis regionibus creſcens, a celeriori ejus incraſſatione demonſtrat, cognoſcenda in ſejunctionibus circularibus extremitatis arboris diſſectæ; harum namque ſejunctionum circularium quemadmodum quævis unum ætatis annum indicat, ita quo magis eædem a ſe invicem diſtare obſerventur, de tanto celeriori incraſſatione, adeoque de majori præſtantia ipſius ligni teſtari.

JOH. AGRICOLÆ PH. & M. D. Deutliche und wohlgegründete Anmerckung über die Chymiſche Artzeneyen *Johannis Poppii, &c.*

h. e.

Joh. Agricolæ notæ in Poppii medicamenta chymica, auctæ animadverſionibus Dn. Joh. Helfrici Jungkens Med. Lic.

Norimbergæ Impenſis Joh. Ziegeri, 1686. in 4.

Cum notiſſimus jampridem ſit hic Agricolæ liber, quo non ſolum proceſſus multos chymicos, ſed & non paucas hiſtorias ad medicinam pertinentes complexus eſt, non opus eſſe videbatur, ut ejusdem a nobis

a nobis aliqua injiceretur mentio; quoniam tamen augmentum non contemnendum eidem acceſſit, Jungkenii nimirum ſtricturæ, novam hanc acceſſionem non duximus omnino prætereundam ſilentio. Totum ergo Agricolæ opus in genere quod attinet, notatur ab animadverſionum auctore in eo, quod nimis magnificis titulis ſæpe exornentur medicamenta, & tantum non pro myſteriis venditentur præparationes ſatis vulgares; præterea parum eidem arridet medendi methodus, qua Agricola uſus eſt, dum ægrum medicamentorum numero obruit, ut, licet convaleſcat, neſcias tamen, cuinam ſanatio accepta ferenda ſit. Porro ubi proceſſus chymici ſub examen vocantur, rejiciuntur quidam tanquam inepti, in melius alii mutantur, tandemque nonnulli a recentioribus inventi ſubnectuntur. Ut pauca tantum delibemus, ex quibus notarum harum ingenium poſſit perſpici, *Parte I. Cap. 1.* negatur medicinæ univerſalis poſſibilitas aurique radicalis ſolutio absque corroſivo, ridenturque qui Soli veſtem exuere, h. e. aurum tinctura ſua ſpoliare laborant. Porro auri ſolutiones plerasque non ratione metalli admixti, ſed menſtrui operari aſſeritur, atque hinc duo communicantur menſtrua Jungkenio multum deprædicata, quorum primum alcalinum eſt, & ex ſpiritu & ſale volatili urinæ cum ſale ejus fixo per crebra cohobia combinato, & anaticæ ſpiritus vini parti per circulationem conjuncto conſtat; alterum vero acidum volatile ex capite mortuo vitrioli & ſale ammoniaco paratur. *Cap. 3.* Heslingii Azoth deſcribitur, & ex Polemanno viridis ex ære ſpiritus elaboratio docetur. *Cap. 4.* ſpiritus fumigans ex ſtanno & mercurio quomodo paretur, oſtenditur. *Parte ſecunda cap. 2.* ſulphur & mercurius ex principiorum numero expunguntur, antimonii diaphoretici non edulcorati uſus commendatur, & qua ratione per Regulum Antimonii Venereum ſtanno ſonus pariter atque color argenti conciliari posſit, aperitur. *Cap. 3.* culpatur Agricola, quod acidum ſulphuris ſpiritum in melancholia hypochondriaca & affectibus pulmonum præſcribat, ſubjiciturque modus ſingularis tincturæ ſulphuris antimonialis ex ejusdem balſamo parandi. *Cap. 4.* varios exhibet modos cuprum dealbandi, mediante arſenico. *Parte tertia cap. 4.* ubi de nitro agitur, modus afſertur rubrum nitri ſpiritum obtinendi, eumque qui alias fumi ſemper ſpeciem retinet, mediante camphora, ad ſtatum liquoris reducendi.

cendi. Et cum ſalia volatilia iis plerumque laborent defectibus, ut vel urinoſo odore ingrata ſint ægris, vel addita vehiculis aquoſis dimittant olea ipſis admixta, ſuam methodum *Cap.6* impertit auctor appendicis, quæ neutri ex his obnoxia eſt. Quomodo talco per certam calcinationem ea friabilitas introducatur, ut facile in ſubtilisſimum pulverem posſit comminui, monſtratur *Cap. 21.* Elixir proprietatis duplex, alcaliſatum & acidulatum habetur *Cap.32.* quorum illud ſalis cujusdam volatilis oleoſi, hoc vero acidi volatilis additione paratur. Tandem *Cap.24.* quod de medicato potu agit, varia non minus jucunda, quam utilia proponuntur, quæque alibi de potu Caffe, Theæ, Chocolatæ & Sorbet prolixius leguntur, hic in compendio traduntur.

HISTORIÆ ANGLICANÆ SCRIPTORES QUINQUE, EX vetuſtis codicibus MSS. nunc primum in Lucem editi. Volumen II.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano 1687. fol.

DE inſtituto laudatisſimo Curatorum Theatri Sheldoniani, (e quo tot libri optimæ notæ ab aliquot annis prodierunt,) ſcriptores antiquos rerum Anglicarum hactenus ineditos e tenebris in apricam lucem protrahendi, diximus jam in Actis A.1685. pag. 143; cum primum egregii, quod moliuntur, operis volumen recenſeremus. Quod vero & noſtrum tum & publicum votum fuit, ut tomi reliqui propediem ſequerentur, ejus ex parte facti jam ſumus compotes, poſtquam alterum etiam volumen publici juris fuit factum. Eo vero quinque exhibentur Scriptores, nunquam ante typis exſcripti, ſed digni tamen viſi qui ab interitu vindicarentur. Primo loco ſiſtuntur *Annales Marganenſes*, in cœnobio Margan, quod fuit olim in Wallia, ſed dubium quo auctore & quo tempore concinnati. Iis quam brevisſime
pag. 1. (unde & Chronica Abbreviata audiunt) enarrantur, quæ ab anno 1066, quo Edwardus ſanctus Guilielmo Normanno hærede relicto diem obiit, uſque ad annum 1232, quo Henricus III rerum potiebatur, non in Anglia tantum, ſed & Francia ac Palæſtina geſta fuerunt. Sequitur
pag. 21. ſecundo loco Chronicon *Thomæ Wikes*, ſeu Wiccii, qui circa annum 1290 claruit, a Johanne Balæo Cent.4. Script. 72. & Joh. Pitſeo de illuſtr. Angl. Script. Ætat. 13. a. 1290, a doctrina varia laudatus.

Idem

Idem hujus Chronici, quod Marganenſis initium, a Regno nempe
Guilielmi Normanni; ſed longius illud, ad poſtremos nimirum Eduar-
di I. annos producitur. Tertio loco comparent *Annales Waverlei-* pag. 129.
enſes, a pluribus auctoribus, quos omnes tamen cœnobii Waverlei-
enſis Ciſtercienſis Ordinis in agro Surregienſi monachos fuiſſe, cum
in ejus monaſterii rebus narrandis adeo diligentes ſint, veroſimile eſt,
conſarcinati. Inter hos eum, qui res primæ partis conſcripſit, ge-
nere Saxonem fuiſſe, Editor conjicit; vixiſſe vero adhuc Guilielmi
Conqueſtoris tempore, ex his ipſis Annalibus, ubi vidiſſe ſe victorem pag. 134.
Normannum & fuiſſe aliquando in ejus curia teſtatur, palam eſt. Au-
ſpicium vero & hi annales ab anno 1066 capiunt, in anno 1291 deſi-
nentes. Quarto loco exhibetur *Itinerarium Regis Anglorum Ri-* pag. 247.
*chardi & aliorum in terram Hieroſolymorum auctore Gaufrido Vini-
ſauf*, ſeu Galfredo de Vino ſalvo: huic enim, non autem Ruperto mo-
nacho, ut Trithemio, Blondo & illi qui *Geſta Dei per Francos* evulga-
vit, viſum fuerat, vindicandum illud Itinerarium Editor contendit.
Floruit Galfredus ille exeunte ſeculo duodecimo ſub Richardo & Jo-
hanne Regibus, cognomen *de Vino ſalvo*, ut putant, ex eo adeptus,
quod de vitibus rite colendis conſervandoque vino librum, qui ma-
nuſcriptus Cantabrigiæ adhuc ſupereſſe dicitur, compoſuiſſet. Quem-
admodum & alia ingenii monumenta reliquit, vir pro illius ætatis
conditione doctus ac facundus, & Innocentio III etiam Romano
Pontifici, cui librum proſa & carmine hexametro de Arte dicendi de-
dicavit, non incognitus. Subjicitur Itinerario Hiſtoria captæ Da-
mietæ, ab Editore in eodem MSS. reperta, ſed de cujus auctore non
conſtat. Ultimum denique locum occupant *Chronica Walteri Hem-* pag. 455.
mingfort, Canonici de Giſſeburne, quod cœnobium in Eboracenſi Cli-
via fuit, *de geſtis Regum Angliæ*. Obiiſſe hic fertur anno 1347, hiſto-
riam vero ab A. 1066 uſque ad A. 1308, i. e. ab Guilielmo Conqueſto-
re usque ad tempora Eduardi II pertexuit; quæ tamen in ſecundo hoc
volumine non exhibetur integra, ſed ſolum ad annum uſque 1273, quo
Henricus III deceſſit. Cum enim Editor diligentiſſimus tertium
ſcriptorum volumen ab Eduardo I exordiri conſtituiſſet, alteram
illam Chronici hujus partem, qua Eduardi I res Hemmingfordus per-
ſecutus eſt, tertio volumini reſervandam cenſuit, certiorem ea ratione
ſpem prodituri propediem & tertii tomi Lectori facturus.

TRAITÉ DES STATUES.

i. e.

Tractatus de Statuis.

Pariſiis, apud Arnoldum Seneuzium. 1688. in 12.

ANni elapſi ſunt non multi, cum Delphinatus regio nomine præfectus, *Dux de la Feuillade*, Galliarum Monarchæ ſuperbam excitaret ſtatuam; cujus pulcherrimum inſtitutum, uti loquitur, plauſibus ſuis comitari ſuarum partium eſſe cum exiſtimaret præſentis libri *Auctor*, qui ad finem dedicationis *Franciſcum Lemceum* ſe appellitat; tractatum hunc de ſtatuis in lucem edidit publicam, hoc ipſo & Regis ſui velificaturus gloriæ, & Patrono inſimul gratum exhibiturus officium. Quapropter, quod ille opere ex marmore lapidibusque extructo effecerat, ille chartaceo hoc monumento præſtare connixus eſt; & quicquid adeo de ſtatuis ex antiquitatis memoria conquiri poterat, in decentem congeſſit ordinem, lectorumque oculis uno intuitu ſubjecit contemplandum. Equidem jam anno invergentis paulatim ſeculi quinquageſimo quinto *Edmundus Frigelius*, Hiſtorias in Academia Upſalienſi cum laude profeſſus, *Holmiæ librum* emiſerat *ſingularem*, in quo *de ſtatuis illuſtrium Romanorum* poſt *Juſtum Lipſium*, qui in *Admirandis* multa in hanc rem egregia notaverat, erudite non minus, quam eleganter commentatur; quem in multis *Lemceum* quoque ſecutum eſſe, ex frequentibus hinc inde citationibus apparet: nihilo ſecius ipſe, quæ de hac materia in univerſum afferri in medium poterant, conſtituit perſequi. Totum tractatum in XVI diſpeſcit capita, quorum vel ſummam recenſuiſſe ſufficiat. Poſtquam igitur in primam ſtatuarum originem inquiſiverat, quam valde dubiam eſſe agnoſcit, artem in quinque genera dividit, & ſimulacra diis, ſtatuas præter deos hominibus, ſigna denique non diis & hominibus tantum, ſed animalibus etiam competere docet. Cum de Sculptoribus agit, virum dicit eximium in eo nunc occupari, ut quam primum Vitas ſiſtat orbi erudito excellentium in hac arte magiſtrorum, qui ad noſtram uſque ætatem laude floruerunt. Pergit deinde, & quotuplici materia hanc in rem olim uſi fuerint, qua forma induerint ſtatuas, uberius explicat, ubi de ſtatuis inſimul Mercurialibus, item de Seraphim excurſum non inamœnum inſtituit; obſervans poſtmodum,

ad ca-

ad caput Julii Cæſaris in ſtatua expreſſi, cum jam in Deorum numerum ſolenni conſecratione relatus fuiſſet, ſtellam eſſe adjectam, quod cometa ipſo eo tempore, quo occiſus eſt, effulgere cœperit. Cum de altitudine ſtatuarum diſſerit, de coloſſis varia annotat, & haud multo poſt, quomodo pyramides ſe habuerint, proloquitur. Ad inſcriptiones ſtatuarum ubi perventum eſt, primariam inſcriptionem, qua Regis ſtatua, quam ſupra memoravimus, exornata fuit, exhibet, quoniam vel in exemplum eſſe poſſit ejusmodi monumenta commolientibus. Ulterius de loco ponendis ſtatuis idoneo; de utilitate & de honoribus, quos ſecum ferat ſtatuarum erectio; quibus meritis ſuccinctus honoris id genus aliquis olim obtinuerit; quo jure gaviſæ fuerint, & quam mirabiles effectus aliquando ediderint; qua ratione conſecratæ & cultæ, quomodo contra profanatæ fuerint, jucunde commemorat. In fine donatio & ſubſtitutio facta per Ducem de la Feuillade, & alia huc pertinentia adjuncta ſunt.

JOHANNIS RAII HISTORIÆ PLANTARUM Tomus II.

Londini apud Henricum Faithorn. 1688. fol.

DE celeberrimi Auctoris inſtituto, & quam in hac Plantarum Hiſtoria ſervandam ſibi propoſuit, methodo, in *Actis noſtris A.1683. pag. 184.* & iterum *A. 1687. pag. 105.* diximus. Itaque indicaſſe nunc Lectori Benevolo nobis ſuffecerit, quod alter quoque Hiſtoriæ illius Botanicæ Tomus in lucem prodierit, opusque adeo ſuis jam proſtet abſolutum numeris. Quemadmodum autem *tomo primo*, poſtquam Libro I. de plantarum natura in genere, nec non libro II. de plantis imperfectis, i. e. quæ flore & ſemine carent aut ſaltem carere videntur, egiſſet, ſequentibus ſeptendecim libris totidem ſumma *Herbarum* genera, ſed in ſpecies ſuas accurate diſtincta, deſcripſerat: ita *ſecundo* hoc *tomo* primum quidem, quæ ſupererant Herbarum genera, pari ſtudio enarrat, tandemque abſoluta ampliſſima illa de Herbis doctrina, quæ non ſolum tomum primum integrum, ſed mediam fere partem ſecundi quoque occupat, ad *Dendrologiam* progreditur. Ea vero, contra quam olim in *Methodo plantarum nova* Londini A.1682. edita conſtituerat, ſimul & de *Arboribus* & de *Fruticibus* agere nunc voluit,

voluit, tum quod difficile deprehendiſſet, certum quendam magnitudinis limitem inter arborem & fruticem definire, quippe qui non natura, ſed arbitrio humano conſtet; tum quod arbores & frutices præcipuis notis conveniant, neque hi minus, quam illæ, gemmiferi ſint, ſubſtantiaque lignea conſtent. Quin & nova nunc methodo in diſponendis iis uſus eſt; priori quam in *Actis A. 1683. pag. 185.* delineavimus, quod proba minus, in nonnullis etiam erronea accuratius rem perpendenti viſa eſſet, repudiata. Nova vero hæc, quam indicaſſe operæ fuerit pretium, ita procedit, ut Libro XXIV, quo Dendrologiam ſuam auſpicatur, de arboribus caudice ſimplici non ramoſo; XXV de arboribus, quarum fructus a floribus remoti vel ſejuncti ſunt; XXVI de arboribus flore fructuque aggregato; XXVII de arboribus pruniferis, quarum flos baſi ſeu imo fructui adhæret; XXVIII de arboribus bacciferis flore imo fructui cohærente; XXIX de arboribus pomiferis, quarum flos imo fructui adnaſcitur; XXX de arboribus fructu per maturitatem ſicco; XXXI de arboribus & fruticibus ſiliquoſis; XXXII denique de arboribus & fruticibus vel anomalis, vel minus cognitis, exoticis, novis & in Europam nuper illatis agat. Quomodo vero ſingula hæc arborum fruticumque genera in ſuas ſpecies per diverſas ſectiones & ſectionum diverſa capita distribuantur, prolixum nimis foret hic recenſere. Subjicitur tandem *Appendix* Addenda & Emendanda continens, nec non Compendium *Hiſtoriæ* Plantarum Mexicanarum *Franciſci Hernandez*, cum duplici indice, altero Nominum & Synonymorum præcipuorum, altero Affectuum & Remediorum, ac Nomenclatore denique Botanico Anglo-Latino.

* *
*

Non ignorare Lectorem Benevolum volumus, Roberti Knoxii *Relationem Hiſtoricam de Inſula Ceylon, cujus recenſum* in Prima Supplementorum Sectione pag. 36. ſqq. *inſtituimus, ex Anglico in Germanicum ſermonem nuper admodum, ut plurium hac ratione uſui liber lectu jucundiſſimus pateret, traductam, apud* Joh. Frid. Gleditſchium *venum hic proſtare.*

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

SECTIO III.

BACCO IN TOSCANA. DITIRAMBO DI FRANceſco Redi, Academico della Cruſca, con le annotazioni.

i. e.

Bacchus in Hetruria. Dithyrambus Fr. Redi Academici Furfuroſi, cum annotationibus.

Florentiæ apud Petr. Matini. 1685. in 4.

Conſtat plagulis 39.

CEleberrimæ, quæ in vernacula ſua excolenda impenſisſimo ſtudio occupatur, Academiæ nobiliſſimum hoc membrum, & Patritius *Aretinus*, in hoc carmine Bacchum, prope palatium Imperiale extra mœnia Florentiæ, a *Maria Magdalena* Auſtriaca, *Coſmi II.* Magni Hetruriæ Ducis Conjuge, *futurarum*, ut in- p. 3. Annot.
ſcriptio habet, *Magnarum Ducum otio deliciisque inſerviturum*, A. 1622. extructum, in prato cum Ariadne ſua genio indulgentem, & varii generis vinorum, Hetruſcorum maxime, laudes decantantem miro artificio introducit. Ad evidentiorem quoque tam rerum quam verborum intellectum Annotationes ſubjunxit, quales etiam magnum illud Poetarum Sileſiæ lumen *Dan. Caſparum* a *Lohenſtein* Tragœdiis ſuis Germanico idiomate editis addidiſſe meminimus. Illæ vero cum variam eamque elegantiorem Autoris in Antiquitate probe verſati literaturam & criſin ſatis comprobent, ſelectiora quædam recenſioni huic noſtræ inſeruiſſe forte haud pœnitebit.

2. Ex Epigrammate Græco libr. 1. Anthologiæ (cujus ſinguli verſus ordine Alphabetico epitheta Bacchi continent, ſingula vero vocabula ab eadem litera incipiunt,) & quidem ultimo verſus in litera I vocabulo εἰραφιώτην, pronunciationi hodiernæ, ει ſc. inſtar i, quam

Itali etiam ſequantur, Ultramontani vero reprobent, autoritatem aliquam conciliari poſſe opinatur, ſi de puriori Poetæ ævo certius conſta-
p.12. ret. Dum vini, in planitie vici *Lecore* prope Florentiam provenientis, levioris vero & ab aqua parum abeuntis meminit, inter antiquiores civitatis *Aretii* leges unam extitiſſe commemorat, qua plantatio vinearum in planitie, ſementi faciendæ deſtinata, ſevere prohibita fuerit. Contra *Petraiam* & *Caſtellum* villas Sereniſſimi M. Ducis ab optimis, quæ ibi generantur, vinis commendat, quorum generoſitas ex vitium imprimis ex Hiſpania, Gallia, Canariis aliisque Archipelagi inſulis,
14. accerſitarum bonitate augeatur. Occaſione Vini *Muſcati*, quod ex uvis Apianis (ob Apium infeſtationem ita dictis) exprimitur, libri ſui, qui *Experientiæ circa Generationem Inſectorum* inſcribitur, mentionem injicit. Quam in rem etiam *Menagium* de *Originibus Linguæ Italicæ* allegat, autoritate ipſius & in ſequentibus ſæpiſſime uſus. Ita & *Stephanum Pignatelli* Equitem Romanum, ob ſingularem eruditionem, de qua inter alia ſcripta Tractatus etiam Platonicus de materia, *quanto magis animi quam corporis pulchritudo alliciat*, Chriſtinæ Suecicæ dedicatus, te-
23. ſtetur, laudare haud negligit. Vinum eſſe verum *aurum potabile*, Poetæ Turcici aſſerto firmat, qui in Quaternario rythmico inter MSS. Orientalia Sereniſsimi M. Ducis hodie regnantis reperto, & a *Bartholomeo d'Erbellot*, Linguarum Orientalium peritiſſimo, communicato, Vinum *rubinum fuſilem*, *aurum*, *verum ſulphur Alchymiæ*, *optimam theriacam*, *& medicinam*, *qua ad venenum temporis maligni diſpellen-*
24. *dum præſtantior non occurrat*, appellitet. *Horatii Rucellai* Equitis & Prioris Florentini Dialogi, in tres ruſticationes *Tuſculanam*, *Albanam*, & *Tiburtinam* diſpoſiti, & de Philoſophia naturali & morali agentes, quorumve materia univerſalis duabus his propoſitionibus, *Hoc unum ſcio, quod nihil ſcio*, & *Noſce te ipſum* innititur, digni Autori viſi ſunt, quo-
29. rum, cum nondum editi ſint, argumentum hic exhiberet. Ubi Bacchus in carmine vinum notiſſimæ iſti potionum trigæ, *Ciocolatæ*, *Theæ*, & *Caffeæ* longe præferens fingitur, ex *Franciſci di Antonio Carletti* Florentini, unius inter primos, quorum opera Ciocolata Europæ innotuit, Diſcurſu coram *Ferdinando* I. M. Duce habito, Notitiæ quædam ad potum iſtum ſpectantes adducuntur, & quomodo huic in Aula Tuſca per varia ingredientia nova gratia hodie concilietur; adjecto nitidiſſi-
33. mo *Thomæ Strozzi* Neap. Soc. J. carmine, quo modus iſtud potionis

genus

genus accurate præparandi, uſu vitelli plane damnato, ſollicite traditur. *Caffeam* vero, quam nec delectationis, nec medicinæ intuitu laudare 41.
ſe poſſe ait, a nonnullis pro veterum illo *Nepenthe* haberi, cujus compoſitionem Helena, juxta Homerum, in Ægypto, unde Caffea frequentius nobis afferatur, addidicerit. Ceterum inter Perſas ante paucos annos novum amariſſimæ potionis genus, *Choc-nar* dictum, ex ſucco radicum mali Punicæ, admixtis aliis aromatibus, compoſitum invaluiſſe; & civiliores Turcas potioni ſucci pomorum Cydoniorum pauxillo ſaccharo temperati, ad Caffeæ inſtar, ſorbillandæ jam aſſueſcere. Citato in vituperium *Cereviſiæ* ex libro I. Anthologiæ Epigrammate Græco *Juliani* Imperatoris, cujus nativo acumini, ex *Antonii Mariæ Salvini* Lectoris Linguæ Græcæ Florentini judicio, Latina Eraſmi trans- 44.
latio non æque reſpondeat, ex M S C. *Aldobrandini* vitia & virtutes illius potus afferuntur; quanquam cereviſiam ex farre coctam cuivis alii, quam triticum, hordeum vel avena ingrediatur, præferendam idem ſtatuat. Potus Anglici *Cider* natales Ebræorum *Siceræ* afferuntur, 46.
quæ Hieronymo *Pomatium*, & *Piratium* audiat; refutato *Suida*, qui Siceram a συγκεκρᾶσθαι derivet, & pro vino condimentis mixto venditet. Ab *Angarii*, qui Perſis *Curſores* vel *Miſſos* Regis denotent, Græ- 47.
cos forte ſuum ἄγγελος ejusdem ſignificatus formaſſe; idem vero vocabulum, teſte *Suida*, etiam *ſtolidum*, *vilem*, & *abjectum* innuere, quod a *Ferrario* in *Originibus* ſub voce *Tanghero* obſervatum non fuerit, notatur. Coloris rubicundi (*vermiglio* Ital. *vermeille* Gall. *ver-* 48.
miculus Lat.) appellatione expoſita, ejusdem, ut & Carmeſini uſum in antiquis exequiis obtinuiſſe, Caroli VII Regis Galliæ, aliorumque 51.
exemplis confirmatur. A politiſſimo quodam Scriptore, hodiernam 52.
Linguam Gallicam, quod Diminutiva reſpuat, extollente, Italis vero, quod iis abundent, & Diminutivis Diminutivorum in tertiam quartamve generationem usque utantur, exprobrante ita diſſentit Noſter, ut cum judicio & ſuo loco adhibita inter linguarum divitias referenda illa judicet. Vocabuli *Drudo*, cui Latinorum *Procus* reſpondeat, me- 56.
dia, adeoque non ſemper inhoneſta ſignificatio, quia & fidei Chriſtianæ amatoribus tributum legitur, variis autoritatibus ſtatuminatur. Cum Bacchus in Dithyrambo hoc, ut potus ſibi recte conſtet, nivem 64.
loco *quinti elementi* requirat, hoc ipſum proverbiali Hetruſcorum locutione *rem maxime neceſſariam* exprimere dicitur. Hinc *Bonifaci-*

um VIII, cum tempore coronationis ſuæ, XII Legati iique omnes Florentini, a diverſis Europæ Aſiæque Principibus gratulabundi acceſſiſſent, in Conſiſtorio publice dixiſſe: *Florentinos in rebus humanis quinti Elementi vicem ſuſtinere.* Quin & ipſam *Florentiam* a certo quodam
69. Autore eodem ornari præconio. Paulo poſt de more, nive & glacie admota bibendi, Græcis & Romanis olim uſitato, & noſtris ſeculis cum
78. inſigni luxu revocato, pluribus agitur. Abbatis *Regnierii*, Secretarii Academiæ Gallicæ, & Academici Furfuroſi honorifica interſpergitur mentio, qui in vernaculo, Latino, Græco, Hiſpanico & Italico, eoque tam ſoluto quam ligato ſermone, puriſſime ſcribere edoctus, *Anacreontis* Poemata, textui tenaciter inhærendo, mira felicitate Italice reddiderit. De *Sonettis*, Poeſeos Lyricæ ſpecie, quæ 14 verſibus hendecaſyllabis abſolvitur, non a *ſono* qua tali, (uti eruditiſſimus *Menagius*
110. in Originibus Linguæ Gallicæ velit, qui tamen in Orig. L. Ital. ſe ipſum correxerit) ſed quatenus verba & cantica cum ſono conjuncta includit, dictis, eorum origine, quæ Italis vindicatur, variisque generibus, a p. 99. usque 122. copioſe diſſeritur; inter cetera, quomodo in Gallia & Hiſpania tempore Franciſci I, in Germania vero hoc demum ſeculo innotuerint, & *Opitius*, *Gryphius*, *& Flemmingius*, nec non in Belgio *Daniel Heinſius* applauſum iſto poematis genere meruerint; nec de-
115. 119. eſſe exempla *Sonettorum 14* verſuum numerum excedentium, qui *caudati* dicti fuerint, a quo genere *Petrarcha* abſtinuerit, eo quod Sonettis ipſius in conſpectum *Lauræ*, modeſtiſſimæ virginis, prodeundum fo-
127. ret. Poſt iteratum *Salvini*, ob reconditam rerum & præcipuarum Linguarum Europæ cognitionem, encomium, *Carolus* quoque *Maria*
128. *Maggi*, Senatus Mediolanenſis Secretarius, & Linguæ Græcæ Profeſſor,
142. celeberrimus ſeculi noſtri Poeta celebratur. Sic & *Alberti Rimbetti*, Medici Florentini, Tractatum de Peponibus, quem MSCtum penes ſe habet, dignum qui lucem aſpiciat, Noſter judicat. Nec ſingularis *ſuffi-*
139. *tus*, ejusque admodum ſalutiferi, *Cunzia*, quæ Hiſpanis certa junci ſpecies eſt, dicti, præparandi ratio curatius hic deſcripta negligenda videatur. Pro Equite *Balnei* (interni ſcilicet) dum ſe venditat Bacchus, de *E-*
149. 177. *queſtri* iſto *Ordine* varia afferendi occaſionem Poeta arripit; imprimis exempla recenſet eorum, qui Romæ, in Anglia & Gallia, Florentiæ & Aretii iſti adſcripti fuerint, qualesve cerimoniæ ibidem intervenerint. Utut vero *Cambdenus* Ordinem illum plane deſiiſſe ſcripſe-

rit,

rit, certum tamen eſſe, Carolum II Angliæ Regem, cum coronaretur, ex veteri inſtituto complures ejusmodi creaſſe Equites. Longobardo- 180.
rum quoque morem non præterit, quorum Reges filiis ſuis, antequam a Rege extero Equites crearentur, ſecum prandere non permiſerint; veluti etiam ex hac ratione ad cœnam, qua Carolus V Galliæ Rex *Wenceslaum* Regem Romanorum Pariſiis excepit, Duces nonnulli admitti haud potuerint. *Cygnos*, cum albi ſint, quomodo alicubi *pur-* 190.
pureos Horatius vocare potuerit, diſquirit Academicus noſter; & ab iis, qui *pulchros* & *nitidos* explicant, (eodem modo, quo per *aurum* excellentia, ſplendor, & pretium alicujus rei exprimatur, v.g. *aureolus* libellus; niſi etiam quis ad *purpuram albam* reſpexiſſe Poetam credere velit, cujus Plutarchus, ex doctiſſimi *Tanaquilli Fabri* obſervatione, mentionem facit) divortio facto, proprie tales cygnos intellexiſſe Horatium autumat, cum certa horum detur ſpecies, quorum plumæ in capite, collo & pectore, cum apicibus colore pomi aurantii maturi tinctis appareant, quales in Magni Ducis ſui venationibus ſæpius obvios Auctor habuerit. Si vero dicat, *Onocrotalos* quoque palear coccinei coloris a roſtro pendulum gerentes ab Horatio intelligi, nec ſine myſterio id genus avium, ob linguæ, quæ vix appareat, exilitatem voce deſtitutum, furtivis dominæ amoribus celandis aptiſſimum credi poſſe, conjecturam hanc non niſi pro luſu ingenii accipi cupit. Splendorem 215.
illum, qui ſub finem tempeſtatum ſupra malos, antennas vel remorum palas appareat, veterum illud Caſtoris, Pollucis & Helenæ ſidus, a nautis hodiernis vero pro luce *S. Elmi* ſeu *Eraſmi*, Epiſcopi Siciliæ, Protectoris ſui agnoſci ſolitum, ab aliis pro exhalatione a turba navigantium transpirante, ab aliis pro effectu radiorum ſolarium in bullas ex alliſione maris in antennis remanentes repercuſſorum, ab aliis autem, quibus per totam vitam in navigationibus exactam ſimile quippiam viſum non fuerit, pro fabula vulgi haberi ait, quod ipſum ad opinionis *Metrodori* a Plutarcho L. II. de Placit. citatæ confirmationem oppido faciat. Vocis *Mignon*, cum pluribus aliis, quæ juxta *Hottomannum* tertiam Lin- 217.
guæ Gallicæ partem conſtituant, a Francis in Galliam allatæ, derivatio a *minnen* petitur, quod Germanis *amare* ſignificet; cui voci Græcorum τὰ παιδικὰ, & Latinorum *Amores* reſpondeant. Cum pace vero 211.
eruditiſſimi *Reineſii*, qui L. III. *Var. Lect.* c. 1. vocem *Arneſi* varii generis inſtrumenta denotantem, a Latino-barbaro *Hernaſium*, hoc

 autem

autem a *Fara* deducat, quod in Lingua Longobardica idem ſignificet, monendum putat, *Fara* ibidem pro *familia*, *generatione*, ſeu *linea* uſurpari, ad *Magri* Noticias Vocabulorum Eccleſiaſticorum & Gloſſarium *Du Freſne* provocans. Poſt Decretum, ſub finem poematis hujus, quo *Vinum Montepulcianum omnium Vinorum Rex* declaratur,
189. tantum adhuc addimus, alius cujusdam *Dithyrambi*, *Ariadnes* ſcilicet *infirmæ*, in quo multa de aquarum materia occurrere conjicimus, ab Autore mentionem fieri, penes quem etiam non pauca MSS. latere, diverſæ eorum allegationes nobis facile perſuadent.

GALLIA VINDICATA, IN QUA TESTIMONIIS exemplisque Gallicanæ præſertim Eccleſiæ, quæ pro Regalia & quatuor propoſitionibus a Ludovico Maimburgo aliisque producta ſunt, refutantur.

Anno 1688. in 4to.

Conſtat plagulis 119.

AUtor hujus operis eſt illuſtriſſimus Dominus Cæleſtinus ex Marchionibus *de Sfondrati* Mediolanenſis, S.Rom. Imp. Princeps & Abbas S. Galli, cujus Regale Sacerdotium ſub Eugenii Lombardi nomine editum in Actis A.1685. p.376. ſqq. & tractatum Anonymo Lavardini in cauſa Romanæ legationis Advocato oppoſitum nuper admodum in Actis A. 1689. p.278. ſqq. recenſuimus. Præſentis libri ſcopus ex præfatione ſatis eluceſcit, quæ tota *Maimburgium* perſtringit. Cum enim is in libro de privilegiis eccleſiæ Romanæ, Romani quidem Pontificis primatum paginis non ita multis adſtruat, poſtea tamen maximam libri partem deſtruendis præcipuis primatus fundamentis, & ſtabiliendis quatuor Cleri Gallicani propoſitionibus impendat, & in libro de Pontificatu Gregorii M. non alium ſibi finem propoſuiſſe videatur, quam ut Epiſcopos ipſosque Pontifices Magiſtratus Politici imperiis ſubjiciat, Autor noſter pro eo, quo Romanam ſedem veneratur, cultu ſuarum partium eſſe duxit, ut Romani Pontificis cauſam adverſus Maimburgium ageret. Incertum eſſe ait, cur Maimburgius poſtremis vitæ ſuæ annis in Romani Pontificis autoritate deprimenda, eaque aut Regibus aut Epiſcopis ſubmittenda totus fuerit, & in prædictis libris ex induſtria quæſitis intempeſtivis digres-

greſſionibus pacem eccleſiæ turbaverit, & hæreticis ridendi ſeque obſtinandi occaſionem præbuerit: an Regem demerendi ſtudium? an familiaritas cum Archiepiſcopo Pariſienſi? an Genius Societatis, fortunam ac potentiam Gallicam amplexæ? an quod Roma aliquot ejus libros legi vetuerit, ipſeque Pontificis juſſu e Societate Jeſu excludi meruerit? Interim certum eſſe, quod Maimburgius Societate ſua egreſſus ſervitio Regis Galliæ ſe totum addixerit, idque tanto libentius, cum a Rege, Archiepiſcopo Pariſienſi, aliisque tam ampla ſtipendia exceperit, ut poſt ejus mortem vicies millena Francorum ſuperfuiſſe fama vulgaverit; quamvis ipſum haud diu Regis gratia, quam nunc forſan æterna pœnitentia luat, frui licuerit, cum vix quatuor annis poſt egreſſum e Societate elapſis, hiſtoriam Anglicani ſchiſmatis paranti apoplexia calamum jam intinctum excuſſerit, vivendique pariter ac ſcribendi finem indixerit. Imprimis autem in Maimburgio Autor carpit, quod non bona fide, nec veritati ſed Regi ſcripſerit, magnamque ipſi invidiam inde apud ſuos conciliat, quod argumenta contra Pontificis autoritatem a Centuriatoribus Magdeburgenſibus aliisque Lutheranis & Calviniſtis mutuatus fuerit, & in hiſtoria Lutheraniſmi alicubi Pontifices admoneat, ut Lutheri exemplo religionem Principum voluntati ſubſternant. Cujus rei indignitate Principem aliquem Germaniæ adeo commotum commemorat, ut Maimburgii libros deinde abjecerit, eorumque lectione plane abſtinuerit.

Ipſum opus Galliæ vindicatæ quatuor diſſertationibus conſtat. Prima agit de jure Regaliæ, in qua poſt novas de Maimburgii levitate querelas, quid Regaliæ nomine veniat, & quibus gradibus provecta fuerit, exponit, oſtendens, Regaliam usque ad tertiam Regum Galliæ ſtirpem aut plane ignotam aut pro abuſu habitam, ſeculo XI uſu potius quam aliquo jure aut privilegio introductam, & in concilio Lugdunenſi certis terminis incluſam, extra quos jus Regaliæ in omnes regni Galliæ eccleſias extendi non poſſe, ex variis Regum & Parlamentorum Galliæ conſtitutionibus & edictis pluriumque Gallorum teſtimoniis convincit, probans inſimul, tanti non eſſe emolumentum, quod ex Regalia ad Reges redundet, ut ejus proferendæ ſtudio antiquas regni leges & conciliorum decreta ſubverti operæ pretium videatur, imo tanto plus periculi & damni inde emergere Regibus, quanto magis illa dilatetur. Confirmat id exemplo Ludovici VII & IX.

Cum

Cum enim Ludovicus VII papale privilegium impetraſſet, quo juxta Thomam Walſinghamum *in omni eccleſia cathedrali regni ſui jus conferendi primam vacaturam cum cunctis fructibus medio tempore provenientibus continebatur*, literas illas confeſtim combuſſiſſe & dixiſſe fertur: malo illas hic comburere, quam propter illas in inferno comburi. Ludovicus autem IX, cum ipſi poteſtas Paſtores inſtituendi facta a Pontifice fuiſſet, ingratum ſibi diploma, tanquam maximis animæ ſuæ periculis conjunctum, in ignem conjecit, neque collationibus ſacerdotiorum ſe immiſcere voluit, ſatis magnum onus incumbere ſibi ratus, quod de temporalibus ſibi creditis ratio coram DEI tribunali reddenda aliquando foret. Poſtea quanta cum libertate & conſtantia Thomas Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus Regaliæ abuſus impugnaverit, prolixe commemorat eo, ut videtur, conſilio, ut Galliæ Epiſcopos pudefaciat, qui Regem Regaliæ jus ultra limites in Lugdunenſi concilio poſitos extendentem officii ſui monere auſi non fuerint. Tandem quod in Regaliæ negotio inter hodiernum Pontificem Innocentium XI, & Ludovicum XIV Galliæ Regem actum fuerit, recenſet, & rationes a Gallis quibusdam in Regaliæ patrocinium objectas refellit. Specialiter vero ea, quæ *Natalis Alexander* in diſſert. 8. ad hiſtor. ſeculi 13. & 14. pro jure regaliæ adduxerat, cenſuræ ſuæ ſubjicit, aſſerens ſe nunquam magis iſtius cauſæ iniquitatem intellexiſſe, quam cum eam tam frigidis rationibus defendi perſpexiſſet. Subjiciuntur huic diſſertationi nonnullæ Innocentii XI ad Regem Galliæ, Epiſcopos Alectenſem, Apamienſem & Toloſanum, Canonicos Apamienſes & Clerum Gallicanum epiſtolæ, nec non Alectenſis & Apamienſis Epiſcopi & quorundam aliorum variæ literæ, cum diverſis mandatis aliisque documentis ad hanc controverſiam ſpectantibus, & in Latinum ſermonem e Gallico translatis.

In diſſertatione ſecunda ea refutantur, quæ Maimburgius contra ſummi Pontificis in Reges poteſtatem, & pro defendenda prima Cleri Gallicani propoſitione, in libro de inſtitutione & privilegiis Eccleſiæ Romanæ diſſerit. Atque hic Autor primum ea tangit, quæ Maimburgius in dedicatoria ad Regem epiſtola ſcripſerat, nimirum, unum ex præcipuis obſtaculis, quæ hæreticos morentur, ne Romanæ Eccleſiæ ſinum repetant, eſſe falſam illam opinionem, quaſi omnes Catholici Papæ Romano immenſam nullisque terminis circumſeptam poteſta-

poteſtatem tribuant ; huic vero malo eccleſiam Gallicanam obviam iviſſe, cum vulgata declaratione mentem ſuam & doctrinam antiquæ Patrum doctrinæ per omnia conformem expoſuit , Regemque , cum edicto ſuo hanc declarationem confirmavit , plus eccleſiæ Romanæ, quam omnes retro Reges tribuiſſe , cum hoc ipſo effecerit , ut primatus eccleſiæ Romanæ ſtabiliretur , veraque illius prærogativa immota redderetur , & hæreticis omnis tergiverſandi occaſio præcideretur.Ad hæcAutor præter alia regerit,ſupremam Pontificis poteſtatem ſæpe quidem defectioni jam paratæ obtentam & prætextam, nunquam tamen verā ſchismatis cauſam extitiſſe, ſed veram ejus originem odio, ambitioni, vindictæ, libidini, aliisque pravis cupiditatibus tribuendam eſſe,idque ex ſchismateGræco,Germano,Suecico,Danico,Gallico & Anglicano conſtare ; præterea Regiam poteſtatem,Sacramenta, cælibatum Sacerdotum & ipſa concilia abolenda eſſe, ſi hæreticos Catholica religioneMaimburgius offendi nolit:deniq; transactiones cum hæreticis infauſtum ſemper exitum habuiſſe, quod exemplo Concilii Ariminenſis,Zenonis Imperatoris,HonoriiPontificis,Caroli V,& Eliæ PatriarchæBabylonii confirmat.His præmiſſis,ad ipſamCleriGallicani propoſitionem accedit, & Pontificis indirectam in Reges & Principes eorumque bona & dignitates temporales poteſtatem, ipſius eccleſiæ Gallicanæ autoritate& conſenſu probare nititur.Poſt variaPontificum facta,& conciliorum decreta,adducit non modo Sorbonam, quæ A. 1589,miſſa celebri ad Sixtum V.legatione,Regem exautorari, & populum a juramento fidelitatis & obedientiæ ſolvi petiit; ſed etiam univerſum Clerum Gallicanum,qui A. 1615 ,in publicis & univerſalibus regni comitiis,tertio Ordini nullam eſſe ſupra Regiam in temporalibus poteſtatem aſſerenti obſtrepuit,&Perronio interprete declaravit,omnino RomanæSedis inRegesRegumque ſceptra poteſtatem agnoſcendam eſſe:etſi *Gramondo* teſte,populi ſententia,quam etiamParlamenti Senatores approbarunt,Clero tum temporis prævaluerit.Pro eadem ſententia allegat nonnullos Scholaſticos aliosque eccleſiæ Doctores,tandemque colligit,fallere Maimburgium aut ſaltem falli,cum opinionem hanc de Pontificis in temporalia Regum poteſtate iis tantum tribuit , qui citra Alpes commorantur, cum tamen potius in nulla Orbis parte plura exempla exercitæ inReges poteſtatis,quam in ipſaGallia occurrant.Addit inter eos,qui hanc ſententiā vel calamo vel exemplo defenderunt,haud

paucos reperiri ſanctitatis fama conſpicuos, & a Maimburgio poſtulat, ut tot Sanctis vel unicum, qui ſuæ ſententiæ faveat, opponat. Poſtea argumenta, quæ Maimburgius & alii indirectæ Pontificum in regna poteſtati opponunt, diluere conatur.

Diſſertatio tertia verſatur circa ſecundam propoſitionem Cleri Gallicani, quæ Pontifices Concilio generali ſubjicit. Hanc propoſitionem cum Maimburgius exemplis Leonis, Vigilii, Honorii, Siricii & aliorum Pontificum probaſſet, Autor ſingula percurrit, magnoque conatu refellere contendit. Deinde cum Maimburgius obſervaverit, haud raro a Pontificibus poteſtatis ſuæ limites transgreſſis ad futura concilia provocatum fuiſſe; ſed ejusmodi ad futurum concilium appellationes graſſantibus malis remedium nimis lentum attuliſſe, ideoque aliud quoddam in Gallia repertum, nempe appellationes tanquam ab abuſu ad Parlamentum factas, quod majeſtatem juſtitiamque Regis repræſentet, ad quem velut ad canonum Protectorem ſpectet providere, ne quid illis adverſum attentetur: ex hac Maimburgii aſſertione manifeſtum eſſe dicit Autor, quorſum declaratio Cleri Gallicani tendat, nempe ut rerum cauſarumque eccleſiaſticarum diſceptatio ad forum ſeculare transferatur; quaſi libertas ſit Regi & Regiis Senatoribus ſervire, aut quaſi Pontifex errare poſſit, Rex autem & Parlamentum ſit infallibile. Hæc remedia morbis ipſis pejora eſſe cenſet, & recens inventa, ſæpiusque ab ipſis Gallis improbata, & ipſo nomine injuſta, cum appellatio a minori ad majorem Judicem fieri debeat, omnis autem ſecularis poteſtas, etiam Regia, quavis eccleſiaſtica multo minor ſit. Imprimis autem iſtarum appellationum injuſtitiam apparere dicit, ſi gradus attendantur, quibus a tenui ortu ad tantum licentiæ faſtigium evectæ fuerint, ut jam omnis poteſtas eccleſiaſtica ſub abuſus prætextu ejusmodi appellationibus eludi poſſit; cum tamen a Regibus, ſi ſua poteſtate abutantur, nulla ad minores Magiſtratus appellatio indulgeatur. Porro cum Maimburgius Pontifices concilio inferiores eſſe, ex Piſani concilii hiſtoria probaverit, regerit Autor, dubiam eſſe & incertam ejus concilii autoritatem, nec inſuper in hoc concilio aliquid decretum aut factum eſſe, quod Pontificum in concilia autoritati derogare aut præjudicare poſſit. Diverſas enim eſſe quæſtiones ait, unam, an concilii autoritas major ſit Pontifice hæretico, ſchiſmatico & dubio? alteram, an concilium œcumenicum ſit majus autoritate Pontificis catholici & certi? Secundam in

ſe

ſe probandam ſuſcepiſſe Maimburgium, eamq; ex concilio Piſano probare minime poſſe, cum iſto tempore nullus certus Pontifex extiterit, ſed ob contrarias juris & facti rationes aliqui Gregorio XII adhæſerint, aliqui Benedicti XIII partes amplexi fuerint. In eo quoque Maimburgium a veritatis via aberrare judicat, quod ſcribat, Magiſtrum Petrum Plauſt longa doctaque oratione perorantem, eccleſiæ univerſalis & concilii eam repræſentantis autoritatem Pontificiæ autoritati prætuliſſe; cum tamen Magiſter ille Pariſienſis nihil aliud dixerit, quam duos illos Pontifices de pontificatu inter ſe contendentes, pro ſchiſmaticis & hæreticis reputandos eſſe. Pergit ad concilium Conſtantienſe, & Maimburgium cauſa cecidiſſe arbitratur, etſi triumphanti magis quam pugnanti ſimilis incedat, dum *Schelſtrateni* de hoc argumento diſſertationem aliquot capitulis invadit. Ut Autor hoc evincat, primum ſeriem & acta Conſtantienſis concilii per ſua tempora diſtinguit, variisque Patrum Conſtantienſium de ſuprema Pontificum & conciliorum autoritate ſententiis recitatis, concedit *Johannem Gerſonem* ſtatuiſſe, quod Pontifices non ſolum durante ſchiſmate, ſed ſemper & abſolute a conciliis judicari poſſint; verum negat, huic Gerſonis opinioni concilium unquam acquieviſſe, multisque teſtimoniis probare contendit, decreta quartæ & quintæ ſeſſionis neceſſario examine & deliberatione caruiſſe, nec a Martino V confirmata, nec pro decretis œcumenici concilii unquam habita fuiſſe. Ad autoritatem Gerſonis a Maimburgio objectam reſpondet, Maimburgio, ſi Gerſonis autoritate abſolute ſtare velit, concedendum eſſe, quod Pontifex indirectam in Reges & regna poteſtatem habeat, cum id a Gerſone aſſertum fuerit; deinde Gerſonem omnes opinioni ſuæ de ſuprema concilii generalis autoritate adverſantes hæreſeos damnare, & obtendere, quod opinio, quæ concilium Papæ ſubmittit, a nullo Theologorum & Sanctorum unquam tradita fuerit, cum tamen id falſum eſſe aperte conſtet; fateri quoque Gerſonem, quod in hac controverſia, ob defectum librorum, qui ad manus non fuerint, nullum alium autorem, quam Thomam & Bonaventuram conſuluerit; imo ne hos quidem a Gerſone accurate lectos videri, cum falſum illis ſenſum affinxerit; ex quibus omnibus colligit, nullam eſſe in hac controverſia Gerſonis autoritatem. Præter Gerſonem objecerat Maimburgius *Pium II,* qui cum adhuc ſub *Æneæ Sylvii* nomine Concilii Baſileenſis Secretarium ageret, majorem concilii quam Pontificis autoritatem eſſe ſtatuit, poſtea vero ad Pontificatum admo-

tus, ob rationes facile cuivis obvias animum mutavit, ſed ita tamen priorem ſententiam retractavit, ut in ipſa retractatione imperare ſibi non potuerit, quin opinionem, quæ concilia Pontifici anteponit, antiquam diceret. Ad hoc reſpondet, ex Pii II bulla ſatis conſtare, quod longo ante Pontificatum tempore, imo pene adhuc laicus eam ſententiam mutaverit, quam olim ex propria confeſſione, non Scripturæ & Patrum dictis, & conciliorum decretis, ſed inconſulta juventute, calumniis in Eugenium jactatis & exemplis aliorum inductus approbaverit. Antiquam autem illam ſententiam a Pio dici, non quod antiquis Patrum dictis niteretur, ſed quod eam olim defendiſſet, antequam Apoſtolicæ Sedis poteſtatem cognoviſſet. Cætera Maimburgii argumenta, & Illuſtrisſimi Autoris ad ea reſponſiones, brevitatis cauſa miſſas facimus, & ad quartam eamque ultimam diſſertationem properamus.

Ea vero agit de infallibilitate Pontificis Romani, quam probaturus, primum varia, quæ apud Patres occurrunt, Pontificum elogia cumulat, deinde eos, qui Pontifici Romano adhæſerunt, pro orthodoxis, eos vero, qui Pontifici Romano non obtemperarunt, pro hæreticis ſemper habitos fuiſſe, ex omnium ſeculorum inductione probare ſe poſſe putat. Porro Romani Pontificis infallibilitatem inde ſe confirmare poſſe perſuaſum ſibi habet, quod Pontifices multa fidei dogmata ſine concilio deciderint, & pleraſque hæreſes damnaverint; quorum exemplo etiam nuperrime Innocentius XI, poſt accuratiſſimam totoque biennio productam diſcuſſionem, *Ludovici Molinos* pernicioſisſimos errores d. 28. Auguſti, A. C. 1687. condemnaverit. Qua occaſione Molinoſii geſta breviter recenſet, eumque arguit, quod dirigendis nobilium matronarum conſcientiis admotus, inter thalamos & amplexus contemplativam myſticamque Theologiam docuerit, eodemque momento intra cubile virginum, aut etiam nuptarum academias, & doctorem egerit & adulterum, foris tamen Angelo ſimilis, ut Paulum quendam in tertium usque cœlum raptum crederes. Addit, quod per 20 annos conſcientiam nunquam expiaverit, nec Catholicorum ritu carne unquam abſtinuerit, tandem vero detectus, errorum ſuorum, quorum ſumma recenſetur, palinodiam cantaverit. Novum infallibilitatis argumentum deſumit ex praxi Eccleſiæ Romanæ, cujus *Berno Augienſis* meminit. Is enim refert, in Romana Eccleſia, præter morem omnium eccleſiarum, per multos annos Symbolum nunquam cantari ſolitum; Henrico vero Imperatori, ejus

ejus rei cauſam roganti, Benedictum VIII reſpondiſſe, traditionem eſſe, quod eccleſia Romana errare non poſſit, nec ulla unquam hæreſi infecta fuerit. Succedunt argumenta a Doctorum, conciliorum & univerſitatum in Gallia teſtimoniis petita, quibus & ipſe Maimburgius accenſetur, ex cujus Sermonibus Gallico idiomate habitis, & anno 1671 editis, nonnulla pro aſſerenda Pontificis infallibilitate afferuntur, & miratur Autor, quod cum Maimburgius in poſtremis ſuis ſcriptis infallibilitatem Pontificis Romani Scripturæ, Patribus & conciliis adverſari dicat; eo tempore, cum adhuc e ſuggeſtu ad populum verba faceret, Scripturæ, Patrum & conciliorum tam ignarus fuerit, ut æternæ damnationi obnoxium diceret, quisquis Pontificem non infallibilem eſſe crederet, quoties e cathedra pronuntiaret. Poſtremo ad ea reſpondet, quæ Maimburgius non amplius in concionibus habendis, ſed ſcribendis hiſtoriis occupatus, infallibilitati Pontificiæ opponit.

SIX DIALOGUES ABOUT SEA-SERVICES,

ſive,

De ſervitiis & expeditionibus nauticis Dialogi ſex, autore Nathanaele Boteler, Armigero & Capitaneo, uni e potioribus Regiæ Majeſtatis navibus bellicis præfecto.

Londini, apud Moſem Pitt, 1685. in 8.

Conſtant plagulis 27.

NUm ſcriptum hoc inter Supplementa alia Actorum noſtrorum recenſendum foret, dubii hactenus hæſimus: dum enim nobiliſſimus ejus Autor inter fortes potius ac ſtrenuos, quam eruditos referri dubio procul maluit, ipſe etiam liber non tam Muſarum cultores, quam quidem Martis pullos, expeditionibus navalibus operam daturos inſtruit, alieni quid a noſtro propoſito relatio talis habitura videbatur. Quicquid tamen ejus ſit, vel hoc intuitu eruditis quoque prodeſſe poſſe, nec adeo ſilentii peplo involvendum eſſe ſcriptum hocce credidimus, quod in eo ſinguli artis nauticæ termini ſatis alioquin obſcuri, nec numero pauci, operoſe & ex profeſſo expoſiti reperiuntur; id quod cognitu non poteſt non iis eſſe gratum, qui hac etiam ex parte exactiorem linguæ Anglicanæ notitiam habere exoptant. Atque utinam plures, hoc Au-

 toris

toris exemplum ſecuti, in aliis quoque artibus ac diſciplinis ſimile quid tentarent; uti quidem in Gallico idiomate laudabiliter hactenus a Felibenio, Richeletio, Fureterio aliisque cœptum eſt. Quilibet enim expertus novit, quantopere voces ejusmodi technicæ, in ſcriptis modernorum maxime autorum paſſim obviæ, crucem lectoribus figant, incaſſum plerumque lexicographorum opem implorantibus; penes quorum videlicet plurimos altum de hiſce talibus eſt ſilentium: quin & vivi præceptores, utut maxime lingua hæc vel iſta ipſis ſit vernacula, ſuper iis conſulti non raro obmuteſcunt, utpote ſpecialium iſtiusmodi diſciplinarum fere incurioſi. Ut adeo hoc ipſo labore non iis ſolum, qui expeditionibus maritimis ſemet impendere geſtiunt; ſed & aliis, quibus earum rerum modo aliqualem prægustum capere, ipſasque velut eminus tantum contemplari volupe eſt, egregie ſit proſpectum. In *ſex* vero *dialogos* diſpeſcere totum librum Autori placuit; qui ſcilicet habiti finguntur inter Archithalaſſum Anglicanum, noviter hoc munere ornatum, adeoque minutiſſima quæque ad ſuam pertinentia functionem pernoſcere diſcupientem, & Capitaneum navalem, multorum jam annorum experientia politum, & ſic illius deſideriis ex aſſe ſatisfacere aptum. Et *primus* quidem Dialogus de Ducibus & officialibus navium, præſertim bellicarum, tractat: ubi non modo de boni Architalaſſi natalibus, virtutibus, aliisque requiſitis agitur, ſed & reliquorum ipſi ſubordinatorum Officialium nauticorum, a ſummo ad infimum, qualitates & munia explicantur. Dialogus *ſecundus* claſſiariorum vulgus, ſeu nautas gregarios exhibet, diverſaque ſimul ſuppeditat conſilia, quomodo illi melius in officio contineri & ad exactiorem redigi diſciplinam valeant: imprimis vero e quibus vitæ generibus, tyrocinia veluti ad haſce functiones navales præbentibus, præſtantiſſimi ad ſervitia navium Regis bellicarum ſubeunda legantur claſſiarii. *Tertius* tradit, qua ratione claſſis commeatu commode ſit inſtruenda, quo non ſolum vectorum querelæ, nimis hactenus hac de re frequentatæ, præcaveantur; ſed & ſalubritas univerſorum integra ſervetur, morbiq; arceantur: quo nomine victum Anglicis navibus hactenus familiarem, & in totum fere ex carnibus piſcibusve ſalitis conſtantem culpat, tanquam ſcorbuto aliisque ejus furfuris incommodis obſtetricantem; eique præfert edulia maritima tam Hiſpanorum Italorumque, nempe farina oryzæ aut avenæ, ficubus, olivis, oleo & ſimilibus fere veſcentium, quam Belgarum, leguminibus

minibus puta, caſeo & butyro copioſius, quam quidem cibis iſtiusmodi ſalitis, in mari victitantium: omnibus vero victus generibus hac in parte præfert frumentum illud indicum, *Mair* vulgo dictum, utpote quod non modo facile a corruptione præſervari queat, ſed & copioſum & ſaluberrimum nutrimentum præbeat; unde dolet, id in Anglia aliisque terris ſeptentrionalibus ad maturitatem pervenire adeoque majorem ejus copiam ibidem pro uſu talismodi haberi non poſſe. Præterea ſanitati in claſſe conſervandæ multum conducere ait, ſi naves quotidie, & aceto quidem, ſi pote, abluantur, fumus quoq; e pice, reſina & ſimilibus in claſſiariorum cubiculis ſubinde excitetur, præſertim vero horum veſtes ab humiditate & madore præſerventur, cum nihil in mari inſalubrius ſit eo, ſi quis veſtibus non ſiccis ſomnum capiat. Ante omnia vero providendum docet, ut in claſſe majori ſufficiens numerus navigiorum ſeparetur, quæ noſocomiorum loco ſint, & ægrotis recipiendis atque curandis dicatæ: ne videlicet ex horum contagio reliqui etiam inficiantur. Dialogo *quarto*, quique & prolixitate reliquos omnes adæquat, & utilitate fere ſuperat, univerſa atque ſingula tam ipſarum partium, quam inſtrumentorum, & reliqui apparatus in navibus bellicis nomina exponuntur; ſatis quidem dilucide, quantum abſque oculari demonſtratione fieri potuit; utut fatendum ſit, una alterave figura, ſi quidem eas addere placuiſſet, deſcriptionibus iſtis multo plus lucis affundi potuiſſe. Alii præterea termini technici atque celeuſmata nautica explicantur, & quæ ſingulorum ſignificatio ſit, clare docetur. In Dialogo *quinto* Autor lectorem ſuum inſtituit tum de notis & requiſitis optimarum navium bellicarum, quibus vel inſultui vel defenſioni aptiores redduntur; tum etiam de variis ceremoniis, in excipiendis hoſpitibus illuſtribus, aut ſalutandis vel honore afficiendis navigiis aut arcibus obviis, apud nautas receptis; ac ſpeciatim de famoſo iſto ritu, quique jam plus vice ſimplici cruentis bellis cauſam vel prætextum ſaltem præbuit, vela demittendi in ſignum ſubmiſſionis. Inter alia velut conſtantem regulam obſervari tradit, tormentorum honoris gratia exploſorum ictus ſemper numero impari eſſe debere, unum nempe aut trinos, qui nos, & ſic porro: alioqui ſi pari numero ſclopeta iſta majora exonerentur, bina puta aut quaterna, id pro infallibili luctus ſigno accipiendum eſſe, ob capitaneum navis, nauclerum, aut tormentorum præfectum in itinere defunctum. *Sexto* denique & ultimo dialogo exponit Autor, qua ratione claſſes

claſſes tam in itinere, quam in conflictu optime ordinentur, & quomodo naves hoſtium tam repellendæ, quam oppugnandæ & perſequendæ ſint: ubi inſimul varii modi communicantur, quibus ope certorum ſignorum atque teſſerarum, Architalaſſi imperia atque juſſus univerſæ claſſi exemplo nota fieri, aut etiam unius navigii indigentia aut deſiderium reliquis tam noctu quam interdiu ſignificari queant. Diverſæ etiam cautelæ in præliis navalibus provido imperatori obſervandæ præſcribuntur ab Autore, qui cum iſthæc omnia nequaquam otioſa & inani confiſus ſpeculatione, ſed longa edoctus experientia propria ſcripſerit, tanto majorem dubio procul apud eos, quibus hæc talia curæ ſunt, applauſum merebitur.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS OPERA. Interpretatione & notis illuſtravit Stephanus Chamillard, e Soc. Jeſu, juſſu Chriſtianiſſimi Regis ad uſum Sereniſſimi Delphini.

Pariſiis, apud viduam Claudii Thibourt & Petrum Esclaſſan, 1687.

in 4to. plag. 107.

Cum *Carolus Sancta-Mauræus* Montauſerii Dux, & *Jacobus Benignus Boſſuetus* Meldenſis, nec non *Petrus Daniel Huetius* Sueſſionenſis Epiſcopi, quos Rex Galliæ Delphini ſui adoleſcentiæ præclaris artibus & literis imbuendæ præfecerat, poſt plurimos profanos Autores, Chriſtianum Poetam Prudentium in prædicti Sereniſſimi Delphini uſum typis edendum cenſuiſſent, id operæ Stephanus Chamillardus in ſe ſuſcepit, qui in præfatione Prudentium ab ingenii excellentia, inſigni religionis ſtudio & mira doctrinæ varietate commendat, ſed ob incomptum & intricatum ſermonis genus interpretationem haud raro difficilem reddi queritur. Ex præcipuis Prudentii interpretibus imprimis deprædicat *Nicolaum Heinſium*, cujus varias in Prudentium lectiones & adſperſas notas perquam eruditas & accuratas eſſe cenſet, & *Johannem Weizium*, quem vel eo nomine cæteris ſuperiorem judicat, quod Sacræ Scripturæ aliaque Veterum loca indicet, quæ carminibus ſuis Prudentius intexuit. *Iſonis* ſcholia, etſi brevia ſint, graviores tamen nodos ſolvere

ſolvere pronuntiat. Neque laudes ſuas invidet *Georgio Fabricio*, qui cum aliis Poetis eccleſiaſticis etiam Prudentium illuſtravit, & *Eraſmo Roterodamo*, quem, etſi duobus tantum Prudentii hymnis exponendis operam ſuam impenderit, non pœnitendum tamen operæ pretium feciſſe arbitratur. *Victorem Giſelinum* ait tantum facillima ſectatum, & in his quoque nonnunquam lapſum & hallucinatum. *Æl. Ant. Nebriſſenſem* in Prudentio quidem magis hærere, ſed tamen quæ ad penitiorem Scriptoris cognitionem requiruntur omittere, Apotheoſin autem Hamantigoniam, & duos contra Symmachum libros lectu omnium digniſſimos, plane non attigiſſe. *Jacobi Spiegelii* commentariorum in odam Prudentianam, inſcriptam *omnis hora*, non ſolum prolixitate ſua moleſtum, ſed & minutis quibusdam & puerilibus nugis ab ipſa Grammatica repetitis refertum eſſe. *Adamum Siberum*, *Georgium Remum* & quosdam alios ab interpretum Prudentii numero eam ob cauſam expungendos videri, quod alii interdum ſex aut ſeptem verba in hymnos tres aut quatuor protulerint, alii in unum duntaxat commentati fuerint. Præfationem excipit vita Prudentii breviter delineata, cum veterum de Prudentio teſtimoniis. Poſtea recenſentur metrorum genera, quibus Prudentius uſus eſt, & adjicitur index vocum, quarum ſyllabas Prudentius male vel corripuit vel produxit. In ipſo Prudentio explicando Autor ea methodo verſatur, quæ ſcriptoribus in uſum Delphini editis ſolennis eſt. Textui enim Prudentiano ſingulis paginis paraphraſin, & huic paraphraſi notas ſubjicit. Hac ratione librum Cathemerinon, hymnos περὶ Στεφάνων, Apotheoſin ceteraque Prudentii opera exponit, in quibus ultimum locum occupat enchiridion veteris & Novi Teſtamenti, quod etſi nonnulli *Prudentio* cuidam *Amœno* tribuere maluerint, Chamillardus tamen noſter cum aliis quibusdam Aurelio Prudentio vindicandum cenſuit. Additus eſt ſub finem copioſus index omnium vocabulorum, quæ in Prudentio leguntur.

GRATIA EFFICAX A SEIPSA,

Refutata ex libris S. Auguſtini, per R.P. Carolum Joſephum Tricaſſinum, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum S. Franciſci.

Moguntiæ, typis Petri Hermans, Typographi jurati, A. 1687. in 8.

Conſtat plag. 16.

GRatiæ efficacis a ſeipſa refutationem ſuſcepturus Autor, primo monet, duplicem eſſe Catholicorum, iſtam gratiam defendentium, ſententiam. Unam eorum, qui ſtatuunt, gratiam efficacem determinare & prædeterminare voluntatem ad unum, ex natura ſua, nec poſſe voluntatem ei reſiſtere in ſenſu compoſito, ſed tantum in ſenſu diviſo. Alteram illorum, qui, licet negent iſtam gratiam determinare, aut prædeterminare voluntatem hominis ad agendum, atque aſſerant, voluntatem ſe ſolam determinare, & poſſe motioni illius gratiæ non ſolum in ſenſu diviſo, ſed etiam in ſenſu compoſito reſiſtere; defendunt tamen, gratiam iſtam eſſe efficacem ex intrinſeca ſua ratione & entitate, ita, ut effectum futurum inſuperabiliter inferat, eamque in actu proximo conſideratam ita movere voluntatem, ut repugnet non ſequi effectum, idque non ex aliqua Dei ſcientia conditionata, ſed ex intrinſeca vi cauſæ antecedentis, & influentis, & moventis indeclinabiliter voluntatem ad actum. E quibus miſſa priore opinione, quam in libro de indifferenti lapſi hominis arbitrio part. 3. ſect. 3. per multos paragraphos impugnaverat, poſteriorem in præſenti tractatu ſibi oppugnandam ſumit; & poſtquam probaſſet, eandem eſſe contradictoriam, & complecti quæ ſimul ſtare nequeunt; demonſtrare aggreditur, Auguſtinum longe abfuiſſe a ſententia adſtruente gratiam efficacem a ſeipſa, & illum æque pro indifferentia voluntatis humanæ, quam pro divinæ gratiæ neceſſitate pugnaſſe: ac proinde, quoties aliquid dixerit vehementius in ſuis ſcriptis pro gratia, contra Pelagianos ejusdem inimicos, derepente quaſi quodam timore correptum, ne quis putaret, gratiam a ſeipſa efficacem defendi, ipſummet ſe excuſaſſe, ſe correxiſſe, & declaraviſſe ſe in iis nihil commendare voluiſſe, niſi gratiæ neceſſitatem, quam negarent Pelagiani, non autem extollere voluiſſe ejus efficaciam ſupra vires liberi arbitrii, aut contra propriam voluntatis determinationem, ad quodcunque vellet, ſive bonum, ſive malum. Hinc ad evertenda, quibus iſtam gratiam ſtatuminare conantur, argumenta ſemet accingit; ac primum quidem ad quinque ex Auguſtino depromta teſtimonia reſpondet, obſer-

ſervans, illum infallibilitatem gratiæ efficacis non ex intrinſeca ejusdem ratione, ſed ex præſcientia divina deſumſiſſe, atque omni definitioni prædeſtinationis præſcientiam Dei ut neceſſariam annexuiſſe. Deinde ad rationem, quod gratia efficax conſiſtat in ſpeciali aptatione & contemperatione vocationis cum voluntate vocati, reponit in aptatione illa quidem, ſed non ſola, efficaciam gratiæ conſiſtere, quoniam poſita illa aptatione & contemperatione, effectus gratiæ non infallibiliter, ſed tantum probabiliter ſequatur. Nec tria exempla, quorum primum a medico peritiſſimo, alterum ab amico intimo, tertium a meretrice deſumunt, ad probandam illam aptitudinem, & ex ea inferendam infallibilitatem intrinſecam, quicquam facere declarat. Licet enim medicus remedium ejusmodi, quod probe novit morbo & complexioni ægroti eſſe attemperatum, adhibeat, ſæpe tamen ægroto amiſſam haud reſtitui ſanitatem; etiamſi amicus alteri proponat ſuam petitionem tam ſuaviter & accomodate ad ejus naturam, mores, ingenium, & alias circumſtantias, non raro tamen precibus nihil obtineri: & quamvis meretrix ad genium laſcivi juvenis ſe maxime componat, blanditiisq; variis in ſui amorem eum trahere percupiat, nihilominus tamen illam voto ſic quandoque excidere. Refutatis dehinc, quæ pro efficacia gratiæ, contra ſcientiam mediam, ex Scriptura, Thoma & ratione afferri ſolent, notat, gratiam efficacem non involvere remotionem omnium impedimentor.; ſiquidem multa bona faciamus cum magna reluctantia concupiſcentiæ, amoris proprii, aliorumque affectuum, quæ difficillime ſæpe a gratia ſuperentur: nec gratiam tam ſuaviter & delectabiliter influere & allicere, ut de ſe & ex intrinſeca ſua ratione infallibiliter eliciat conſenſum noſtrum; cum ipſe Chriſtus diſerte affirmaverit, regnum cœlorum vim pati, & vim facientes rapere illud. Ad inſtantiam, ſi ſingularis hæc cooptatio nihil adderet ipſi gratiæ, niſi nudum quendam reſpectum ſibi advenientem ex diſpoſitione voluntatis, Deum non recte dici dare vires efficaciſſimas voluntati, quando dat ei gratiam efficacem; ſed debere ſolummodo dici, facere ut voluntas applicetur gratiæ vocanti, quando & ubi voluntas eſt in ſtatu accommodato ad illam; ſicque cooptationem illam ſeſe habere tam formaliter quam efficienter ex parte voluntatis creatæ, & ex parte Dei tantum, ut facientis applicationem unius ad alterum: reſpondet, concedi poſſe, illam cooptationẽ non addere nudum illum reſpectum, ſed addere aliquid aliud ab illo diſtin-

aliquando phyſice,aliquando ſolum moraliter, augens vires voluntatis & faciens illas efficaciſſimas,quando vult Deus illas tales facere:& ſi vel maxime quis aſſereret, cooptationem eſſe nudum reſpectum, neutiquam tamen inde ſequi,Deum non dare vires efficaciſſimas voluntati ad amplectendum bonum,quod ſuadet illi;quia voluntas congrue mota & excitata per gratiam, multum juvetur ad conſentiendum ei per hanc cooptationem & congruitatem,cum id, quod congruum & contemperatum voluntati eſt,maxime illam delectet: nec inde colligi poſſe, cooptationē a Deo ſic factam ſeſe habere, tam formaliter quam efficienter, ex parte voluntatis creatæ; quia,quod cooptatio illa fiat realiter & effective, prorſus pendeat a voluntate Dei & non a voluntate hominum: neque tandem bene hinc inferri poſſe, Deum non facere ut faciamus; quia Deus,dando illam gratiam vere excitantem ad opus,longe melius dicatur facere,ut faciamus, quam quivis conſulens, imperans aut ſuadens aliquid,cum hi ſolum moveant extrinſece, Deus autem intrinſece, & cum certa & infallibili cognitione futuri conſenſus, ſi hoc aut illud ipſe faciat. Poſtmodum evertere ſtudet fundamenta, quibus inter gratiam efficacem & pure ſufficientem reale atque entitativum diſcrimen probare nituntur,atque inter alia oſtendit,quomodo intelligendum ſit, quod Auguſtinus ait,eos,qui gratiæ conſenſerunt, magis fuiſſe adjutos; item, gratiam Petri parvam fuiſſe tempore paſſionis, magnam quando pro Chriſto crucifixus eſt: B. Auguſtinum ſingularem illam vim, quam habet gratia efficax,revocare in omnipotentiam Dei,ſeu in omnipotentiſſimam ejus voluntatē, non ut commendet vim ſeu virtutem intrinſecam gratiæ efficacis ſupra mere ſufficientem,ſed tantū,ut dilaudet ipſam omnipotentiam Dei ſeu omnipotentiſſimam ejus voluntatem,quæ non pendet a bonis prædiſpoſitionibus hominum, ut vel det gratiam efficacem, vel neget eam:non bene dici,illam gratiam allicere inſuperabiliter conſenſum voluntatis in gratiam, ſed debere dici, quod illa gratia tantopere muniat & roboret voluntatē, ut faciat eam inſuperabilem contra omnia impedimenta boni,& ſic ſeipſam reddat victricē cum ea,adjuvando ſcilicet voluntatem in victoria iſtorum impedimentorum, non vero pugnando contra eam,ad hoc ut vincat eam. Ex dicto, quod *Matth. XI, 21.* legitur, non poſſe inferri, gratiam ſufficientem, licet habeat aliquid commune cum efficaci, non tamen habere omnia entitative & realiter quæ ſunt in efficaci; Chriſti enim exprobrationem ſic prorſus fuiſſe

abſo-

abſonam, ſi ille ſuppoſuiſſet eſſe aliquid reale & intrinſecum in gratia danda Tyriis & Sidoniis, idque potentiſſimum & efficaciſſimum ad convertendos eos, quod nôn ſuppoſuiſſet eſſe in gratia data Judæis ad convertendum ſe ad Chriſtum. Ad duo deinceps Corollaria, quæ pro gratia efficaci a ſeipſa afferunt, diſſolvenda accedit. Ad quorum primum, quod per doctrinam gratiæ intrinſece efficacis facile intelligatur, quomodo aliqui excitati ſignis minoribus citius ſequantur gratiam, alii moti majoribus non ſequantur: excipit, ſe non negare, quod aliqui habentes minora ſigna habuerint gratiam internam majorem, & contra; ſed hoc ita ſe habere generaliter, ut volunt Adverſarii, & id accidere propter gratiam ex intrinſeca ſua ratione efficacem, falſum eſſe dicit. Ad ſecundum Corollarium, quod hinc etiam intelligitur, nunquam futurum, ut ſi gratia excitans adæquate ſumta detur duobus æqualiter diſpoſitis, illa ſit efficax in uno & in altero tantum ſufficiens: reſpondet, id falſum eſſe; & ad rationem, quam adjiciunt, cum omnia tunc ſupponantur paria, non eſſe potiorem rationem ex parte gratiæ, & per conſequens ex parte Dei, cur hic conſentiat potius, quam iſte, ſed totam diſparitatem provenire ab ejus conſenſu & libera volitione: regerit, non eſſe quidem potiorem rationem ex parte gratiæ realiter & entitative ſumtæ, eſſe tamen longe potiorem rationem ex parte ejusdem gratiæ moraliter & in ratione gratiæ conſideratæ; cum gratia, quæ datur homini, quem Deus prævidit conſenſurum eſſe in eam, ſit longe potior in ratione gratiæ ea, quæ datur alteri non conſenſuro in eam. Utque id rectius intelligatur, notat, Deum dare hominibus gratiam, prout ipſi placet, & non prout homo vult: dare uni gratiam, cum qua providet infallibiliter, quod bene operaturus ſit, cum poſſet dare aliam, cum qua prævidet infallibiliter, quod non bene ſit operaturus: & dare alteri gratiam, cum qua prævidet infallibiliter, quod non bene operaturus ſit, cum poſſet dare aliam, cum qua prævidet, quod bene operaretur, ſed eam dare non vult. Ex hoc manifeſte apparere, quod licet ſit eadem in utroq; entitative gratia, tamen Deus diſcernat unum ab altero, etiam æqualiter entitative diſpoſito, cum illæ gratiæ moraliter & in ratione gratiæ valde diverſæ ſint, ob diverſos exitus, quos Deus prævidet inde futuros, & cum qua præviſione dat & diſtribuit illas, cum hanc diſpoſitionem mutare omnino potuiſſet, ſi voluiſſet. Hinc & patere, primariam diſcretionem illius conſentientis, & alterius non conſentientis in eandem entitative

gratiam,eſſe omnino a Deo,hæc ita diſponente gratis&ex mero arbitrio ſuo. Errorem Pelagianorum,quos impugnaverit Auguſtinus,non conſtitiſſe in eo,quod dicerent, hominem poſt acceptam gratiam conſentiendo gratiæ diſcernere ſeipſum ab eis,qui non conſentiunt eidem gratiæ,ut exiſtiment Janſenius ejusque diſcipuli;ſed in eo,quod dicerent,hominem per merita ſua,ante acceptam gratiam facta, ſe diſcernere ab aliis,qui non habeant talia merita ante gratiam acceptam facta, volentes gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari,& non ſecundum beneplacitum ejus. Quando ulterius pro Corollario ſuo confirmando excipiunt,non obſtare, quod hic conſenſus non detur,niſi ex gratia excitante & cooperante; nam conſenſum illum ita elici ex gratia excitante, juxta contrariam ſententiam, ut hæc gratia non inducat indeclinabiliter ex parte ſui conſenſum in talem gratiam, ſed ſolummodo præciſe, quia voluntas vult : reponit,id recte & laudabiliter dici,cum ſic ſervetur ſartum tectum liberum arbitrium,quod gratia illa deſtrueret, ſi induceret voluntatem indeclinabiliter in conſenſum : item, non male aſſeverari,voluntatem conſentire gratiæ ſolummodo præciſe,quia vult; non tamen ita ſolummodo & præciſe, ut gratia non cauſet actum ſimul & primario cum voluntate,per modum conſulentis, ſuadentis & excitantis ad actum bonum,ſed ſolummodo præciſe, quia voluntas poſt acceptam gratiam in eligendo eo,quod facere vult, ſolum ſequitur ſuam inclinationem & delectationem propriam, ita ut, ſi magis inclinet in gratiam, ipſa ſe adjungat gratiæ & faciat bonum, ſi autem magis inclinet in concupiſcentiam, ſe adjungat concupiſcentiæ & faciat malum: Auguſtinum quoque admiſiſſe, voluntatem noſtram per ſe habere aliqvam facultatem bene operandi. Cum porro pro ſtabiliendo ſuo Corollario urgent;licet hæc gratia requiratur præſuppoſitive ad talem conſenſum,attamen totam & adæquatam rationem actus converſionis formaliter & præciſe conſiderati fore conſenſum voluntatis : reſpondet, gratiam ſecundum ſe & alios non requiri tantum præſuppoſitive, ſive ſolummodo tanquam conditionem ſine qua non , ſed tanquam veram cauſam & adjutorium præbens vires voluntati, excitans & movens eam,ut ſic agat & eligat;ideoque falſum eſſe,quod tota & adæquata ratio actus converſionis formaliter & præciſe conſiderati ſit conſenſus voluntatis; nec gratiæ divinæ in convertendo homine derogari influxum

cau-

cauſalem, vel denegari voluntati humanæ vires efficaciſſimas, ſi vel maxime negetur, quod gratia divina ad converſionem indeclinabiliter concurrat. Poſt hæc exponit Autor officium voluntatis poſt acceptam gratiam juxta mentem Auguſtini, atque propugnat, hominem non debere gloriari de bonis operibus ſuis quaſi ſine gratia factis; id enim eſſe Pelagianum; ſed recte poſſe gloriari de operibus factis poſt gratiam acceptam, quia ſic agnoſcat eam eſſe prævenientem, gratuitam & neceſſariam ad opera ſua bona, atque illud eſſe Auguſtinianum. Dilutis deinde argumentis, quibus e Scriptura, S. Auguſtino & ratione, efficaciam gratiæ efficacis formaliter ſpectatam & in actu primo, non pendere a conſenſu voluntatis, probare annituntur; ad ea, quæ indirecte pro gratia efficaci per ſe afferunt, reſolvenda progreditur. In quibus refutandis occupatus notat, gratiam non eſſe efficacem in actu primo a conſenſu voluntatis, ſumendo illum pro actu completo voluntatis, quo ipſa vult amplecti bonum propoſitum per gratiam, & conſentit actu in illud (ſic enim ſumtum conſenſum voluntatis in gratiam, ſpectare ad actum ſecundum) ſed accipiendo illum pro ſimplici converſione benevola & affectuoſa voluntatis in gratiam (quæ converſio dici poſſit conſenſus voluntatis inchoatus) & hac ratione pertinere ad actum primum. Auguſtinum, quoties dicat eos, qui conſenſerunt, habuiſſe gratiam ſpecialem, indicare, quod habuerint gratiam effectu ſuo haud deſtitutam, non vero ſpecialem aliquem modum contemperationis & congruitatis innuere: nec eum libro de corrept. & grat. c. 12. loqui de inſuperabilitate gratiæ, ſed tantum de inſuperabilitate voluntatis per gratiam roboratæ contra concupiſcentiam & alia impedimenta boni, quæ poſſent eam avertere a bono & ad malum convertere: non poſſe efficaciam gratiæ congruæ pendere a libertate arbitrii in actu ſecundo, & ſimul in actu primo eſſe potentem ducere inſuperabiliter voluntatem; item non poſſe voluntatem libere impedire vel procurare converſionem ſuam ad Deum, ſi ducatur a gratia inſuperabili. Tandem ſub finem totius tractatus demonſtrare ſuſcipit, controverſiam Auguſtino & Pelagianis non ſuper gratia efficaci, ſed ſolummodo excitante & præveniente liberum arbitrium ad bonum, quam Pelagiani non admiſerint, interceſſiſſe.

LIBER

LIBER D. AUGUSTINI CONTRA PELAgium & Celeſtium de Gratia Chriſti, Commentario brevi & continuo illuſtratus a R. P. Car. joſ. Tricaſſino, &c.

Moguntiæ typis P. Hermans 1687. in 8.

Conſtat plagulis 17.

UT hypotheſin ſuam, de qua uberius jam jam diximus, adſtrueret Autor, & Auguſtinum illi addictum comprobaret, tum in alios Auguſtini libros, de Gratia & Libero Arbitrio, de Correptione & Gratia, de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono Perſeverantiæ, Commentarios edidit, tum hoc etiam ſanctiſſimi Præſulis de Gratia Chriſti opuſculum ſcholiis perpetuis illuſtrandum cenſuit. Fuit vero & hic potiſſima Autori cura, ut demonſtraret, ab Auguſtino Pelagianos propterea hæreſeos fuiſſe inſimulatos, quod nullam gratiam DEI admitterent in voluntate neceſſariam; non vero ob id, quod vellent, eam gratiam eſſe indifferentem, ſeu talem cui poſſit voluntas humana ſeu obtemperare ſeu reſiſtere.

RISPOSTA ALLA CENSURA DE PADRI Godefrido Enſchenio e Daniele Papebrochio ſopra il Martirologio Breſciano, &c.

i. e.

Reſponſio ad Cenſuram a P. G. Henſchenio & P. D. Papebrochio in Martyrologium Brixianum latam, autore Honorio Stella Abbate S. Afræ.

Brixiæ apud Rizzardum 1687. in 4to.

Conſtat plagulis 27.

NOtiſſima, qua in concinnandis, velut menſe Jan. 1683. indicavimus, Actis Sanctorum hactenus occupati fuerunt, opera ſua quam parum dicti Patres *Brixienſibus* ſe commendaverint, Reſponſio hæc mordax ſatis & aculeata abunde teſtatur. In Actis nimirum A. 1675. editis, peculiari Tractatu, *Martyrologii Brixiani* fide labefactata, hoc ipſo *Sanctis* ejus loci quæſtionem ſtatus moverant, ex hac ratione, quod non certo conſtet, an reliquiæ, quas Brixiani venerentur, ſint vere Sancto-

rum

rum iſtorum, qui ſub *Adriano* martyrio coronati fuerint, & *num anti-*
qua & *fundata traditio* ſit, *quod reliquiæ iſtæ ſint eorum*, *ſub quorum*
nominibus & *cognominibus nunc cenſentur*, *eo quod rei tam antiquæ*
affirmandæ deſint congrua vetuſtatis argumenta. Abbas contra, præ-
miſſa de ſcandaloſis motæ quæſtionis effectibus querela, præter hiſto-
ricam, quomodo circa detectionem reliquiarum illarum res ſe habeat,
relationem; partim in Scriptoribus claſſicis, partim in traditione con-
tinua a majoribus in poſteros transmiſſa, tum in antiquis membranis,
Notariorum tabulis, & ſaxeis monumentis, tum Pontificum, cultum
dictarum reliquiarum a multis retro ſecutis admittentium Bullis, aliis-
que teſtimoniis, & poſſeſſione immemorabili, affirmativæ veritatem
ſtatuminare ſatagit. Imprimis ad argumentum a nominibus Chal-
daicis, Ebraicis, Græcis, Germanicis, & Gallicis petitum, quæ Marty-
rum, tempore *Adriani*, quo ſola lingua Latina Brixienſibus in uſu fuerit,
propria eſſe non potuerint, reſpondetur, illud leve eſſe, cum nomina 66.
variæ mutationi ex diverſis accidentibus obnoxia eſſe ſoleant, complu-
ribus exemplis eam in rem adductis; interim incertam illam nominum
confuſionem, immemorabilem Sanctorum ſuorum cultum concutere
non poſſe. Cumque Cenſores, eo quod nomina & cognomina San-
ctorum iſtorum certis familiis Brixienſibus hodieque uſitata invenian-
tur, *putidum eſſe* dixerint, *ſaltu inverecundo in ea ſe ſuumque nomen inferre*
ſecula, *quibus nulla demonſtrantur apud antiquos Scriptores talis nominis*
veſtigia; ad hæc regerit Auctor, priſcarum familiarum Romanarum, ut
Æmiliorum, Appianorum, Mutiorum &c. veſtigia Brixiæ hodienum ſuper-
eſſe, veluti allegatæ Inſcriptiones doceant, inter quas & hæc pro *Scanti-*
æ familia emines:

P. SCANTIVS PHILETVS
FECIT SIBI ET SCANTIÆ
D. M.
NICE LIB. REQVIETORIVM
AMICIS BENEFACERE
SEMPER STVDIOSVS FVI.

Licet igitur nomina illa in hodierno idiomate aliter enuncientur,
nihilominus ab antiquiſſimis familiis natales ſuos eadem accerſere;
licet etiam objiciatur, in Catalogo SS. *Afræ* multa comparere
cognomina, qualia in Romanis faſtis non occurrant, v. g. *Chizzola*,

Fiſogno &c. non infrequens tamen eſſe, ut primum cognomen accidentale in ulteriori familiarum propagatione ſæpius mutetur; veluti ex familia Cornelia, *Cornari*, *Bembi*, *Mocenighi*, *Sabbatini*, *Zabarelli* deſcenderint, ſalva proſapiæ ſubſtantia, cujus cognitio Avis poſterorum remanſerit. Dubium circa nomina Germanica *Henrici*, *Roberti &c.* a Cenſoribus motam, quod ante Germanorum imperium in Italia, adeoque & tempore Adriani Brixienſibus haud uſitata fuerint, ita elevatur, quod omnino Brixiæ ea obtinuiſſe, Inſcriptio: DIS *Deabus omnibus L. Vetturius L. L. Segomarus* (nomen Germanicum) *pro ſe* & ſuis; Adriani ætati vel coætanea vel ea ſuperior, ſatis innuat; & *Sigismundi, Sigomeri* mentio etiam a Tacito fiat. Quid? quod *Brixiani* a Brenno nomen, leges & ſenatum adepti, & per 400 annos antequam Romanis ſubjicerentur, lingua Teutonica, quæ priſcorum Gallorum fuerit, iisdemque nominibus uſi, deinde etiam Romanorum ſocii facti Celticam linguam retinuerint; quin certo ſibi perſuaſum eſſe, quod illi 12000 milites, Brixiæ juſſu Adriani martyrii corona decorati, maximam partem ex Germanicis nationibus oriundi fuerint, quarum multa millia in Italiam ſub Impp. Caligula, Vitellio, Ottone, & aliis militatum veniſſe, negari nequeat. Porro cum *Barnabas* (qui Autori Apoſtolus audit,) ab anno 53 a Chriſto nato, usque ad 119, quo Sancti iſti, de quibus quæſtio eſt, martyrium ſubierunt, Brixiæ docuerit, dubium quoque a nominibus *Chaldaicis* & *Ebraicis*, (inter quæ tamen *Angelus* quoq; & *Stephanus* referuntur) in Sacra Scriptura obviis, quæ primi fideles deinde ſibi impoſuerint, quæſitum pariter evaneſcere. Ad alium ſcrupulum circa *Fauſtini* & *Jovitæ* corpora, quibus tam in templo S. Fauſtini majore a Benedictinis, quam in Æde S. Afræ a Canonicis Regular. Lateran. veneratio præſtetur, an illa pro primis, hæc pro ſecundis vel exemplari quedam habenda ſint, prolixe reſpondetur, aſſervatione oſſium iſtorum S. Afræ vindicata, multisque interſperſis, quæ ad eminentiam poſteriori huic Ordini præ aliis perſonis Eccleſiaſticis aſſerendam pertinent. Paucula hæc ex reſponſione hac delibaſſe ſufficiat, quanquam plura, quæ pro tutando hoc Palladio faciunt, contineat, quibus tamen quæ oppugnatores reponere poſſint, non defutura forſan haud vane conjicimus, in medio ceterum rem ipſam relinquentes, neque noſtrum putantes tantas componere lites.

NEW EXPERIMENTS AND OBSERVATIONS touching Cold, or an Experimental Hiſtory of Cold begun &c.

h. e.

Nova Experimenta & Obſervationes circa frigus, ſeu Hiſtoriæ Experimentalis frigoris initium &c. Auctore Roberto Boyle, Regiæ Societatis Socio. Londini ſumtibus Richardi Davis, 1683. in 4. Plag. 53.

QUamvis quæ de frigore conſcripta vulgo circumferuntur, frigidiſſima pleraque ſint, eorum tamen in cenſum nequaquam referenda eſt hæc frigoris hiſtoria, quam doctarum obſervationum copia & ſelectiſſimorum experimentorum varietas ſummo judicio & diligentia elaboratam arguit, ita ut Illuſtri ſuo Auctore Boyleo, cui experimentalis Philoſophia ſemper debebit plurimum, haud indigna cenſenda ſit. Quocirca fuit illa quoque, cum prodiret primum anno 1665, eo adplauſu excepta atque tam avide coëmta, ut bibliopola non ita multo poſt de nova editione cogitare cogeretur, quæ tamen anno 1683 demum prodiit inſignibus acceſſionibus locupletata, quæ partim ex doctorum virorum ſcriptis, partim ex ore nautarum aliorumque, qui regiones frigore immani rigentes inviſerant, petitæ ſunt. Cum vero quæ hoc libro, Anglico nimirum idiomate conſcripto, continentur, paucis innotuerint (ea ſi excipias, quæ in elegantem ſuam diſſertationem medico-phyſicam de frigoris natura & effectibus A. 1675 tranſtulit ex prima hujus editione celebris apud Gedanenſes Medicinæ Doctor *Iſrael Conradi*) nos lectori haut ingratũ fore ſperamus, ſi paulo prolixius ejusdem ſummam recenſeamus. Primo ergo Illuſtris Auctor rationẽ inſtituti ſui prolixius exponit in *Præfatione*, quam vocat *Introductoriam*, & de fide ſcriptorum, quibus ſæpiuscule uſus eſt, nimirum Gerardi de Veer, Olai Magni & navarchi cujusdam Anglici, cui nomen Jacobi fuit, quem ſolertiſſimum virum prædicat, diſſerit; cauſam quoque afferens, cur ſolicite abſtinuerit ab aliqua hypotheſi peculiari aſſerenda, hiſtoriam tradidiſſe contentus. Ipſi operi *tres diſcurſus de thermometris* maximam partem agentes præmittuntur, quorum *primus* luculentis experimentis demonſtrat, non ſolum ſenſus noſtros, ſed etiam vulgaria thermometra, quorum liquor preſſioni aëris obnoxius eſt, fallere nos poſſe in æſtimandis

frigoris gradibus. *Secundus* novas obſervationes circa inſtrumentorum illorum defectum, nec non conſiderationes quasdam circa nova, ſive Hermetice ſigillata thermometra affert, in quibus id cumprimis notandum, quod etiam ſigillo munita thermoſcopia mutationes quasdam nonnunquam ſubeant, ex aliis cauſis, quam calore & frigore pendentes; cum obſervatum ſit, ſpiritum vini aliquando bullas quasdam emittere, in gracilioribus tubulis non contemnendum ſpatium occupantes. *Tertius* vulgarium thermometrorum phænomena ex pondere & elatere aeris accurate explicat. Ipſa vera hiſtoria, experimenta tam affecta quam feliciter confecta recenſens, in XXI titulos digeſta eſt, quorum *primus* experimenta continet illorum corporum, quæ alia congeſant aut congelationem ſaltem promovent, ſi nivi admiſceantur. Varia ergo enarrantur tentamina in diverſis ſalium generibus inſtituta. in ammoniaco puta, nitro, vitriolo, item ſaccharo, nec non ſpiritibus ſalinis, acidis & urinoſis, ſpiritu item vini, qui pariter ac ſpiritus nitri multum præ reliquis ad congelationem facere deprehenſus eſt. Cumq; obſervaretur corpora, quæ nivi addita, ejus vires augent, ea eſſe, quæ ſolutionem ejus accelerant, quid arena & aqua calida nivi ſenſim adfuſa præſtiterit, indicatur. In *titulo ſecundo* enumerantur varii, qui conglaciare ſolent, liquores, in quibus ſolutiones gummi Arabici, ſalium alcalium, aluminis, nitri, vitrioli, viridis æris, ſalis marini, tandemque ſpiritus vini & aceti quoque comparent: ex relatione vero Archiatri Moſcovitici adjicitur, ſpiritus etiam generoſiores intenſiori gelu oleoſum in ſubſtantiam quandoque concreſcere. *Titulum tertium* implent illa corpora, quæ inepta ſunt, ut adeant in glaciem, maximo, quod vel ars vel natura in Anglia producit, frigore; qualia ſunt olea chymica pleraque, ſpiritus vini, aliique fermentatione prævia parati, nec non ſolutiones fortiores ſalium lixiviorum, ſalis communis & ſacchari Saturni. In *titulo quarto* refert Auctor Illuſtris obſervationes & experimenta ad deprehendendos frigoris gradus in variis corporibus facta, ex quibus diſcere licet, aquam, quæ jam frigora durari incipit, calidam cenſendam eſſe, ſi comparetur cum ſpiritu vini, nivis atque ſalis miſtura refrigirato; tantamque inter aquam frigidam & uſitata temperie affectam ratione molis differentiam non eſſe, ac docti nonnulli cenſuerunt, cum aqua ad conglaciationis ſtatum deducta vix 230 partem molis priſtinæ amittat. In *titulo quinto*, num frigus ſurſum an deorſum tendat, inquiri-

inquiritur, & cum nulla ſuppetant argumenta, quæ hanc rem determinare poſſint, ea in medio relinquitur. Interim Auctor methodum communicat, qua poſſit effici, ut aqua a fundo vaſis congelaſcere incipiat, quæ ad plurima experimenta circa frigus facienda non poteſt non conferre plurimum. *Titulus ſextus* circa conſervationem & deſtructionem ovorum, pomorum aliorumque corporum a frigore ortam verſatur. Obſervatum autem fuit, ova conglaciata citius, quam alias exuere frigus, ſi aquæ imponantur, ejusque partes ſibi contiguas in cruſtam glacialem convertere, id quod tamen nec lapides nec ferrum ſumme quantumvis refrigerata faciunt. Porro carnes frigore conſervari quidem, ſed ſi diu nimis expoſitæ maneant eidem, exareſcere & ſaporem amittere, maxime vero vitiari, ſi dum glacie adhuc rigent, igni aſſandæ exponantur. Ligna tandem & arbores non ſine fragore, imo lateres, marmora & ex ære facta opera vi frigoris quandoque disrumpi. *Titulus ſeptimus* expanſionem aquæ & liquorum aqueorum experimentis luculentis contra Peripateticos probat, & ſingulare illud phænomenon, quod Hollandis in Nova Zembla hyemantibus accidit, cum horologium ipſorum frigore correptum in motu ſuo ſiſteretur, ex intumeſcentia partim funiculorum partim rotularum metallicarum, conjectura non improbabili explicat. Sequens vero *octavus* contractionem liquorum a frigore ortam conſiderat, quæ non ſolum in ſpiritu vini, & liquoribus valde corroſivis, ſed etiam in Mercurio aëre liberato locum habet. *Nonus titulus* experimenta habet & obſervationes circa bullas, a quibus levitas glaciei procedere ſupponitur, ex quibus ſequentia ſtrictim enarrabimus. Partem glaciei, in qua nullæ comparebant bullæ, innataſſe ſpiritui vini frigido, ſubſidiſſe in eodem calefacto, & poſtremum hoc in oleo terebinthinæ & ſpiritu vini ter rectificato quoque contigiſſe: bullas illas non produci ab aëre exteriori, quia etiam in vaſis Hermetice obſignatis oriuntur, dum conglaciatio ab ima parte incipit: eam quoque glaciem, quæ ex aqua in machina pneumatica ab aëre liberata oritur, bullis non deſtitui, licet nec tam multæ, nec tam magnæ ſint ac alias: dum ſolvitur glacies bullis repleta, ſecedere multas bullas, nihilominus tamen aquam mole non diminui. *Decimi tituli* experimenta ad quantitatem expanſionis & contractionis liquorũ determinandam fuere excogitata; quibus deprehenſum quoque eſt, aquam, dum liquida eſt, ad glaciem, quæ ex ipſa oritur, ſe habere

 circiter

circiter ut 9 ad 10, adeoque juxta leges hydroſtaticas $\frac{1}{10}$ glaciei aquæ innatantis ex eadem eminere. Cui doctrinæ cum obſtare videantur, quæ ab Hollandis & Jano Munckio de glacie vaſtiſſimarum inſtar turrium ex mari eminente relata leguntur, tollitur hæc difficultas monendo, aquas in illis locis & ſalſas magis & magis gelidas eſſe, & hinc neceſſario aliam quandam proportionem, quam in aquis dulcibus & moderatæ temperiei, ibidem obtinere: deinde vero moles illas non conſtare ex ſolida glacie, ſed nive in cumulum congeſta, multasque procul dubio cavitates in vaſta ejusmodi mole deprehendi aere repletas: nec tandem innatare illas aquis ſemper, ſed fundo incumbere ſæpiſſime. Sub *titulo undecimo* ea tentamina collecta cernuntur, quæ vim expanſivam congelationis illuſtrant, ita ut nonnulla ex ipſis ſatis magnam eandem eſſe in genere oſtendant, alia vero ad vires haſce æſtimandas conducant. Cum autem ex eo, quod vaſis haut magni operculum primo 56, deinde 74 libris oneratum amoveretur, concluſum fuiſſet, eas ſtupendas plane eſſe, in *titulo duodecimo* nova inita fuit illas æſtimandi, ſimulq; oſtenſum quomodo citra operoſum machinarum uſum, aer mirum in modum poſſit comprimi, ita ut vix $\frac{1}{19}$ ſpatii prioris occupet. *Titulus decimus tertius* ſphæram activitatis frigoris comtemplatur, quam exiguam ſatis eſſe evincunt experimenta varia, v. g. quod thermoſcopii gutta pendula non ſubſidit, licet nivi ſatis prope admoveatur, modo illam non contingat. Monetur deinde, non poſſe determinari, quam alte frigus terram penetret, quum maxima hic occurrat varietas, ita ut etiam in inſula Charletoni, in qua navarchus Jacobus hybernavit, ad 10 pedum profunditatem proceſſerit. *Titulus decimus quartus* de diverſis mediis agit, per quæ frigus diffundi poteſt. Neque enim terram, vitrum & lapides duntaxat, ſed metalla quoque pervadit; imo congelatio in vacuo, quod dici ſolet, quoque procedit, & aqua vaſe, quod Hermetis ſigillo inſtructum eſt, concluſa, ſi oleo terebinthinæ vel etiam muriæ aut ſpiritui vini immergatur, ob exterius adhibitam miſturam frigorificam in glaciem abit, dum oleum, muria, & ſpiritus vini fluiditatem ſuam retinent. *Titulus decimus quintus* varia glaciem, ut eſt corpus ſolidum, concernentia edocet; quod ſcil. ſatis valide fractioni reſiſtat; quod ſal ſolutionem ejus promoveat, & tamen eidem aſperſum firmiter eam adhæreſcere faciat ligno, cui impoſita eſt; quod aqua fortis, pariter atque oleum vitrioli, glaciem penetret; quod glacies, quæ in medio

mari

mari nonnunquam offenditur,dum liquatur,dulcem aquam ſuppedidet, nec tamen certo conſtet, utrum hæc aqua nix conglaciata fuerit, aut ex aqua dulci fluminum orta, quæ in mare ſe exonerant, an vero ex ipſa aqua marina concreverit? quod glacies cœrulei quandoque ſit coloris, & ab intenſo frigore magno cum fragore rumpatur. Agitur quoque hic de immenſis glaciei molibus, ex quibus ſtupenda plane eſt illa Baffino commemorata, cujus altitudo 1680 pedes æquabat, nec non quam Fournerius Hydrographia per 40 leucas extenſam fuiſſe tradidit. *Titulus decimus ſextus* ſub examen vocat durationem glaciei & nivis,earumque deſtructionem ab aëre aliisque liquoribus, in quos cylindruli glaciales conjecti fuerant, hoc quidem ſucceſſu,ut promtiſſima ſolutio fieret in oleo vitrioli, tardiſſima in oleo olivarum, & aëre. Ex quo concluditur, nivem diu conſervari poſſe, ſi probe in unam maſſam compacta, ne aër partibus ejus intercedere poſſit, in loco non aprico conſervetur, juxta methodum Italorum, qui in puteis conicis, prope fundum craticula inſtructis, quos glacie & ſtramine, ſtratum ſuper ſtratum faciendo, replent, diutiſſime a liquefactione glaciem defendunt. In *titulo decimo ſeptimo* docta διάσκεψις habetur circa primum frigidum,quod adeo non determinatur, ut potius experimentis ratione ſana ſuffultis demonſtretur primo, incertam omnino eſſe Peripateticorum illam traditionem de πρώτῳ δεκτικῷ qualitatum, deinde vero nec terram, nec aquam, nec aërem mereri, ut pro primo frigido habeantur. Sed cum nonnulli ex recentioribus, quibus etiam Gaſſendus adſtipulatur, nitro omnem refrigerandi vim acceptam referant, ita ut media etiam æſtate aquam in glaciem illud convertere tradant, falſum eſſe hoc oſtenditur, concluditurqe, doctrinam hanc de primo frigido dubitationibus quamplurimis manere expoſitam. *Titulus decimus octavus* circa frigus & temperiem aëris occupatur, variaque experimenta refert, quæ ad contractionem aëris, quam a frigore patitur, determinandam ſuſcepta fuerunt. Quibus equidem adparuit, non plane decimam ſuæ dimenſionis partem ipſum amittere, licet frigore maxime intenſo, quale tum produci potuit, circumſideatur. Evincitur quoque hic obſervatione non una, climatum diverſorum temperiem non pendere ex majori aut minori diſtantia a Polo, aut ab Æquatoris vicinia cum v. g. Moſcovia gelu horreat, dum Edinburgum, quod ſeptentrionalius tamen eſt, miti cœlo fruitur. Quod ipſum ſatis oſtendat, in cauſis horum phæno-

phænomenorum indagandis non tam ad elevationem poli, quam ad naturam & circumſtantias ventorum, qui regionem aliquam percurrunt, reſpiciendum eſſe, ita tamen, ut horum quoque qualitates non ſolum ex plaga, unde ſpirant, ſed etiam ex regionibus, quas pervadunt, antequam ad nos appellunt, derivandæ ſint. *Titulo decimo nono* inuſitata quædam frigoris effecta afferuntur, v. g. tantam ejus vim eſſe in locis borealibus, ut ipſius ignis actionem imminuat; in Moſcovia ſputum congelaſcere, dum ejicitur, antequam terram attingat; hominum inteſtina frigore corripi, ita ut alimenta omnia vomitu rejicere cogantur, enectorum vero viſcera nigra & ambuſta adparere: in Ukraina animal Bohak totum frigore rigens, eo ſoluto vitam recuperare; & quæ hujus generis ſunt alia. *Titulus vigeſimus* pondus corporum congelatorum examinat. Cum enim Helmontius glaciem longe leviorem eſſe tradat aqua, in quam reſolvitur, Manelphus vero contrarium ſentiat; experimentis ſumma cum cura inſtitutis compertum eſt, glaciem cum aqua, in quam liqueſcit, ejusdem eſſe ponderis; quamvis negandum non ſit, ſi aqua ante congelationem examinetur, glaciei exinde ortæ pondus paulo minus exiſtere ob effluvia, quæ abierunt, & faciunt, ut ova quoque congelata leviora nondum congelatis adpareant. *Titulus ultimus* promiſcua nonnulla experimenta ſuppeditat. Nimirum oſtenditur, liquorum gratos odores non deſtrui a frigore, ſed fœtorem contra aquæ in glacie ex ipſa orta non percipi; Lunare lumen nec ſenſibilem calorem, nec frigus producere, quorum prius Sanctorius experimento quodam falſus ſtatuit. Hiſce omnibus appendices ad quosdam titulos, ut & *Poſtſcriptum* ſubjicitur, varia complectens, quæ ad frigoris naturam exactius cognoſcendam faciunt. Diſquiritur enim, num calida citius congelentur, quam frigida, uti cum aliis Berigardus in Circulo Piſano aſſerit? Num piſces in aqua, cujus ſuperficies glacie tecta, moriantur, et ſi moriantur, an hoc ob defectum aëris accidat? Docetur quoque, non ſemper ſuccedere in liquoribus ſeparationem partis ſpirituoſæ a phlegmatica, dum frigore aſtringuntur: lixiviorum congelatorum glaciem non referre figuram plantarum, ex quibus ſalia illa parata: non ſuccedere ſemper experimentum, quo aër ex folle, cujus tubus mixtura frigorifica tectus eſt, exſpiratus thermometri liquorem deprimit; licet in tentamine quodam in Hermetice ſignato vitro inſtituto aqua non parum compreſſa adparuerit, & a

& a preſſione illa liberata adſcenderit, non tamen poſſe hinc tuto inferri, revera aquæ compreſſionem factam fuiſſe; forſitan enim vitrum ipſum extenſum fuiſſe a preſſione interna aëris, & cum ſublata illa preſſione rediret ad ſtatum priſtinum, aquam ſurſum evexiſſe. Sequuntur deinde ob materiæ affinitatem *Examina antiperiſtaſis* & *doctrinæ Hobbeſianæ de frigore*; ita ut in poſteriori erudite oſtendatur, ventos non eſſe adæquatam cauſam frigoris; in priori vero, antiperiſtaſin, prout doceri ac probari communiter ſolet, ſuave commentum eſſe, & experimenta, quæ ad ejus probationem allegantur, eſſe vel falſa, vel dubia, vel inſufficientia, & absque hac hypotheſi explicari poſſe: recteque proinde ſtatui experientia ipſa ſuffragante, cellas hyeme frigidiores eſſe, quam æſtate, niſi forſan peculiares illarum, ratione exhalationum, conſtitutio fuerit. Neque enim nimium tribuendum Zucchii experimento, quippe ad unum ſolum locum reſtricto, præſertim cum hujus viri tempore ſigillata thermometra in uſu nondum fuerint, ipſeque facile tribuere potuerit calori aut frigori, quod ex gravitate ac levitate atmoſphæræ dependebat.

Quum vero eodem fere tempore, quo Dominus Boyle experimentis capiendis vacabat, idem negotium *D. Merretto* a Societate Regia datum fuiſſet, neque hic partibus ſuis defuit, ſed varia inſtituit, quæ partim a Boyleanis diſcrepant, partim amice cum iisdem conſpirant. Ea ergo inter ſe conferre ut quivis poſſit, ſuccincta illorum recenſio adjecta eſt. Ex quibus tria ſolum commemorabimus, nimirum (1) quod oleum vitrioli, quod Boyleo ſemper liquidum manſit, frigore coagulari, imo in glaciem abire obſervarit; (2) quod Quercetani experimentum in multis vegetabilibus, ſed fruſtra ſemper, tentarit; (3) quod ſingulari experimento evicerit, locorum ſubterraneorum frigus fere & æſtate imminui, contra ac ſentiunt antiperiſtaſeos hyperaſpiſtæ. Tandem agmen claudit *Appendix nova* promiſcuorum experimentorum & obſervationum, quæ in ſecunda editione ſuis quæque titulis non potuerunt commode inſeri. Nonnulla ex his gemina & ſimillima ſunt præcedentibus, quædam plane nova, ex quibus ſequentia delibare ſufficiet: Boyleum non potuiſſe deprehendere depreſſionem aquæ, quam Florentini ipſius adſcenſum præcedere annotarunt: intumeſcentiam non præcedere conglaciationem, ſed immediate comitari, cum ſemper glacies deprehendatur iis in locis, quibus mixtura frigori-

ſica admota eſt: aërem majorem frigoris gradum communicare poſſe thermometris, quam ipſam glaciem: nautas denique duos Belgas ad 89. latitudinis gradum veniſſe, atque mare ſatis liberum a glacie deprehendiſſe, frigore non aſperiori, quam in Grœnlandia percepto.

DE CONSTRUCTIONE PROBLEMATUM SOlidorum, ſive Æquationum tertiæ vel quartæ Poteſtatis, unica data Parabola ac Circulo efficienda; diſſertatiuncula Authore Edm. Halley.

Ex Transactionibus Philoſophicis Anglicanis, menſium Julii & Auguſti 1687. no. 188. pag. 335. ſeqq.

QUo pacto æquationes omnes Cubum vel Quadrato-quadratum quantitatis incognitæ involventes, ope Parabolæ cujuscunque datæ & Circuli, conſtrui poſſint, clare tradit ac liquido demonſtrat præclarus ille *Carteſius* in Lib. III. Geometriæ ſuæ: ſed primum jubet ſecundum æquationis terminum, ſi adfuerit, tollere, ac deinde reductæ æquationis Radices regula ibidem expoſita elicere. Cum veró operatio iſta nimis laborioſa videatur, nonnullis viſum eſt conſtructionem ſimilem etiam absque ulla prævia reductione comminiſci; inter quos *Franciſcus* a *Schooten* Methodum valde facilem ac ſimpliciſſimam pro conſtruendis Cubicis quomodo libet affectis prodidiſſet, ſi modo expoſito principio, unde regulam derivavit, Lectoris memoriæ, quam plurimis ac intricatis cautionibus obruit, melius ſtuduiſſet. Nuper vero Vir Cl. *D. Thomas Backer* noſtras, integro libello de conſtructionibus hiſce conſcripto, non ſolum Cubicas, ſed etiam Biquadraticas omnes cujuscunque generis unica generali regula complexus eſt, eamque demonſtrationibus ac exemplis per omnes caſus abundè ſatis illuſtravit: nec non ſub finem modum proponit, unde regula iſta generalis inveſtigari poſſit: Haud tamen illum ipſum oſtendit cujus ope (uti ſuſpicor) Clavem ſuam Geometricam Catholicam obtinuit, vel ſaltem multo facilius obtinere potuit. Cumque perplexis cautionibus de ſignis + & — Regula hæc *D. Bakeri* non minus obnoxia ſit quam illa *Schooteni*, ut vix abſente libro conſtructiones illas quis tuto peragat; haud injucundum nec tyronibus incommodum fore viſum eſt, utriusque fundamentum exponere,

exponere,ac ſimul emendata methodo,in re tam difficili, lucem, quantum valeam,afferre.

Conſtructio quam tradit *Carteſius*,quæque facillime radices æquationum omnium cubicarum vel biquadraticarum, ubi deficit ſecundus terminus,eruit, ut nota ſupponi poteſt; attamen cum cardo ſit, a quo ſubſequentia pendent, ne diſſertatiuncula hæc capite truncata videatur ex illius Geometria deſumptam placuit Regulam adjungere, pauculis nonnullis in melius,uti reor,tranſpoſitis.

Deficiente ſecundo termino omnes æquationes Cubicæ reducuntur ad hanc formam $z^3 . * . apz . aaq . = o$, ac Biquadraticæ ad hanc $z^4 * . apzz . aaqz . a^3 r = o$. (ubi a deſignat Latus rectum Parabolæ cujusvis datæ,quam in Conſtructione adhibere licet,) vel ſumendo a pro Unitate,ad hanc $z^3 . * . pz . q = o$,vel ad hanc $z^4 . * . pzz . qz . r = o$.

Jam data Parabola FAG, cujus Axis ſit $ACDKL$ ac latus rectum a vel 1, fiat AC ejus dimidium ac collocetur ſemper a vertice A verſus interiora figuræ: dein ſumatur $CD = \frac{1}{2} p$ in linea illa AC continuata verſus C ſi in æquatione fuerit $-P$, vel verſus alteram partem ſi habeatur $+p$. Porro e puncto D, aut ex puncto C, ſi non habeatur quantitas p, erigenda eſt ad axem perpendicularis DE æqualis $\frac{1}{2} q$, dextrorſum quidem, ſi fuerit $-q$, ad alterum vero axis latus, ſi fuerit $+q$; ac Circulus centro E radio AE deſcriptus, ſi æquatio fuerit tantum Cubica, Parabolam tot punctis F & G interſecabit, quod veras habet Radices, quarum quidem affirmativæ ut GK erunt ad dextram Axis partem,negativæ ut FL ad ſiniſtram.

Aſt ſi Æquatio Biquadratica fuerit, augeri vel minui debet circuli Radius AE,addendo ſi fuerit $-r$, vel ſubducendo, ſi ſit $+r$, ex ejus quadrato rectangulum ar,ſeu contentum ſub Latere recto & quantitate data r; id quod nullo fere negotio efficitur Geometrice. Hujus vero Circuli interſectiones cum Parabola omnes veras Biquadraticæ Æquationis radices dimiſſis ad Axem perpendiculis exhibebunt; Affirmativas quidem ad dextram Axis, Negativas vero ad ſiniſtram. Totius demonſtrationem *Carteſio* ejus inventori relinquo.

Notandum hic me operam dare, ut ſemper habeantur Radices affirmativæ ad dextrum Axis latus, ut evitetur confuſio a pluribus cautionibus, quarum cauſa minime evidens eſt,neceſſario oritura.

His præmiſſis, ut aditus pateat ad conſtructionem etiam earum æquationum, ubi reperitur terminus ſecundus, conſideranda venit regula pro tollendo termino ſecundo, ac reducenda æquatione ad aliam, quæ methodo præcedente conſtrui poſſit. Omnes vero hujus claſſis æquationes cubicæ ad hanc formam $z^3.\ bzz.\ apz.\ aaq = o$, vel ad hanc $z^3. bzz. * . aaq = o$. Biquadraticæ vero ad hanc $z^4. bz^3. apzz. aaqz\ a^3 r = o$, vel hanc $z^4. bz^3. * . aaqz. a^3 r = o$, vel $z^4. bz^3. apzz. * . a^3 r = o$, vel denique ad hanc $z^4. bz^3. * . * . a^3 r = o$, reduci poſſunt: e quibus omnibus, prout ſignis + & — diverſimode connectuntur, ingens oritur varietas; unde Regula generalis omnibus inſerviens obſcura ac maxime difficilis redditur, niſi methodo, quam ſubjungimus, illuſtrata nodisque extricata tractetur.

Tollitur in Biquadraticis ſecundus terminus, ponendo $x = z - + \frac{1}{4} b$, ſi fuerit $+ b$ in æquatione, vel $x = z - \frac{1}{4} b$ ſi fuerit $- b$: hinc $x - \frac{1}{4} b$ in primo caſu, & $+ \frac{1}{4} b$ in altero æquatur z; & in æquatione quavis propoſita, ſubſtituta loco z quantitate æquali, prodibit nova æquatio termino ſecundo carens, cujus radices omnes x data differentia $\frac{1}{4} b$ vel excedunt vel deficiunt a radice quæſita z: Cum vero in rebus iſtiusmodi plus exempla quam præcepta valere ſoleant, proponatur una vel altera æquatio conſtruenda.

Exemp. I.

$$z^4 + bz^3 - apzz - aaqz + aaar = o.$$

Sit $X - \frac{1}{4} b = z$ Et erit

$$xx - \frac{1}{2} bx + \frac{1}{16} bb = zz$$

$$xxx - \frac{3}{4} xxb + \frac{3}{16} xbb - \frac{1}{64} bbb = z^3$$

$$\& x^4 - bx^3 + \frac{3}{8} bbxx - \frac{1}{16} b^3 x + \frac{1}{256} b^4. = z^4$$

hinc

$$\begin{aligned} x^4 - bx^3 + \tfrac{3}{8} bbxx - \tfrac{1}{16} bbbx + \tfrac{1}{256} b^4. &= z^4 \\ + bx^3 - \tfrac{3}{4} bbxx + \tfrac{3}{16} bbbx - \tfrac{1}{64} b^4 &= + bz^3 \\ - apxx + \tfrac{1}{2} apbx - \tfrac{1}{16} apbb &= - apzz \\ - aaqx + \tfrac{1}{4} aaqb &= - aaqz \\ &+ aaar \end{aligned}$$

Harum omnium ſumma fit æquatione nova ſecundo termino carens, quæque proinde juxta regulam Carteſianam conſtrui poſſit, ſumendo loco $\frac{1}{2} p$ dimidium coefficientis termini tertii per a ſive Latus rectum diviſi,

diviſi hoc eſt $-\frac{3}{16}\frac{bb}{a} - \frac{1}{2}p$; ac loca $\frac{1}{2}p$, dimidium coefficientis termini quarti per aa diviſi, ſive $+\frac{1}{16}\frac{bbb}{aa} + \frac{1}{4}\frac{pb}{a} - \frac{1}{2}$ Cujus partes ſigno $+$ notatæ ſiniſtrorſum ab Axe, ſigno — notatæ dextrorſum collocandæ ſunt, ut habeatur centrum Circuli ad conſtructionem requiſiti, ac cujus interſectiones cum Parabola, dimiſſis in axem perpendiculis, radices omnes veras x deſignet, affirmativas quidem ad dextram axis, negativas vero ad ſiniſtram. Cum vero $x - \frac{1}{4}b = z$, ducendo lineam Axi parallelam, ad dextrum ejus latus & ad diſtantiam $\frac{1}{4}b$, perpendicula illa ad hanc parallelam terminata deſignabunt omnes radices quæſitas z, affirmativas ad dextram, negativas vero ad ſiniſtram. Radium circuli quod attinet, habetur ille addendo partes negativas ac auferendo partes affirmativas termini quinti per aa diviſi, e quadrato lineæ AE, a centro invento E ad Verticem Parabolæ A ductæ: id quod maxima ex parte efficitur capiendo loco lineæ AE lineam EO, quæ ad O interſectionem Parabolæ ac parallelæ prædictæ terminatur; ejus enim quadratum omnes termini quinti partes ex ablatione termini ſecundi æquationi novæ ingeſtas complectitur (uti facile probabitur:) ac reſtat ſolummodo, ut ipſius EO quadratum augeatur, ſi in æquatione habeatur $-r$, vel minuatur, ſi ſit $+r$, additione vel ſubductione rectanguli ar, unde conflatur quadratum Radii Circuli quæſiti.

Hæc eſt methodus inveſtigandi regulam centralem Dn. *Bakeri* omnibus cautionibus libera ac ſatis facilis; ac ſola differentia ex eo provenit, quod ego juxta Axem, ille vero juxta Axi parallelam circuli ejusdem centrum determinat: quodque ego ſemper radices affirmativas ex Axis dextro latere invenio, quas ille nunc dextro, nunc ſiniſtro conſtituit.

Æquationes cubicas quod attinet, eæ reduci debent ad Biquadraticas, antequam eadem regula generali conſtrui poſſint; id quod fit ducendo æquationem propoſitam in radicem ſuam z, unde provenit æquaito Biquadratica, in qua deficit terminus ultimus ſive r: quapropter ſublato ſecundo termino & invento centro E, linea EO eſt radius Circuli; cum ſcilicet ar ſit $= o$, & in nova æquatione totus terminus

quintus ex ipſa ablatione termini ſecundi oriatur. Conſtruenda ſit hæc æquatio.

Excmp. II.

$z^3 - bzz + apz + aaq = 0$: Quæ ducta in z fit
$z^4 - bz^3 + apzz + aaqz = 0$

Ad tollendum ſecundum terminum ponatur $x + \frac{1}{4}b = z$,& fiet

$$x^4 + bx^3 + \tfrac{3}{8}bbxx + \tfrac{1}{16}b^3x + \tfrac{1}{256}b^4 = + z^4$$
$$- bx^3 - \tfrac{3}{4}bbxx - \tfrac{3}{16}b^3x - \tfrac{1}{64}b^4 = - bz^3$$
$$+ apxx + \tfrac{1}{2}abpx + \tfrac{1}{16}apbb = + apzz$$
$$+ aaqx + \tfrac{1}{4}aaqb = + aaqz$$

In hac nova Æquatione, tertii termini ſemicoefficiens per a diviſa viz. $= -\frac{3}{16}\frac{bb}{a} + \frac{1}{2}p$, loco $\frac{1}{2}p$, uſurpanda eſt; ac coefficienti termini quarti dimidium, diviſum per aa Lateris recti quadratum viz. $\frac{bbb}{16aa} + \frac{bp}{4a} + \frac{1}{2}q$, vicem ipſius $\frac{1}{2}$ in conſtructione *Carteſii* ſubit; unde centrum E determinatur. Deinde ducta Axi parallela ad diſtantiam $\frac{1}{4}b$ ad ſiniſtrum ejus latus (ob $x + \frac{1}{4}b = z$) cujus interſectio cum Parabola ſit O; circulus centro E, Radio EO deſcriptus Parabolam ſecet vel tanget in tot punctis, quot æquatio veras habet radices: quæ quidem radices ſeu z ſunt perpendicula de punctis illis in Axi parallelam demiſſa; ad dextram quidem Affirmativæ, Negativæ ad ſiniſtram.

Si in æquatione defuerit terminus tertius vel quartus vel uterque, in inveſtiganda regula centrali nulla omnina obſervanda eſt methodus differentia, ſed deficiente quantitate p vel q, deerunt partes illæ linearum CD ac DE ex quantitate illa aliquo modo deductæ, ac procedendum eſt cum reliquis coefficientibus termini tertii & quarti in æquatione nova, ſicut in præmiſſis exemplis præſcriptum eſt.

Hactenus Cl. *Bakeri* methodum generalem petractavimus, qua quidem nulla alia facilior ac paratior expectanda eſt, aſſumpta ad conſtructionem ſive Parabola, ſive alia quævis linea curva, cum ſcilicet æquatio ad Biquadraticam aſcendit. Etenim dum hæc ſcribo, mihi occurrit regulæ Centralis Effectio Geometrica præter omnem ſpem expedita, ac harum rerum Curioſis abunde ſatisfactura.

Deſcri-

Deſcripta Parabola *NAM*, cujus vertex *A*, Axis *ABC*, ac latus rectum *a*, reducatur æquatio ad hanc formam $z^4 . bz^3 . apzz . aaqz . a^3 r . = o$ vel ad hanc $z^3 . bzz . apz . aaq = o$ ſi cubica tantum fuerit: dein ad diſtantiam $BD = \frac{1}{4} b$ ducatur linea *DH* Axi parallela, ad ſiniſtram quidem, ſi fuerit $-b$, ad dextram ſi $+b$, parabolæ occurrens in puncto *D*; de quo dimittatur perpendiculum in axem *BD*. In linea *AB* continuata verſus *B* fiat $BK = \frac{1}{2} a$, & ducatur linea *DK* utrinque interminata. Porro ſit $KC = 2AB$ in Axe ſemper ultra *K* continuato; ac ſi habeatur quantitas *p* ſigno — affecta, verſus eaſdem partes etiam ſumatur $CE = \frac{1}{2} p$, vel in contrarias, ſi habeatur $+p$, ac e puncto *E* erigatur Axi perpendiculum *EF* (vel e puncto *C*, ſi defuerit quantitas *p*) lineæ *DK*, ſi opus eſt, continuatæ, occurrens in puncto *F*; quod quidem circuli requiſiti centrum eſt, ſi fuerit quantitas *q*; aſt ſi habeatur *q*, ſumenda eſt in *FE*, ſi opus eſt continuata, linea $FG = \frac{1}{2} q$, ſiniſtrorſum quidem ſi fuerit $+q$, dextrorſum ſi $-q$ collocanda: Et punctum *G* erit centrum circuli ad conſtructionem propoſitam idonei; ejusque Radius, ſi defuerit quantitas *r*, hoc eſt, ſi tantum cubica fuerit, erit linea *GD*; cujus quadratum in Biquadraticis augendum eſt, ſi fuerit $-r$, vel minuendum ſi $+r$ additione, vel ſubductione rectanguli ſub *r* & latere recto. Deſcripto ſic Circulo, ab interſectionibus ejus cum Parabola demiſſis in lineam *DH* perpendiculis, quæ ad ſiniſtram ſunt, ut *NO*, radices æquationis negativas ſemper deſignant, quæ ad dextram ut *ML* affirmativas. Tab. III. Fig. 2.

Aliter ac paulo ſimplicius Æquationes cubicæ juxta *Schooteni* Regulam conſtruuntur, quâque etiam radices ad Axem referuntur: quoniam vero ipſe inventor nec modum inveniendi nec demonſtrationem inventi exponit, non abs re erit ejusdem fundamentum hic adjicere, ſimul atque Effectionem Geometricam concinniorem reddere, atque cautionibus, quibus implicatur, extricare.

Hæc Regula derivatur ex eo, quod omnis æquatio Cubica reduci poſſit ad Biquadraticam, in qua deficiet terminus ſecundus: Hoc fit ducendo æquationem propoſitam in $z - b = o$, ſi fuerit $+b$ in æquatione, vel in $z + b = o$, ſi fuerit $-b$; & æquatio nova producta eaſdem habebit radices cum Cubica, atque inſuper alteram ipſi $-b$ æqualem, ſi fuerit $-b$ in æquatione; vel contra.

Propo-

Proponatur conſtruenda $z^3 - z^2 b + apz \quad + aaq = 0.$
$z^4 - z^3 b + apz^2 + aaqz$

Hæc ducta in $z + b$ fit $+ z^3 b - bbzz + abpz + aaqb.$

Hic deficit ſecundus terminus, ac coefficiens tertii $-bb + ap$ dat $\frac{bb}{2a}$ $+ \frac{1}{2}p$ loco $\frac{1}{2}p$ vel GD in Conſtructione *Carteſii*, & ex dimidio coefficientis termini quarti fit $+ \frac{1}{2}q + \frac{bp}{2a}$ loco $\frac{1}{2}q$ vel DE urſurpanda; adeoque determinatur centrum circuli quæſiti : atque ob datam unam ex radicibus æquationis novæ, *viz.* — vel + b, dabitur etiam punctum in circumferentia, id eſt Radius ejus. Denique deſcripto circulo, ab interſectionibus ejus cum Parabola demiſſa in Axem perpendicula æquationis radices exhibebũt, affirmativas & negativas, eadem lege ac ſupra.

Tab. III. Fig. 3. Inveſtigatur autem centrum Circuli conſtructione perquam facili, cæterisq; omnibus in Cubicis præferenda. Deſcriptæ Parabolæ *AMD* ſit vertex A, atque Axis *AF* : ad diſtantiam ipſi *b* æqualem ducatur Axi parallela *DK*, ad dextram ſi fuerit $+b$ in æquatione, ad ſiniſtram ſi $-$ b, quæ Parabolæ occurrat in puncto *D*. Centris D & *AB* deſcribantur radiis æqualibus arcus occulti utrinque ſeſe interſecantes, ac per ſectionum puncta ducatur linea interminata *B C*, quæ medio lineæ ſuppoſitæ A D perpendiculariter inſiſtat, & Axi occurrat in puncto *E*. Ab *E*, inferne quidem ſi in æquatione habeatur $-p$, vel ſuperne verſus *A*, ſi fuerit $+p$, ponatur $EF = \frac{1}{2}p$; & ex *F* (vel ex *E* ſi defuerit *p*) educatur perpendiculum *FG*, lineæ *B C* occurrens in puncto *G*; & in *G*F producta fiat $GH = \frac{1}{2}q$, dextrorſum quidem, ſi in æquatione habeatur $-q$, aliter ſiniſtrorſum, applicanda : ac punctum *H* erit centrum quæſitum, *HD* vero circuli Radius, qui demiſſis in axem perpendiculis ab interſectionibus ſuis cum Parabola, ut *LM*, Radices omnes, ut prius, commonſtrabit. Quomodo vero conſtructio hæc ex præmiſſis conſequatur, per ſe ſatis evidens eſt, nec opus eſt, ut in eadem demonſtranda diutius immorer.

Ne in his edendis fruſtraneam navaſſe operam, & ex aliorum inventis gloriolam captare videar, conſulat Lector Cl. *Bakeri* librum Anno 1684 *Londini* editum, & quæ de hoc argumento ſcripſit *a Schooten* in

TAB. III. *Ad Supplement. Sect. III. pag. 145. ſeqq.*

Fig. 3.




Fig. 1.





Fig. 2.



in Commentario ſuo in librum III Geometriæ Carteſianæ. Brevi conceſſo otio tractatulum alium de numero Radicum in hujusmodi Æquationibus, earumque limitibus, ex contemplatione Conſtructionum præcedentium, aggredi ac in lucem proferre ſtatuo.

TRAITÉ DU MOUVEMENT DES EAUX ET Des Autres Corps Fluides, par feu M. Mariotte, de l'Academie Royale des Sciences.

ſive.

Tractatus de motu aquarum, aliorumque corporum fluidorum, Dn. Mariotti, Academiæ Regiæ Scientiarum Socii.

Editus a Dn. de la Hire, Profeſſore Mathematum, ejusdemque Academiæ Sodali.

Pariſiis, apud Steph. Michallet, 1686. in 8.

Conſtat plagulis 17.

Clariſſimo Autori occaſionem hujus ſcripti, ut ex Præfatione intelligimus, dedit tractatus Paſchalii de æquilibrio liquorum, cujus tradita, dum ipſe experiendo probare inſtituit, obſervata eidem ſunt quamplurima, quæ apud illum, eosque qui eum præceſſerunt, haut reperias. Ea quum non minus Chantili, commodo ob ubertatem aquæ, & ciſternarum altitudinem loco, coram Principe Condæo, quam in Obſervatorio, præſentibus Academiæ Sodalibus ſpectanda exhibuiſſet, ordine demum digeſſit, & morbo lethali correptus Dominum de la Hire iisdem edendis præfecit, copia ſimul facta mutandi & reſecandi, quæ viſa fuerint. Qua tamen libertate ſe non uſum, imo nec difficiliora quædam explanaſſe ipſemet profitetur, veritus, ne vel ab Autoris ſenſu abiret, vel eodem obſcurior eſſet. Interceſſiſſe vero editioni maturiori negotium refert librandæ altitudinis fluminis *Eure*, reſpectu caſtri Verſaliarum, a Domino de Louvois ſibi datum, nec ſine ſucceſſu peractum. Reperiſſe enim diverſis & repetitis menſurationibus, aquam, ſi Pogonii, loco ſeptem a Carnutibus leucas diſſito, ex iſto flumine captaretur, altisſimum pavimentum arcis Verſalienſis, 110 pedes ſuperaſcenſuram eſſe. Et in hoc opere perficiendo jam deſudari ait, quod reliquorum omnium quæ Imperatores Romani per tot ſecula confecerint, magnificentiam

excedat. Abſolvitur vero tractatus hic quindecim omnino diſcurſibus, per quinque partes diviſis. Diſcurſu I. partis I. Autor de plurimis proprietatibus corporum fluidorum agit, & poſt explicatos terminos tradit aquæ naturalem ſtatum eſſe, quod congelata ſit; fluidam vero & liquidam reddi ope caloris. Aqua incaleſcente elevari particulas quasdam in vapores, ſeu guttulas minutiſſimas & fere imperceptibiles, quæ tamen prout denſiores & magis commotæ ſint, viſibiles reddantur, nebulæ, cum terræ propinquæ ſint, nubes vero, cum remotæ, dictæ. Bullas, quas aquam calefactam non minus, quam congelaſcentem projicere cernimus, ex particulis heterogeneis, in aërem ſe reſolventibus oriri, qui ſi per ebullitionem ejectus ſit, aqua pura vero congelaſcat, glaciem perfecte transparentem exstituram eſſe, adeo ut ſi ope vaſis idonei exterior forma polite convexa reddatur, easdem ferme vires in incendendo pulvere pyrio aliisque rebus facile combuſtibilibus exſertura ſit, quam ſpeculum uſtorium. Obſervat dehinc, præter materiam aëream, aliam adhuc aquæ ineſſe, quam fulminantem dixeris. Ubi enim olei quidpiam ſuper guttam inſigniorem aquæ vaſculo cupreo vel ſtanneo immiſeris, illudque candela ſubter incenſa calefeceris, evaporaturum primo aërem aquæ inhærentem, oleo dein incaleſcente fulminationes quaſi ex gutta iſta aquæ erupturas, quæ eandem in duas, tresve particulas diviſuræ, partem olei vero in altum ejaculaturæ ſint. Autumat autem, iſtam vim procedere a particulis quibusdam ſalinis, quæ dato certo gradu caloris ſubito ſe dilatent, inſtar auri fulminantis. Varios poſtea liquores inter ſe confert, & quam diverſimode ad frigus vel calorem condenſentur aut colliqueſcant tradit, disqiſitione denique adjecta, cur guttæ aquæ, olei, Mercurii &c. certis corporibus valide inhæreſcant, illisque inverſis ſuſpenſæ maneant, ſibique invicem accedentes in unum quaſi coaleſcant. Diſcurſu ſecundo in originem fontium inquirit, eamque unice ex aqua pluvia, terram per minutos canales penetrante, & objectu ſaxorum vel glareæ, extra terram rurſus propulſa, vel ad puteos defoſſos collecta, accerſit, iſtiusque ſententiæ veritatem non minus quam pluviarum ad perennitatem fontium ſufficientium variis, nec inelegantibus experimentis, curioſe ſatis demonſtrat. Diſcurſum tertium origini ventorum inveſtigandæ impendit, & examinatis, rejectisque tum Ariſtotelis, tum Carteſii opinionibus, aliquot partim generalia, partim ſpecialia fundamenta præſtruit, ex quibus varia ventorum

quaſi

quaſi phænomena, hinc inde obſervata, adſumtis nonnunquam ulterioribus hypotheſibus, demonſtrat. Inter ea ſunt, 1. Uniformitas ventorum tum inter utrumque Tropicum verſus occidentem, tum in oceano inter 27um & 40um gradum latitudinis in contrarium, orientem verſus flantium. 2. Viciſſitudo eorum, tum in plurimis Zonæ torridæ regionibus, tum in mari mediterraneo. Illic enim Sole occidente, a terra verſus mare, oriente vero, retro a mari verſus litora; hic autem mane ab ortu, veſperi ab occaſu ferri deprehenduntur. 3. Auſter pluvioſus circa initium Novembris quotannis in inſula Franciæ, Burgundia & Campania regnans, & denique leni & temperato Boreæ flatui cedens; unde æſtas illa S. Remigii vel Martini vulgari dicterio celebrata. 4. Revolutio ſive circulus ille ventorum, quo Lutetiæ & in vicinia plerumque tempore Lunæ novæ Aquilo, falcatæ Eurus, biſectæ Auſter, gibboſæ denique Zephyrus, plenæ vero iterum Aquilo & ſic deinceps communiter flare Autori perhibentur. 5. Inæqualitas impetus & directionis motus ventorum uno eodemque tempore non ſolum in diſſitis regionibus, ſed & nonnunquam uno quodam loco deprehenſorum. Tandem 7. procellæ & tempeſtates.

Partis II. Diſcurſu I. de æquilibrio corporum fluidorum intuitu gravitatis agit, & præmiſſis obſervationibus aliquot phoranomicis & ſtaticis, quas ipſi regulas appellare placuit, paucisque de gravitate ignis, aeris & aquæ interjectis, quam poſtremam non minus quam mercurium, in cylindro 40 pedum longo, ſuperius firmiter occluſo, inferiori vero parte in lagenam aquæ plenam immiſſo, ad altitudinem 29. vel 39 pedum detentam fuiſſe expertum ſe ait; ad rem ipſam accedit, & aquam non ſolum in vaſe quocunque detentam, ſed & pluribus tubis, inter ſe tamen communicantibus infuſam, ſuperficiem ſibi ſemper æquilibrem, i. e. æqualiter a centro terræ diſtantem ſervare; quum e contrario, ſi diverſi liquores, inæqualis gravitatis ſpecificæ, tubis iſtis ſimul, absque miſtione infundantur, æquilibrium non in æquidiſtantia extremarum ſuperficierum a centro terræ, ſed in æqualitate ponderis uniuscujusque liquoris in ſingulis tubis contenti conſiſtat. Accedit hinc ad æquilibrium corporum fluidorum cum corporibus ſolidis, propoſitisque quatuor regulis ſive theorematibus, varias easque non injucundas obſervationes, v. g. de viſcoſitate & adhæſione aquæ ad certa corpora, de imminutione gravitatis corporum poris aliisque

vacuis ſpatiolis interne gaudentium, de gravitate ſpecifica tam auri quam plumbi ad aquam, quam ut 18 & 11 ad 1 ſe habere, aliasque admiſcet. Diſcurſu ſecundo æquilibrium corporum fluidorum intuitu virtutis elaſticæ percurrit Autor, iſtudque ſoli aëri & igni vendicat. Aërem nimirum ut congeriem ſpongiarum vel goſſypii ſibi fingit, ſuperius naturaliter extenſam, inferius vero magis minusve condenſatam, prout majori minorive pondere gravatur. Unde varios effectus tam in barometris, quam in bombardis pneumaticis, præcipue vero in anthliis deducit. Flammæ vero vim elaſticam ex pulvere pyrio unice elucere tradit, quippe cujus incenſi natura ſit, ut quantumvis incluſus ignis non extinguatur, ſed immenſas moles, aggerumque congeſta, ſufficientis ſpatii ergo, proturbet. Diſcurſu tertio pergit ad æquilibrium corporum fluidorum per impetum; ejusque non minus flammam vel ignem, quam alia corpora capacem probat, tum ex machina iſta, qua ope tubi cujusdam ampli flamma verſus alas rotæ cujusdam horizontaliter ſitæ ex fornace ſive camino procruditur, eamque verſat, tum ex ignium miſſilium volatu per aërem, tum ex vi fulminis disjiciente, tum denique ex more encauſtarum, flammam ex tubulo pro colliquando ære vel vitro, operi adflantium. Aëris tamen, & aquæ impetum commodius ad movendas machinas adhiberi ait Autor, traditque regulas aliquot, ſive potius theoremata, vel obſervationes, de æſtimando impetu & jactu aquæ, ſecundum diverſitatem altitudinis receptaculi, & amplitudinis orificii, unde proſiliunt, ac denique velocitatis qua exeunt. Aquam nimirum ex vaſe inferius ad fundum aperto erumpentem impetu ſuo æquare gravitatem cylindri aquei, cujus baſis æqualis aperturæ vaſis, & altitudo altitudini aquæ in vaſe contentæ. Velocitates vero aqvarum proſilientium, ut & amplitudines orificiorum, in ratione dupla altitudinum, & conſeqventer ponderum ſive gravitatum eſſe, cum quibus impetus iſte aquarum æquilibium facere debeat. Quæ omnia variis experimentis, ulterioribusque obſervationibus illuſtrantur, interſperſis non minus propoſitionibus jucundioribus quibusdam, ad impetum aëris & ventorum pertinentibus.

Partem tertiam Autor menſurationibus aquarum tam fluentium, quam ſalientium deſtinat, & in diſcurſu 1. obſervatum eſſe ſibi ait, ex receptaculo aquæ, cujus ſuperficies 7 lineis ſuperabat centrum aperturæ lateralis, uuius pollicis, effluxiſſe uno minuto præter propter 13 $\frac{1}{2}$ heminarum

narum Pariſienſium, (pintes) quarum ſingulæ 2 libras, minus 7 groſſis æquent. Quarum loco pro evitandis fractionibus tuto ait poſſe aſſumi 14 heminas, vel 28 libras; quum præſertim varia poſſint obſtare, quo minus exacte menſuratio talis poſſit inſtitui. Qua occaſione obiter notat, pendulum in regionibus æquatori proximis longe brevius filum depoſcere, æquali cum altero in hiſce terris tempori deſignando. Diſcurſu 2. & 3. menſurationes aquarum ſecundum diverſitatem altitudinis earum, prout in ciſterna vel alio vaſe habentur, & amplitudinis orificii, per quod effluunt, ex principiis ſupra traditis per varia experimenta inſtituit, additis tabulis indicibus, quantum aquæ per tantam aperturam, tot pedes a ſuperficie diſtantem, tanto tempore elabatur. Diſcurſu 4. methodum tradit menſurandi aquas, tum in ductibus, tum per rivos, defluentes. Data enim ſive dimenſa tam altitudine quam latitudine alvei, vel aquæductus, in quantum aqua illum opplet, ope globuli cerei injecti, facile obſervari poſſe, quantum ſpatii is v. g. per minutum ſecundum, ejusve dimidium, præciſe conficiat. Longitudinem deinde in reliquas duas dimenſiones ductam exhibere id, quod in quæſtione erat.

Parte quarta Autor de altitudine ejaculationum aquæ, duobus diſcurſibus agit, priore quidem de iis, quæ perpendiculariter, poſteriore vero de iis, quæ oblique feruntur. Præmiſſis igitur obſervationibus, quod aqua ob affrictionem canalium ſive tuborum, per quos ipſi transeundum, nec non ob reſiſtentiam aëris, tam alte aſcendere non poſſit, quam prius deſcenderit; quod tanto altius aſcendat; quanto largior ſi canaliculus orificii. modo vas ipſum, ſeu receptaculum, unde ducatur, ſufficientis ſit amplitudinis; quod diminutiones aſcenſionum inter ſe ſint in ratione dupla altitudinum aquæ, unde ea exſilit; variisque experimentis collatis concludit, jactum aquæ ad altitudinem $\left\{\begin{matrix}5\\10\\15\end{matrix}\right\}$ pedum requirere exceſſum $\left\{\begin{matrix}1\\4\\9\end{matrix}\right\}$ pollicum altitudinis aquæ in vaſe vel receptaculo contentæ, unde illa exit; & ita deinceps, progreſſione per quadrata numerorum ſe invicem ſequentium facta. Quanquam multa occurrant, quæ calculum iſthunc nonnunquam aberrare faciant. Qam in rem varia circa diverſas orificiorum amplitudines ſibi obſervata tradit, oſtenſo ſimul, quomodo ope alterius corporis gravantis, aut aëris condenſati, aut etiam aquæ per anthliæ vim in vas detruſæ, jactus vel

 egreſſus

egreſſus aquæ ſit in majus promovendus. Denique monet, aquam exſilientem, quanto altius adſcendat, tanto largius ſe explicare, & quaſi attenuari; item, in diſpertiendis aquis non eſſe ſpectandam altitudinem jactus, ſed velocitatem exitus; nec aquam per nimis anguſtos canaliculos, nec ad nimiam altitudinem eſſe concitandam: quum vix ultra 100 pedes ex quantumvis alto receptaculo, ſit aſcenſura, & demum in minutas vel omnino inſenſibiles guttulas diſparitura. Oblique vero exſilientē aquam deſcribere docet lineam vel parabolicam, vel ſemiparabolicam, oſtenditque ex Galilæi & Torricellii demonſtrationibus, quomodo inveniendum ſit punctum tum inflexionis parabolicæ, tum attactus plani horizontalis, data nimirum linea directionis, ſecundum quam aqua ex vaſe exeat. Quam doctrinam ad rem tormentariam, jactusque bomborum ignivomorum applicat, addito experimento de ejaculatione Mercurii.

Pars quinta, eaque ultima, de aquæductibus & reſiſtentia tuborum eſt inſcripta. Diſcurſu itaque primo docetur, aquæ decurſum per longos & anguſtos tubos, ex affrictione eorum multum inhiberi, cujus rei plurima ſubjiciuntur experimenta. Quidus collatis Autor conficit, ita ſe habere debere quadrata diametrorum canalium, per quos aqua ducitur, quomodo inter ſe ſint quantitates ſive pollices aquæ ex orificiis canalium exſilientis. Variæ denique ſuccedunt obſervationes, quibus cautelæ quædam circa aquæductus obſervandæ adduntur, putà: tubos eorum ad angulos rectos ſibi non debere occurrere; & canales ductuum paulo ampliores eſſe formandos, quam calculus, quem ſupra innuimus, exigat, ob materiam lutoſam, aquæ immixtam, & ductibus adhærentem adeoque fluxui obſtantem. Qua occaſione refertur, in aquæductu *d' Arcueil* aquam deferre ſabulum quoddam lapideſcens, quo denique ipſi tubi, eorumque orificia obſtruantur. Diſcurſu ſecundo docetur quantam vim ſuſtineant tubi aquæductuum, & quanta opus ſit denſitate (reſpectu habito tam ad materiem illorum, quam ad altitudinem receptaculorum, unde aqua defertur,) ne facile rumpantur. Ubi totus eſt Autor in tradendis ac demonſtrandis theorematibus de reſiſtentia corporum ſolidorum, tum fragilium, tum tenacium ac lentorum, adverſus rupturas ſeu diffractiones. Subjectis denique obſervatis quibusdam, diſcurſu ultimo ad diſtributionem aquarum pergit, modoque oſtenſo, quo iſta omnium rectiſſime fieri poſſit, toti tractatui finem ponit.

L' OUVER-

L'OUVERTURE DE L'EPITRE DE S. PAUL aux Romains &c.

i. e.

Explicatio Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos ex verſu XXVII capitis III.

Amſtelodami apud Abr. Wolfgang 1685. in 12.

Conſtat plagulis 8.

SÆpe cum laude memoratus nobis Claudius, verum totius Epiſtolæ ad Romanos intellectum, ab intellectu v. 28. c. III. dependere perſuaſus, id laboris in dicto libello ſibi impoſuit, ut de theſeos Paulinæ ſenſu, & eam probandi methodo, liquido conſtaret. Apoſtolum nimirum Phariſæos aggredi, qui œconomiam Moſaicam perpetuo durare debere rati, fœdus legale pro unica ſalutis via habuerint, quæ veram & ſalutarem juſtitiam conferendo, hominem in ſtatu gratiæ, & proxima ad vitam æternam diſpoſitione collocare valeat. Hanc perſuaſionem, in qua integer controverſiæ ſtatus ſitus ſit, confutari ab Apoſtolo, qui illa omnia non de lege Moſaica, ſed Evangelio enuncianda eſſe doceat. Interpretum vero explicationem, ex qua hic ſenſus reſultet, quod *homo coram DEO juſtus declaretur, & ab omnibus peccatis ſuis abſolvatur, virtute fidei promiſſiones Evangelii ſibi applicantis, idque excluſis omnibus bonis operibus in gratia vel extra eam factis, utpote juſtificationem non ingredientibus*, incommodam eſſe ait, & aberrare a ſcopo Apoſtoli, eo quod omne genus bonorum operum excludat, quorum tamen quædam non quidem per viam *meriti*, ſed tamen, per viam *conditionis*, in juſtificatione interveniant. Scripturam enim *converſionem* & *pœnitentiam*, quæ omnino opera a fide diſtincta ſint, primos tamen actus omnium virtutum Chriſtianarum, fidei, charitatis, ſpei &c. includentia, ceu conditiones æqualis cum fide ad juſtificationem neceſſitatis exigere, *Act. III, 19.* Cum itaque terminus *juſtificari*, præter ſignificationem illam forenſem, in aliis Scripturæ locis etiam idem denotet ac *juſtum fieri*, & ex ſtatu damnationis in ſtatum ſalutis & gratiæ tranſire, qui non in *abſolutione* ſolum, ſed & *ſanctificatione*, ſine qua nemo Deum viſurus ſit, conſiſtat: *Fides* vero non modo actum fidei, ſed & ejus objectum h. e, Evangelium, miſericordiam Dei, meritum Chriſti, & quicquid ad ſalutem noſtram concurrit;

concurrit ; & *opera legis* ſeu *lex operum* (per methatheſin Paulo ſatis familiarem) totum fœdus legale ,veluti *lex fidei* Rom. III, 27. fœdus Evangelicum,ſignificent: poſita hac explicatione, non minus de ſenſu & ſcopo Apoſtoli , quam clave totius Epiſtolæ nos certos fieri , concludendo ſc. *in ſtatum gratiæ nos transferri* , & *in veræ juſtitiæ ſalutaris poſſeſſionem nos immitti*, *per ſolum fœdus Evangelicum* , & *non per fœdus legale.* Hujus theſis probationes brevi analyſi ſubjunguntur. Et quidem ex C. I, v. 16. hæc propoſitio in tota Epiſtola probanda eruitur : *nec Græcum in fœdere naturæ* , *nec Judæum in fœdere Moſaico ſalvari poſſe* ; *Evangelium vero utrique in fœdus ſalutare cedere.* Prius membrum C. I. prolixa criminum recenſione; alterum C. II.probatur; Vocula enim *Proinde* v. 2. in 1. locum transponendo, ad Judæos,eorundem, quæ in gentilibus taxabant, criminum reos, alloquium dirigitur ; quo , poſt parentheſin a v. 6. ad 17. extremo judicio DEI utrisque imminenti agentem , ad finem usque , Judæis peccatorum æqualium convictis oſtenditur , ob non perfecte impletam legem, etiam in fœdere legali eos ſalvari non poſſe, ſed æque ac gentiles tertia aliqua diſpenſatione ad expiationem opus habere. Id quod in C. III. ulterius declaratur, Judæos ſcil. inſigni præ Gentilibus prærogativa ornatos , ſua culpa ex lege juſtificatos non eſſe , nec Deum injuſtitiæ alicuj9 accuſari poſſe,quod v. 5. (cujus verſio Gallica notatur) & 7.objici poſſe videbatur,ubi v. 6. quo objectioni reſpondetur, iterum metatheſis aliqua occurrit. C. IV. antea adducta exemplo Abrahami in triplici ſtatu,(1) ante vocationem a v. 1. (2) imputatæ fidei in juſtitiam a v. 3. (3) circumciſionis ſive totius fœderis legalis a v. 9. conſiderati, in ſecundo vero juſtificati a v. 13. confirmantur. C. V. a v. 1. ad 12. fructus juſtificationis allegantur ; hinc in perpetua juſtitiæ Chriſti & peccati Adami oppoſitione recte reſponſio inſinuatur ad objectionem I. quomodo unius juſtitia plures juſtificentur? In v. 13. verba: *peccatum non imputabatur*, *cum lex non eſſet*, interrogative legenda ; mortem enim ab Adamo regnaſſe usque ad Moſen v. 14. ſi vero pro peccatoribus reputati non eſſent, nec morituros fuiſſe. Ex Apoſtoli etiam, exactum parallelismum inter modum, quo peccatum Adami, & juſtitia Chriſti ſuper nos ſe diffundat, monſtraturi ſcopo , *illud* tam per propagationem, quam *imputationem* in nos transgredi , velut *iſta* & per imputationem ſatisfactionis, & per infuſionem ſeu inhærentiam

ſancti-

ſanctitatis ſuæ a Spiritu S. datæ, nobis tribuatur; quod contra temerarium & Socinianis favens dogma *non imputationis* in ſchola Reformatorum notandum. C. VI ad II objectionem: *ſi gratia delentur peccata, ergo audacter peccandum, ut gratia magis abundet*; reſpondetur, & contrarium, nempe ad ſanctificationem eam magis nos adigere, probatur, 1. quia gratia juſtificans peccatum in nobis mortificet virtute baptiſmi, tam per ſignum immerſionis, quam rem ſignificatam, unionem ſcilicet cum Chriſto, cum quo una planta facti de morte & reſurrectione ejus participamus; quæ omnia cum peccato incompatibilia ſint. 2. quia eadem a ſervitute peccati nos liberet, & ſervos juſtitiæ nos conſtituat; a quibus diverſis dominis cum diverſa merces expectanda ſit, ea ipſa, quam juſtitia diſtribuit, ad ſanctificationem nos magis invitari. C. VII propoſitio, *nos non amplius ſub fœdere legali, ſed evangelico eſſe*, ſimili a ſtatu maritali petito confirmatur, ubi Sponſa duobus maritis ſucceſſive juncta *Eccleſiam*, primus eorum legem, & iſtius mors hujus *abolitionem*, alter *Chriſtum* indigitat; quod contra Interpretes per primum maritum *peccatum*, per ſponſam *animam*, per vinculum conjugale *legem*, per mortem prioris mariti ejus *abolitionem* intelligentes, itidem notandum. Deinde ad III objectionem: quia ſolo fœdere Evangelico juſtificamur, ergo Lex inutilis, & potius mala eſt, quia ſubintravit, ut abundaret delictum c. 5. 20; reſp. 1. data eſt lex, ut detegat peccatum, ergo non inutilis eſt. 2. fuit occaſio, ut peccatum abundaret, quia hoc per illius reſiſtentiam irritatur, uti ex interno conflictu inter bonum & malum in mente excitato patet; quod quia a lege per ſe bona & ſancta provenit, ergo non eſt mala. Obſervandum porro I. v. 7. 8. Paulum de ſeipſo non loqui, cui figurate in ſe ſuſcipere non infrequens eſt, a quibus plane immunis eſt, v. g. 1. Cor. 1. c. 13. v. 1. 2. 3. Gal. 2. v. 18. Rom. 3. v. 7. II. non de regenito ibi ſermonem eſſe. Lucta enim inter legem membrorum i. e. cupiditatem, & legem mentis, i. e. partis ſuperioris, ſeu rationis, voluntatis & conſcientiæ intercedens, cum illa lucta eadem non eſt, quæ Gal. 5. inter Spiritum & carnem reciprocatur. C. VIII. ad Object. IV. *cur juſtificati morti aliiſque afflictionibus obnoxii ſint*? theſis præmittitur: Chriſtianos a condemnatione, ex tribus fontibus *lege*, *peccato* & *morte* ſcaturiente, exemptos eſſe, ſub conditione tamen ambulandi non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum;

cum digreſſione de carnis & ſpiritus differentia. verſu 10 & 11 ipſi objectioni reſpondetur: I. mortem non eſſe condemnationem; animam enim per juſtificationem ad novam vitam adſpirare, corpus vero non niſi in ſpem reſurrectionis mori. Ubi v. 12. ſeqq. neceſſitas ambulandi ſecundum Spiritum inculcatur, ne mors in condemnationem degeneret, quod peccatoribus contingat; & v. 15. ſeqq. docetur, quomodo homines ſub Lege ſpiritum ſervitutis habentes timori & maledictioni ſubjiciantur, ſub Evangelio vero filii Dei & ſic omnis condemnationis expertes evadant. II. afflictiones, quæ maledictionis & condemnationis characterem præ ſe ferre videantur, nihili faciendas eſſe, cum nullam ad futuram gloriam proportionem habeant, cujus magnitudo omnium creaturarum teſtimonio adſtruatur; per quas licet Origenes animas ante corpus creatas, & per totam naturam diſperſas, & in ſtatum prioris puritatis regredi anhelantes, Autor vero aliquando animas juſtorum ſeparatas ſuorumque corporum reſurrectionem deſiderantes intellexerit; melius tamen omnes creaturas ſenſu carentes intelligi, quibus per hominum abuſum vanitati ſubjectis deſiderium liberationis per proſopopœiam tribuatur. Spiritum porro in noſtris afflictionibus nos conſolari, easque in fidelium ſalutem concurrere; nihil etiam effectum prædeſtinationis (v. 28.29.) impedire poſſe, cujus propoſitionis amplificatio usque ad finem capitis ſubtexitur. C. IX. has *internas* alia jam & quidem *externa* excipit, Populi nimirum Judaici *rejectio*, & Gentilium *vocatio*, quæ huic & ſequentibus duobus capitibus argumentū præbent. Præviderat Paulus, objici ſibi poſſe: *quomodo fieri poteſt, ut doctrina, quam de novo fœdere per Moſen & Prophetas, ut ais, prædicto prædicas, vera ſit, cum populus, cui oracula Dei commiſſa ſunt, eam unanimiter rejiciat? quomodo tuam ſolius autoritatem autoritati populi Dei opponere audes?* Sed negat Apoſtolus, Judæos amplius populum Dei eſſe; ergo nec autoritatem eorum contra doctrinam Evangelii quicquam valere. Præmiſſa itaque, ad declinandam ſui averſionem ex doctrina hac de rejectione metuendam, doloris ſui ad deſiderium usque excommunicationis (non condemnationis, qualc votum nec legitimum nec rationi conforme foret) ſe extendentis conteſtatione, & diverſarum nationis iſtius prærogativarum enumeratione, docet rejectioni huic non obſtare promiſſionem Abrahamo factam: *ero Deus tuus*

& ſemi-

& ſeminis tui poſt te : per ſemen enim, cujus multiplicatio inſtar ſtellarum & pulveris terræ, ad nationem Judaicam reſtringi nequeat, liberos Abrahami non per viam generationis, ſed imitationis fidei, ab eo deſcenſuros intelligi. Inſtas : *quomodo ſalva juſtitia* & *bonitate Dei populus tamdiu dilectus rejici potuerit* ? reſponſum habeto : rejectionem hanc rationis humanæ cenſuræ ſubjacere non debere, ſed voluntatem Dei, in electione & rejectione (quorſum exemplum Jacobi & Eſavi, ceu typorum electionis & reprobationis, intuitu ſalutis æternæ reſpiciat) liberrime agentis ſufficere. Quæſtionis : *an ergo Deus iniquus*, v. 14? ſolutio in v. 20 (intermediis enim verſibus libertas Dei in exercitio miſericordiæ probatur) rejicitur, & in *ſummo* Dei *jure in creaturas* fundatur. Minime autem hic electionem æternam, ſeu decretum quo Deus certos homines ad ſalutem ducendos eligere decrevit, ſed actionem Dei pure gratuitam intelligi, qua certos homines, reliquis neglectis, *in tempore* efficaciter vocat & convertit. Nullibi in Scriptura per vocabula *eligere*, *electio*, *electi*, neceſſario electionem æternam innui ; dari vero complura loca, quæ de electione in tempore facta clare loquantur. Ita Rom. 8. v. 33. *electos* pro converſis accipi, qui amplius accuſari nequeant. Paulum, cum perſequeretur Eccleſiam, electum, & tamen accuſationi & condemnationi obnoxium, nihilominus *Vas electionis*, i. e. in tempore electum fuiſſe. Matth. 20. v. 16 *electorum* actualiter per converſionem & vocationem efficacem, mentionem fieri ; Deum enim vocare multos, paucos vero convertere. Sic juxta 2. Pet. 1. v. 10. non decretum æternum abſolute a nobis independens, ſed electionem nos in tempore a reliquis ſeparatos per bona opera certam facere poſſe. *E*t Eph. 1. v. 4. Deum ante jacta mundi fundamenta decreviſſe nos in tempore eligere, veluti Apoc. 13. v. 8. agnus ab æterno, ratione decreti ſcilicet, occiſus dicatur; & 2. Tim. 1. v. 9. Deum ab æterno decreviſſe nobis gratiam dare ; adeoq; per voces πρόθεσις & προορισμὸς decretum electionis, per ἐκλογὴν vero gratuitum illum actum ſeparationis, citra reſpectum ad merita, per vocationem efficacem indigitari, Deum vero nihil facere in tempore, cui non reſpondeat aliquod decretum in æternitate. Verſu 24. ſeqq. probatur, rejectionem hanc & vocationem Gentilium juxta vaticinia Prophetarum fieri debuiſſe. A Verſu 30. usq; ad finem, ratio rejectionis affertur, quod Judæi per legem juſtitiæ ſeu juſtitiam legis (per

hypallagen caſus,) juſtificationem ſuam quæſiverint : eademque C. X. quod totius Scripturæ difficillimum perhibetur, ulterius explicatur, quia modum juſtificationis in Evangelio oblatum amplecti noluerint. Cur vero juſtificationem per fœdus legale inutiliter quæſiverint, cauſam eſſe, quod juſtificatio legalis difficillima ſit, cum contra juſtificatio Evangelica ſit facillima, v. 5-11. Poſterius ex Deut. 30. v. 11. ſeqq. ita probari, ut Moſes de facilitate Legis loquens non reſpiciat præciſe fœdus legale in ſe, ſed conjunctim cum Evangelio, & quatenus relaxationem Evangelicam commixtam habet. Verba: *ne dixeris in corde tuo &c.* locutionem proverbialem continere, de re, quæ pro difficili habenda non ſit, hoc ſenſu: ſi opus eſſet, propter juſtificationem Evangelicam deſcendere ad inferos, vel aſcendere in cœlum, Evangelium talem nobis ſiſtit, qui ejus gratia eo deſcendit, & aſcendit. Verſu 11. & ſeqq. autem facilitas illa juſtificationis in fide collocatur. Hinc generalitate ſalutis omnibus credentibus obventuræ ſtabilita, neceſſitas prædicationis Evangelii omnibus *gentibus* faciendæ, v. 14. ſeqq. per ſoriten probatur, cujus concluſio in v. 17 habetur, qui loco v. 16 ponendus eſt. Nam in hoc nova proponitur objectio: *quid opus, ut Evangelium omnibus prædicetur? nam uti dicis, prædicatio nonniſi ad producendam fidem neceſſaria eſt; jam vero non omnes gentiles crediderunt, nec ad credendum deſtinati erant.* Reſp. v. 18: ſufficit omnes audiviſſe; quod vero non crediderint, ſibi imputent. Non vero intelligi prædicationem per vocem naturæ, uti quidam volunt ob allegata verba Pſ 19, *ſonus eorum &c.* quæ literaliter loquelam creaturarum denotant, ab Apoſtolo vero per alluſionem citantur, vel ſenſum myſticum ad prædicationem Evangelii referendum includunt. Ita vocatione Gentilium a v. 11. ſeqq. probata, v. 19. ex Judæis quærit, *an nihil unquam de hac vocatione futura inaudiverint?* (non vero juxta alios, an non æque ac gentiles Evangelium audiverint?) reſponſionem affirmativam e Moſe & Eſaia corroborat, rejectione & induratione Judæorum v. 21 ſeqq. denuo probata, quæ cum vocatione gentilium in ordine decretorum Dei inſeparabiliter conjuncta ſit. C. XI. rejectionis materiam ulterius proſequens novæ occurrit difficultati, *quomodo* ſcilicet *Deus populum a ſe electum & tot privilegiis ab aliis gentibus diſtinctum rejicere potuerit?* Reſp. negando rejectionem abſolutam. Probatur I. a ſtatu præſenti; non ob-

ſtante

ſtante enim Judæorum incredulitate, conſiderabilem ſatis eorum numerum doctrinam Evangelicam amplexum eſſe. Exceptis his reliquiis, cæteros indurationi ſuæ relictos eſſe. II. a ſtatu futuro; in gratiam enim aliquando redituros eſſe, cum lapſus eorum ideo ſaltem permiſſus fuerit, ut locus fieret vocationi gentilium, quos, quia Judæi increduli erant, Deus autem Eccleſia carere non poterat, in horum locum vocari neceſſe fuit; quorſum etiam collimat parabola de nuptiis. Hinc in apoſtrophe ad Gentiles directa rationes exponit, cur adeo favorabiliter de ipſis loquatur; 1. ut miniſterium ſuum honorificum redderet, & 2. Judæos ad æmulationem provocaret. Commodum ex reditu illo Eccleſiæ acceſſurum v. 15. *vita ex mortuis* vocatur, i. e. *reſurrectio*, quæ Apoc. 20. v. 6. *prima* dicitur. Revocationis Judæorum potiſſima probatio a fœdere cum Patriarchis inito, & divinis promiſſionibus v. 16. usq; ad finem petitur. Illis enim radicibus ſalvis, abſoluta ramorum rejectio impoſſibilis eſt. Gentiles igitur ex præſenti Judæorum incredulitate generalem eorum rejectionem non inferre, nec irrevocabili quadam ſui vocatione gloriari debere, cum ſi in ſimilem incredulitatem delabi contingeret, iterum reſecari poſſint. Quæ omnia ſub allegoria oleæ inſinuata a verſ. 23. ad 33. explicantur. Fore nimirum, ut Gentiles omnes primum convertantur, Judæi deinde contradictionis torrenti veluti impares, & ſe ſolos Chriſti hoſtes ſupereſſe erubeſcentes, nomen ipſi pariter daturi ſint. Quam in rem ex Eſaia & Jeremia teſtimonia afferuntur, addita ratione, quia *dona & vocatio Dei ſint ſine pœnitentia*; ergo & vocatio Patriarcharum in poſteris non revocabitur. Si quæras: *cur Gentiles fœderis tamdiu expertes, & Judæi itidem tamdiu in ſimili ſtatu relicti fuerint?* reſpondetur, ideo illud factum eſſe, ut omnes homines ſub una eademque ſorte concluſi miſeriæ ſuæ convincerentur, & non niſi miſericordia divina ſalvari ſe poſſe, agnoſcerent. A v. 33. demum usque ad finem, exclamatione ſuper materias doctrinæ Chriſtianæ maxime impenetrabiles tribus his capitibus tractatas ſubjuncta, epiſtolæ hujus pars Polemica & Didactica abſolvitur; reliquis quinque capitibus nonniſi præcepta moralia, & quomodo erga Chriſtianos infirmos inter Judæos, immenſo ceremoniarum legalium amore adhuc captos, ſe gerere debeant, tradentibus.

ECLAIRCISSEMENS SUR LES SCANDALES injuſtement pris d' un Livre intitulé: L' ouverture de l' Epitre aux Romains &c.

i. e.

Declarationes, ſcandalis ex libro, *Explicatio Epiſtolæ ad Romanos* inſcripto, injuſte acceptis oppoſitæ.

Londini apud A. Hill. 1687. in 12.

Conſtat plagulis 8.

ADverſus criminationes, quibus ſupra indicatus libellus, inſcio *Claudio* vulgatus, a Theologis, præſertim Hollandiæ, ad tot libros, ut præfatio habet, in pietatis præjudicium publice venales nihil ſe moventibus, inique exceptus, & autor Papiſmi, Pelagianiſmi, Arminianiſmi, quique puriorem de Gratia & Juſtificatione doctrinam, totiusque Epiſtolæ ad Romanos œconomiam everſum eat, inſimulatus fuiſſe dicitur, defenſio hic ſuſcipitur, ipſo libello iterum præmiſſo & emendatius excuſo. Et quidem prævia de materia Gratiæ confeſſione qua a canonibus Synodi Dordracenæ in maximo rigore acceptis ſe ſtare Autor profitetur, ad I. inſimulationem, de quæſtione ſtatus ratione adverſariorum Pauli non recte formata, reſpondet eos non alios quam Judæos, nec inter hos alios quam Phariſæos fuiſſe, contra quos diſputare potuerit; veluti etiam ipſa controverſia non in quæſtione, an homo per actum fidei juſtificetur, ſed an ſalus & juſtificatio per *fœdus Moſaicum*, an per *Evangelium Chriſti* obtineatur, conſtiterit, cujus controverſiæ ſtatus ex act. 15. v. 1. 2. 5. ſatis appareat. Ad II. quod vocabulis *juſtificari, fidei, & operum legis* ſenſum heterodoxum, & ſcholæ Romanæ partim favorabilem impoſuerit; reſpondet circa vocabula nemini litem movendam eſſe. Patres Latinos, Auguſtinum maxime, & non paucos æquiorum Proteſtantium, ſignificationem Grammaticalem ſecutos, *juſtificare* per *juſtum facere* explicare. Nec Paulum principaliter hic diſputare de medio, per quod quis juſtus declarari, aut de via, per quam remiſſio peccatorum obtineri poſſit; cum Phariſæi opinione juſtitiæ ſuæ nimium inflati, ulla remiſſione peccatorum ſe opus habere fere non crederent; ſed in quo vera juſtitia conſiſtat, an in obedientia legis Moſaicæ, an Evangelii; quin vo-

cem *juſtitia* in hac Epiſtola toties occurrentem, totam juſtitiam Evangelicam, quatenus remiſſionem & regenerationem includit, complecti. Ita & *fidem*, juxta dictæ diſputationis ſcopum, totum fœdus Evangelicum ſeu gratiæ inferre, non minus quam *opera legis*, per metathesin ſæpius obviam, *fœdus legale*, quod vel in 40 locis per verba *lex operum* exprimatur. Quod ſi metatheſis non admittatur, tandem, ſeu *Opera legis*, ſeu *Lex operum* dicatur, perinde erit; *hoc*, quia lex opera flagitat: *fac hoc & vives; illud*, quia fœdus legale totum ex operibus, cerimoniis & obſervationibus componitur. Ad III: explicatione hac Proteſtantibus arma eripi, quibus pro juſtificatione gratuita per fidem ſine operibus & merito, contra Adverſarios pugnent, quin eandem ſubrui, cum Autor opera juſtificationem ingredi faciat; reſpondet, ſalva juſtificatione gratuita citra ullum interventum meriti, explicationem ſuam adhuc firmo ſtare talo; nimirum certa bona opera, a gratia præveniente promanantia, præter fidem, qualia ſunt dolor ob Deum offenſum, deſiderium renunciandi peccato, & ſpes miſericordiæ divinæ, juſtificationem præcedere debere. Opera vero a juſtitia habituali proficiſcentia, juſtificationis effectus eſſe, & de his exaudiendum illud Auguſtini: *bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.* Ad IV. quod ſtatuatur, vocabula *electio*, *electus*, & *eligere* in Scriptura non ſignificare *decretum æternum*, quo Deus *ante tempora* certos homines ex maſſa generis humani, ad dandam ipſis gratiam & gloriam, elegerit, in oppoſitione ad reliquos a ſe reprobatos; & quod in C. IX. Ep. ad Rom. de electione æterna non agatur; reſpondet, diverſis *Prædeſtinationis* (quod vocabulum tamen in malam partem quoad reprobationem in Scriptura non occurrat) & *Electionis* interpretationibus a ſe litem non intentari. Interim cum Scriptura ad exprimendum *decretum æternum*, vocabulis προορισμὸς, *prædeſtinatio*, prædefinitio, & πρόθεσις, *propoſitio*, *intentio* ſatis contenta, voce ἐκλογὴ *electio* opus non habeat, ad deſignandam decreti ipſius *in executionem* & actionem illam, qua Deus, præcedente invitatione generali ad omnes peccatores directa, nonnullos ex ipſis *in tempore* eligit, ut gratiam prævenientem ipſis conferat, *Electionis* terminum, quia nec *juſtificatio* nec *vocatio* rem ſatis exhauriat, convenientiſſimum eſſe. Ad aſſertum hoc probandum, omnes textus de *Electione* loquentes examinantur. Ad locum *Eph.*

1. v. 4.

1. v. 4. oppoſitum, ſi data ſuperius explicatio non arrideat, conceditur, *Electionem* Decretum Electionis ſignificare, quia terminus ille, naturaliter hoc non ſignificans, per addita verba: *ante mundi conſtitutionem*, ſignificationi iſti adaptetur. Locus *Apoc. 17. v. 14.* in quo libro ſemel tantum *Electorum* mentio fit, ita explicatur: *Vocati*, i. e. ad converſionem per revelationem veritatis a Deo invitati; *electi*, i. e. in quibꝰ vocationem illam per Spiritum ſuum efficacem reddidit; & *fideles*, i. e. qui per conſequentiam hujus actionis, per quam Deus ab aliis hominibus nos ſeparat, donum fidei accipiunt. Ad locum Rom. IX. 2. regeritur, non agi ibi de electione vel reprobatione ad vitam vel mortem æternam, ſed ſaltem de electione & reprobatione ratione prærogativæ, uter fratrum pater Meſſiæ, & Patriarcha ſanctæ nationis eſſe debeat, ad quam Jacobus, Eſavo reprobato, electus fuerit. V. Variæ criminationes, quod cum Arminianis faciat, Supralapſariis probationes hypotheſeos ſuæ eripiat, tot & tantorum virorum Commentarios inutiles reddat & ludibrio exponat, totiusque Epiſtolæ oeconomiam ſubvertat, pluribus ab Autore ita diluuntur, ut, quod contrarium potius ex ipſa materiæ hujus tractatione pateſcat, probatum det. Pro conciliatione Jacobi, *fidem absque operibus juſtificare* negantis, & *Pauli* idem affirmantis, adhuc additur, utrumque eorum terminum *juſtificare* eodem, *fidei* vero diverſo ſenſu accipere; & quidem *illum* pro fide a reſiduo fœderis gratiæ ſeparata; *hunc* pro integro fœdere Evangelico. Senſu itaque Pauli verum eſſe, quod per ſolam fidem absque operibus legis, i. e. per ſolum fœdus Evangelicum, absque fœdere legali juſtificemur. Senſu quoque Jacobi & hoc verum eſſe, quod & *per fidem* & *opera* juſtificemur. Utrique enim *juſtificari* idem eſſe, ac in juſtitiæ ſalutaris, quæ in remiſſione peccatorum & ſanctificatione conſiſtat, poſſeſſionem mitti; id quod non ſola virtute fidei, ſed etiam per alias virtutes Chriſtianas fiat. Remiſſionem peccatorum obtineri per fidem, & primos charitatis & pœnitentiæ actus: Sanctificationem formaliter in habitu omnium virtutum Chriſtianarum conſiſtere, quæ per bona opera, in ſcholis actus virtutum Chriſtianarum appellari ſolita, ſe confortent.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio IV.

EXAMEN LIBRI PONTIFICALIS SEU VITARUM Romanorum Pontificum, quæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur, Autore JOHANNE CIAMPINO, *Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ, nec non Majoris Præſidentiæ Abbreviatore ac in utraque Signatura Referendario.*

Romæ ex Typographia Johannis Jacobi Komarek, 1688. in 4to.

Conſtat plagulis 32.

IN Autorem libri Pontificalis, quo vitæ Romanorum Pontificum continentur, inquiſiturus celeberrimus Ciampinus, diverſas opiniones enumerat. Primam, quam *Ptolomæo Lucenſi*, *Landulpho de Columna* & pluribus aliis adſcribit, iis tribuit, qui vitas Romanorum Pontificum a Petro usque ad Liberium Damaſi, reliquas usque ad Nicolaum I. Anaſtaſii opus eſſe ſtatuunt. Secundam ad eos ſpectare ait, qui geſta Pontificum a Petro ad Liberium non ad Damaſum, ſed ad incertum Autorem referunt, in qua claſſe *Baronium* & *Labbeum* collocat. Tertiam aſſignat *Tortelio* & *Sylvagio*, quos Damaſo & Anaſtaſio prætermiſſis, vitas Pontificum Guilielmo Bibliothecario, ſive Pandulpho Oſtiario, vel etiam cuidam Petro Lateranenſis eccleſiæ Bibliothecario adſcribere memorat. Quarta eſt *Panvinii*, *Ludovici Jacobi a S. Carolo*, *Teiſſerii* & aliorum, qui integram hiſtoriam Romanorum Pontificum ſaltem usque ad Benedictum III vel Nicolaum I Anaſtaſio Bibliothecario acceptam referunt. Quinta *Henſchenii* & *Papebrochii*, qui ex vetuſtis quibusdam Romanorum Pontificum catalogis, quorum ratio in actis Sanctorum Aprilis prolixe recenſetur, vitas illas depromptas arbi-

trantur. Sexta *Petri Lambecii*, qui Tom. 2. Bibliothec. Vind. ſtatuit, primam hiſtoriæ de vitis Romanorum Pontificum originem non tantum S. Damaſo multo antiquiorem eſſe, verum etiam inde a prima Notariorum Romanæ ſedis inſtitutione, quæ per Clementem I. facta ſit, derivandam eſſe. Tunc enim vitas Romanorum Pontificum ſcribi cœpiſſe ait inſtar ſimplicis alicujus catalogi, quo compendioſe indicarentur cujusque nomen, patria, parentes, tempus Pontificatus, ordinationes, conſtitutiones, obitus denique & ſepultura; quibus poſtea, cum eccleſiæ ſplendor & opulentia ſuccrevit, exſtructiones, inſtaurationes, & exornationes templorum, cum ſpeciali recenſione ſacræ ſupellectilis & variarum donationum acceſſerint. Ejusmodi catalogum diverſis temporibus & a diverſis Autoribus compoſitum, ordine tamen & ſtylo ſibi haud diſſimilem, Lambecius in tabulario Baſilicæ Vaticanæ usque ad Pontificatum Damaſi latuiſſe aſſerit, qui ab Hieronymo monitus curaverit, ut acta Romanorum Pontificum ex tabulis Vaticanis deſcripta Roma Hieroſolymam mitterentur. Quantum autem hiſtoriæ illius continuationem poſt mortem Damaſi attinet, eam Lambecius a diverſis Romanæ Eccleſiæ Bibliothecariis, inter quos omnium celeberrimus Anaſtaſius fuerit, compoſitam judicat. Septimo loco exponitur, quid in Henſchenii & Papebrochii ſententia deſideraverit Dn. *Emmanuel Schelſtratenus*, qui inter alia epiſtolam Hieronymi & reſponſionem Damaſi, quæ vitis Pontificum vulgo præfigi ſolent, ſuppoſitas eſſe probat, cujus argumenta tantum apud Papebrochium ejusque ſocios voluerunt, ut quæ de epiſtolis illis in diatriba præliminari ad acta Sanctorum Aprilis ſcripta fuerant, in propylæo ad acta Sanctorum Maji retractare non erubuerint, ubi controverſia illa de catalogis Romanorum Pontificum iterum prolixe ad examen revocatur. Octavo & ultimo loco producitur ſententia *Fioravantis Martinelli*, qui in Roma ſua ex ethnica ſacra p. 409. ſecundæ editionis pluribus argumentis probat, Anaſtaſium non eſſe libri Pontificalis autorem, aſſerens, priorem libri Pontificalis partem Damaſi juſſu conſarcinatam, ſed Amanuenſium inſcitia vel malitiæ paſſim interpolatam, cum Pontificibus Damaſi prædeceſſoribus multa tribuantur, quæ quadringentis demum poſt Damaſum annis conficta ſunt; poſt Damaſi autem tempora neminem præter Petrum Gulielmum Bibliothecarium, & Pandulphum Lateranenſem Oſtiarium, Pontificum rebus geſtis conſignandis operam dediſſe. Varia autem in Martinelli ſen-

ſententia Ciampinus reprehendit. Inter alia obſervatur, quod Martinellus autorem quendam anonymum de Benvoglientis perperam Pii II. coætaneum conſtituat, cùm in ejusdem fragmento, quod a Martinello adductum fuit, Onuphrii Panvinii mentio fiat, qui integro ſeculo Pio II. poſterior fuit. Dixerat inſuper Martinellus, libro Pontificali Damaſi nomen inditum fuiſſe, etſi non ab ipſo Damaſo, ſed a miniſtris Romanæ ſedis compilatus fuerit, ſicut Bullæ ab ipſis Pontificibus, non a Datario compilatore nomen accipiant. Ad hoc reſpondet Ciampinus, quod Datarius Bullas non compilet, ſed Abbreviator de Parco majori, & Præſummator literarum Apoſtolicarum, quæ duo munera ſe jam multis ab annis exercere ſcribit.

Variis his opinionibus recenſitis, ſtylum libri Pontificalis diſcutit, atque hic obſervat, phraſin in vita Lini uſurpatam, quem primum a Petro Pontificem fuiſſe ſcribit, etiam in ſequentibus vitis usque ad Liberium deprehendi, ſola Sylveſtri vita excepta, quam cæteris prolixiorem, inconcinnam & dictionibus quibusdam barbaris conſpurcatam agnoſcit; vitam Liberii & ſequentes usque ad Sylverium ſtudio ſtylo gaudere; a geſtis autem Vigilii, qui Sylverio ſucceſſit, usque ad Martinum, planiorem & apertiorem Stylum animadverti, meliorem & floridiorem in vita Martini & Eugenii; in vita Vitaliani & ſequentibus usque ad Cononem iterum ſimplicem: ut quæ de reliquis Pontificum vitis earumque vario ſtylo notat, ſilentio involvamus. Ad Nicolai I. vitam ubi pervenit, ut eam ab Anaſtaſio ſcriptam probet, eandem cum aliis quibusdam Anaſtaſii monumentis ratione ſtyli comparat. Eligit autem ex Anaſtaſii monumentis non vitam Johannis Eleemoſynarii, cum eam ex Græco idiomate Latine reddiderit; neque præfationem ſynodi octavæ actis præmiſſam, cum ea ad Pontificem directa cultiorem ſolito & nitidiorem ſtylum popoſcerit; ſed duas tantum epiſtolas, quarum ſtylum vitæ Nicolai admodum conformem eſſe, pluribus indiciis oſtendit. Poſtea Nicolai vitam cum Hadriani II. & Stephani VI. vitis conferens, etſi has *Baronius* ab Anaſtaſio concinnatas judicaverit, contrariam tamen ſententiam tueri minime dubitat, cum & ſtyli diverſitas alium Autorem probet, & inſuper in Hadriani II. vita Anaſtaſius non ſemel egregiis laudibus ornetur, quod ab Anaſtaſii humilitate & modeſtia alienum putat. Exiſtimat igitur, Autorem vitæ Hadriani II. non eſſe Anaſtaſium, quod Baronio placuit, nec Petrum Gulielmum Biblio-

bliothecarium, ut Panvinio viſum, ſed Zachariam, qui a Nicolao I. Conſtantinopolin legatus, ſed Romam reverſus, quia Photii partibus addictus fuerat, omnibus muneribus ac dignitatibus exſpoliatus, poſtea tamen ab Hadriano II. in priſtinum gradum reſtitutus, & ab ejusdem ſucceſſore, Johanne IIX. Bibliothecarii munere condecoratus fuit. Hunc inquam Zachariam Hadriani II. vitam literis conſignaſſe Ciampino tanto probabilius videtur, cum illi Pontifici ob dignitatis ſuæ reſtitutionem obſtrictus fuerit. Nec huic ſententiæ obſtare putat, quod in hac vita Zachariæ depoſitio & degradatio narretur, quam ut ſibi ignominioſam prætermiſſurum fuiſſe Zachariam veriſimile videtur. Cum enim degradationis hiſtoriam reſtitutionis narratio ſtatim excipiat, ignominiam illam Zachariæ parum obeſſe putat, utpote renovatis honoribus iterum extinctam. Cauſam vero, cur Anaſtaſius Bibliothecarius Hadriani II. & Stephani VI. vitas non ſcripſerit, hanc eſſe putat Autor noſter, quod ſub Hadriani Pontificatu Conſtantinopolim ad octavam Synodum generalem miſſus, & poſt reditum ſuum, ut acta ſynodi e Græco in Latinum ſermonem converteret, compulſus fuerit, hisque & aliis occupationibus detentus, ad vitam Hadriani aliorumque ipſi ſuccedentium Pontificum vitas poſteritati tradendas animum applicare non potuerit. Quamobrem Ciampinus Nicolaum I. inter Pontifices, quorum vitas Anaſtaſius deſcripſit, ultimum eſſe cenſet. Ad eos autem regrediens, qui ante Nicolaum I. Romanæ ſedi præfuerunt, etiam Gregorii IV, & Sergii II, Leonis IV, & Benedicti III. vitas ad Anaſtaſium autorem pertinere exiſtimat. Reliquas omnes aliis iisque diverſis Autoribus attribuit, quos ut plurimum Pontificibus, quorum vitas deſcripſerunt, coætaneos fuiſſe probat; quod dum facit, obiter obſervat, a *Voſſio* in tractatu de hiſtoricis Latinis, & *Lambecio* lib. 8. Biblioth. Cæſ. Anaſtaſium Cardinalem tituli B. Marcelli cum Anaſtaſio Bibliothecario perperam confundi.

Cæterum cum aliquoties in hac diſputatione epiſtolarum Hieronymi & Damaſi, quæ vulgo vitis Pontificum præmitti ſolent, mentio injecta fuerit, ſintne genuinæ an ſpuriæ, inquirendum putat. Ac quamvis *Schelſtratenus* & quidam alii has epiſtolas Damaſi & Hieronymi nomine indignas cenſeant, Autori tamen noſtro aliud videtur. De Damaſi epiſtola reſpondet, eam brevem eſſe & familiarem, ideoque cum aliis epiſtolis Damaſi altiores & graviores materias tractantibus conferri non debere. Deinde attendendum monet, ſintne epiſtolæ

Pon-

Pontificum propria manuſcriptæ, an alicujus a ſecretis? Ubi digreditur in controverſiam, an Proſper Leoni Magno a ſecretis fuerit, ejusque epiſtolas adverſus Eutychetem conceperit, quod negat, etſi Proſperum Leonis Notarium fuiſſe diffiteri nolit. Verba denique ipſa, quæ alii Damaſo non convenire ſtatuerunt, ad Criticæ ſtateram appendit, & nihil Damaſi ingenio non dignum in iis deprehendi opinatur, & Damaſi epiſtola ſatis defenſa, pari conatu Hieronymi epiſtolam tuendam ſuſcipit. In ultima hujus tractatus ſectione Anaſtaſium ab Heterodoxorum, ut vocat, calumniis vindicat. Ex his aliquos mitius cum Anaſtaſio agere ait, ut *Hermannum Conringium*, qui in tractatu de Electoribus S. R. I. Anaſtaſium maximum dignitatis Pontificiæ aſſertorem vocet; alios durius, ut *Carolum Molinæum*, a quo forte e Catholicis *Petrus Halloixius* deceptus fuerit. Perſtringit quoque *Danielum Francum*, qui in disquiſitione academica de origine prohibendi libros aſſerit, Anaſtaſium Bibliothecarium in præfatione ad vitam S. Johannis Eleemoſynarii fœdiſſima adulatione erga Nicolaum I. uſum fuiſſe; quod Ciampinus negat, hac ratione inductus, quod epitheta ab Anaſtaſio Pontifici tributa, dum eum *DEI vicarium & cœli clavigerum* appellat, *quo ſolvente nemo ligat, ligante nemo ſalvat &c.* jam olim ab Ambroſio, Chryſoſtomo aliisque Patribus Epiſcopo Romano aſſerta fuerint.

Subjicitur huic tractatui *Romanæ Eccleſiæ Bibliothecariorum catalogus*, juxta chronologicum ordinem, cum nonnullis diplomatum datis, ex quibus varia eliciuntur, quæ eccleſiaſticæ hiſtoriæ nonnihil lucis afferunt.

PARERGON AD EXAMEN LIBRI PONTIFICALIS, ſive epiſtola Pii II. ad Carolum VII. ab hæreticis depravata & a Launojana calumnia vindicata, opera & ſtudio JOHANNIS CIAMPINI.

Romæ ex officina Johann. Jacobi Komarek, 1688. in 4to.

Conſtat plag. 6.

IN epiſtola quadam Æneæ Sylvii ſeu Pii II. ad Carolum VII, quæ eſt inter ejus epiſtolas numero 374. juxta editionem Baſileenſem anni 1571, hac verba leguntur: *unum a Te petimus, ut Doctoribus Romanæ*

Eccleſiæ ſemper non credas, ſed multa illorum paſſionibus tribuas. Hoc Pii II. dictum diligenter urget & inculcat *Johannes Launojus* part. 2. epiſtol. 1, 2, & 5. Et quamvis *Vincentius Baro* Ord. Præd. Launojum falſi arguerit, cum Pius II. non ſcripſerit : *Doctoribus Romanæ Eccleſiæ ſemper non credas*, ſed : *detractoribus Eccleſiæ Romanæ ſemper non credas* ; Launojus tamen part. 5. epiſtol. in epiſtola ad Thomam Fortinum cap. 16. priorem lectionem variis argumentis & rationibus defendit, cum & editio, quæ lectionem illam habet, ſit correctior cæteris, & ipſa de qua agitur materia ſenſum hunc expoſcat, & denique incongruus plane ſenſus ſit, ſi legatur : *detractoribus non ſemper credas* ; quaſi aliquando detractoribus fides adhibenda ſit, quibus potius nunquam credendum eſt. Nec improbabile eſſe putat, Pium II. fidem Doctorum Romanæ eccleſiæ ſuſpectam habuiſſe, cum ipſum ſacrum Cardinalium Collegium parvi penderit, quod ex Jacobi Papienſis epiſtola 181. confirmatur. Contra Ciampinus noſter Vincentii Baronis veſtigiis inſiſtens, Pium II. in prædicta epiſtola de detractoribus Romanæ eccleſiæ locutum aſſerit. Opponit editioni Baſileenſi, qua Launojus uſus fuerat, aliam Baſileenſem anni 1551, Noribergenſem 1496, Lugdunenſem 1518, & Mediolanenſem 1496, in quibus *detractoribus*, non *Doctoribus* legatur. Negat editionem anni 1571. cæteris correctiorem eſſe, quæ potius a Lutheranis depravata fuerit. Cum enim Lutherana hæreſis anno 1551. adhuc in cunis vagiret, intemeratam adhuc illius epiſtolæ lectionem manſiſſe ſcribit; cum autem A. 1571. adulta jam & confirmata fuiſſet, tum lectionem illam corruptam & depravatam fuiſſe: quod inde probat, quia inter correctores hujus editionis *Conradu Lycoſthenes* fuerit, quem infenſiſſimum Romanæ eccleſiæ hoſtem extitiſſe dicit. Porro per detractores eccleſiæ Romanæ Pium II. Conſiliarios Regios intelligere exiſtimat, quos etiam in alia quadam epiſtola, quæ eſt 389, & ſub finem hujus tractatus integra a Ciampino exhibetur, ut homines malæ fidei perſtringat. Præterea Pii II. ſenſum non eſſe, ut aliquando detractoribus credatur, ſed ut illis ſemper non credatur. Quod autem Pius dicit : *paſſionibus illorum multa tribuas*, hoc ſic explicat, quod detractores ſubinde vera falſis miſcere conſueverint.

THOMÆ CORNELII, CONSENTINI, PROGYMNASMAta Phyſica. His acceſſere Ejusdem Autoris Opera quædam Poſthuma nunquam antehac edita.

Neapoli. Ex Typographia Jacobi Raillard, 1688. in 8.
Conſtat plagulis 41.

QUemadmodum Autor noſter clariſſimus celeberrimæ Inveſtigantium, Neapoli quæ cœpit, Academiæ membrum a *Leonhardo di Capoa, Parere p. 586.* commemoratur digniſſimum: ita ad normam Academiæ hujus, in rimandis ubique naturæ arcanis, Experientiam unice ac Rationem, cæco Autoritatis idolo poſthabito, eum fuiſſe ſecutum, præſentia Progymnaſmata Phyſica aperte loquuntur. Quorum ſeptem tamen epiſtolis quibusdam ſociata, cum anno ſeculi hujus 65. luci jamdum Venetiis & Francofurti ad Mœnum expoſita minus ignorentur ab eruditis, uberius iisdem recenſendis, etiamſi a pluribus nunc mendis repurgata cernantur, merito ſuperſedemus, nonniſi poſthumis Autoris Operibus, quæ uno de Senſibus Progymnaſmate ac Carminibus nonnullis abſolvuntur, immoraturi. Nempe Progymnaſma quod attinet ſenſibus inveſtigandis dicatum, fragmentum ſaltem deprehenditur, ultimam ab Autore manum nondum expertum, dum hic quinquennio abhinc 67. ætatis annum agens naturæ ipſi debitum perſolvere cogeretur, anteqnam fœtum hunc de genuinis naturæ exploratoribus eniti perfectum valuit. Objecta interim ſenſus noſtros afficientia partim, partim & rationem, qua ſenſus perficitur, in eo deſcribi, advertitur facillime. Illa duplicis generis aſſeruntur, quorum nonnulla corporibus ipſis ceu certi modi inſint a ſenſibus plane diſtincta, v. g. figura, magnitudo, numerus, ſitus, motus aut quies, nec non ex his reſultantes qualitates aliæ, uti denſitas & raritas, aſperitas & lævor &c. alia vero, e. g colores, ſapores, odores, ſoni, itemque calor & frigus, dolor & voluptas, rebus ſenſibilibus haud inexiſtant, ſed vim potius ortumque a ſenſibus nanciſcantur, adeoque ad ſentientem potius hominem, quam ad rem ipſam ſenſibilem referri mereantur. In ſpecie autem prolixius in tactiles inquiritur qualitates, initio a primis vulgo nuncupatis qualitatibus, calore, frigore, humiditate & ſiccitate facto. Caloris ortus & cauſæ quo aliquanto ſubtilius indagentur, primo indivídu-

viduarum materiæ particularum alias perenni agitari motu, ignis vel ætheris nomine inſigniendas; alias vero ſua vi quieſcentes, non niſi aliunde ad motum, idque continuo, concitari innuitur. Hic aeri non minus ac aliis corporibus vis vindicatur elaſtica, v. g. fructibus cucumeris ſylveſtris & momordicæ, cumprimis trifolii acetoſi ſemini folliculis in metæ formam quodammodo effiguratis incluſo, utpote cujus maturi alba membranula ſponte pericarpii corticem disrumpat, & adnexum ſeminis granulum ad trium vel quatuor pedum diſtantiam mirabili celeritate provehat. Quæ elaſtica trifolii acetoſi ſive alleluja virtus etiamſi a *Matthiolo*, Autore conquerente, neglecta fuerit, apud *Andream Cæſalpinum* nihilominus *Tr. de Plantis, Florentiæ 1583.* jam dum edito, *Lib. 15. Cap. 2.* legitur annotata. Nec liquores omnes elatere deſtitui, exemplo ſpiritus ſalis ammoniaci rectificatiſſimi, ac muſti, ope certi ſeminis per integrum ſæpius annum aſſervati, ad aeris externi contactum mire agitatorum & efferveſcentium oſtenditur. Tum calor denique, cujus ut & frigoris exigua diſcrimina ſubtilius longe labris linguæque apice, quam manibus digitisque diſcernantur, affectio ſaltem quædam ſive paſſio in ſentiente animali ab appulſu rei, quæ calida dicitur, traditur excitata, in quantum ſpiritus papillarum cutis a particulis ſeſe moventibus tam ignis, quam aliorum corporum, calidorum nomine improprie venientium, excitentur ac moveantur, & quidem vel blande cum voluptatis ſenſu, vel violenter cum dolore inſequente; manifeſto argumento, nec tactum æquum caloris judicem ob ſpiritus tangendique organa mutabilia exiſtere, nec alia ratione voluptatem doloremque in nobis ab igne creari ac calorem, conſequenter calorem, æque ac voluptatem & dolorem, non tam igni, quam nobis ineſſe. Frigoris e diverſo ſenſus ex ſpirituum tangendis organis inſervientium corpore ſive retardato derivatur motu; ſive namque aqua fervida gelidæ, ſive gelida ferventi ſuperaddatur aquæ, utrobique temperationem tantum quandam ſive teporem induci, non tanquam qualitatem frigoris & caloris æque participem, ſed potius ut caloris quandam remiſſionem concipiendum. Calorem videlicet deficere, quatenus particulæ calidorum mobiles vel motum aliis obviis communicent, vel cum aliis fixis & immobilibus ita implicentur, ut inde ſe extricare minus valentes quieſcere invitæ cogantur; hinc ſalia, v. g. ſal ammoniacum, nitrum, &c. in aqua ſoluta, non niſi irretiendo & ſiſtendo caloris ſemina, apparere frigida. Sed digreſ-

digreſſione ad Nitri facta naturam ejusque genera diverſa, peculiare hiſce quoddam an numeratur in quodam Brutiorum agro, hyeme præſertim Aquiloniæ ex aquis perenni rivo decurrentibus ſubſalſis ac ſubamaris ſponte concreſcens, ceu quod glaciem mira ſimilitudine, & inſignis nitoris pellucentis, & vehementiſſime linguam refrigerandi potentiæ intuitu referens, perenne dicatur, neque tempore, neque igne abſumendum. Quotiescunque enim contentus in eo humor abſumatur, in tenuiſſimum & ſumme candicantem verti pollinem, humeſcendo iterum in glaciale nitrum concreſcentem: quoties vero violento exponatur igni, nonniſi in pulverem ab hoc reſolvi, qui mox humectatus in nitrum reviviſcat. Qua proprietate conſiderata, calci hoc nitrum accenſendum eſſe indigitatur, pariter ac illud, quod madentes ſæpiſſime parietes incruſtare deprehenditur, iisdem quoque cum illo viribus gaudens. Attamen frigoris & caloris natura hactenus deſcripta ut porro illuſtretur, non ſolum ratio, qua vinum & aqua æſtu urgente flamine quadantenus refrigerari poſſint, ab aere ſic condenſato motum igneorum corpuſculorum in aqua vel vino latitantium infringente deſumitur, ſed & diſquiſitio circa ignem ſubterraneum tum lucidum, tum non lucidum inſtituitur. Ignem ſcilicet lucidum nuſpiam in terræ cavernis delitеſcere, niſi ſpiracula pateſcant, per quæ aer influat, ac fumus aut flamma interdum erumpat, ex ipſa ignis declaratur eſſentia, exemplisque inſularum Æoliarum, Ætnæ ac Veſuvii montium corroboratur; ubi præter cætera ſulphur & bitumineæ quædam maſſæ commodam igni alendo materiam ſubminiſtrent, ſaliformibus concretionibus plurimis, v. g. ſale ammoniaco ex Ætna, Veſuvio & collibus Leucogæis ubertim proveniente, factitio ſali ammoniaco prorſus ſimili, productorum ad inſtar ignis ejusmodi ſubterranei ſeſe habentibus. Imprimis peculiari quæ obſervatione Autor in Veſuvio notavit, hic ample recenſentur, fonticuli videlicet complures in montis hujus jugo & in clivo Naphtæ quandam ſpeciem ſive Petroleum per occultos meatus ad proximum mare inſigni quandoque copia delabi ſolitum deſtillantes, vis nonnullibi ſaxifica corpora nonnulla in lapides vertens, ingentes aquarum ferventium torrentes, quibus Veſuvius ante annos duos ſupra quinquaginta exundaſſe fertur, innumerabilis denique ab igne ex ipſius montis voraginibus affatim

eructatorum varietas; quæ inter frequentiſſimi occurrant cineres ac arenæ, collucentem auri & argenti ſcobem, item plurima ferri ramenta magnetis adjumento a reliquis facile ſeparabilia, nonnunquam oſtendentes, rariores vero obſerventur igniti lapides flammanteſque glebæ, præter ingentes tetri cineris & favillarum turbines cum inſigni tonitruum fragore ejecti, in ſuperficie terræ diutius ardentes gravemque interea odorem ſpirantes, indicio haud obſcuro, petroleum ex hoc ſaxorum emanare genere. Quin & ſaxa liquefacta ſemel atque iterum a Veſuvio evibrata large fuiſſe, lapidicinis molaris ſilicis per circumjectam radicibus montis planitiem continenter extentis comprobatur, ceu quod lapidis genus nihil prorſus a ſaxo toties ab Ætna eructato diſcrepet. Ignis autem non lucidus ſive calor ſubterraneus non modo in penitioribus quibusdam terræ fodinis metallorum foſſoribus perquam moleſtus, ſed & in ipſo ſæpius telluris cortice ſenſibilis, v. g. in Puteolano agro, Bajano littore &c. compluribus foſſitiæ calcis generibus ac glebis exuſtis, nec non ſuccis concreſcentibus, ſingulis cum humido accedente quovis prompte efferveſcentibus, adjudicatur, cum loca hæc aliquando manifeſtis ignibus exarſiſſe conſtet. Neque porro quicquam obeſſe indicatur, ſi abditus ille ignis ſive calor, in intimis terræ regionibus exæſtuans, fervidas expirationes per ductus intra terram hiantes ad ſuperficiem hujus exhalare affirmetur, eo quod alibi magna cremandi vis halitibus ferventibus ab Auctore fuerit adſcripta. In propatulo hinc eſſe cauſam, cur in ejusmodi locis paſſim erumpant thermæ, quales apud Neapolitanos celebrantur Bajarum, item quæ Pithecuſis atque Puteolis ſpectantur. Ipſas vero thermas Neapolitanas, quarum Strabo mentionem fecit, locusque verus Scriptores hactenus latuit, nusquam alibi fuiſſe, quam in Luculliano colle, Hechia vel Pizzo falcone vulgo nuncupato, Autor haud temere conjicit, poſtquam ferventis ibi aquæ ſcatebram, cum puteus aliquando effoderetur, obſervavit erumpentum, ejusque vires accurato examine exploratas easdem omnino cum thermis Pithecuſanis *Gurgitelli*, ac Puteolanis *Subveni homini* appellatis deprehendit. Collis ſiquidem Lucullianus multis nominibus deprædicatur memorabilis; in eo quippe orientem verſus ſcrobes puteosque eſſe lethiferam exhalantes mephitim; mare, qua collis radicem alluit, nigram ſed fulgentem proferre arenam ex incendiis

enatam,

enatam, adeoque Lucullianum aliquando exarſiſſe atteſtantem, inſtar ferri promptiſſime ad Magnetem occurrentem, non tamen, ſicuti ferrum, rubiginem contrahentem aut ſolventibus aquæ fortis viribus cedentem, quamvis maſſa ejus, quæ in vehementiſſimo fornacis vitrariorum igne concrevit, valde quidem ponderoſa, ſed minus compacta, a ſpiritu nitri facile exedi potuerit, idemque acide liquoris inſtillatione rubiginem prodiderit, ſimulque aquam per eam filtratam ferrugineo odore ac ſapore ita infecerit, ut ſimilis penitus evaſerit aquæ illi, quæ circa Luculliani radicem pluribus e locis conſpicitur erumpere. Item in una ejusdem Luculliani collis parte, qua orientem & meridiem ſpectat, plurimos ſcatere perennis aquæ rivulos in proximum mare defluentes, quorum alii aquam profundant puram, alii aquas medicatas ſuppeditent, easque vel acidulas & quidem plerumque, ferreum virus exhalantes, vel bitumineum ſpirantes odorem, vel denique ſubdulcem quendam ac prope nauſeoſum ſaporem ob conchas minutas eroſas exhibentes. Sequuntur humiditas & ſiccitas, cum fluiditate & ſoliditate haud confundendæ, quarum illa mollitiem quandam ſive laxitatem in cute gignens potiſſimum ad aquam refertur, ita ut reliqua corpora, v. g. aer & ſucci complures, non humida videantur, niſi in quantum ab aqua participent; hæc vero ſive ſiccitas defunctum ſaltem aquæ denotet, quatenus omnia, quæ humore ſeu aqua deſtituuntur, ſicca pronunciantur. Adeoque qualitatem primarum contrarietates ab Ariſtotele introductas nugatorias omnino eſſe, quoniam frigus & ſiccitas defectum ſolum ſive privationem caloris humorisve dicant, nullam cauſæ rationem habentes. Quemadmodum vero qualitates primæ affectiones ſaltem tactus exiſtunt, ita reliquæ qualitates tactiles, a primis haud oriundæ, v. g. aſperitas & lævitas, durities & mollities, gravitas & levitas, denſitas & raritas, craſſities & tenuitas, ut corporum modi ſive habitudines, ad Recentiorum mentem ulterius explanantur, ſimulque quomodo primi generis ſenſibilia, v. g. figura, magnitudo, motus & ſitus, tactum afficiant, demonſtratur. Tandem ut explicetur, qua ratione impulſiones a rebus ſenſibilibus in organis ſentiendi excitatæ percipiantur, præclarum illud Epicharmi, apud Ciceronem, mentem videre, mentem audire &c. approbatur effatum, & quidem in cerebro, cum apoplexia, catalepſi ſimilibusque cerebri

affectibus ſentiendi plerumque vis adimatur; ineſſe nihilominus in animalibus & forſan etiam ſtirpibus alios quosdam ſenſus a cerebro haud dependentes, pluribus dilucidatur inſtantiis. Subjecta carmina vero, Elegiæ pariter atque Epigrammata, ab Autore quondam juvene perhibentur conſcripta, ſerioque poſtmodum ab eodem ita ſpreta, ut Heinſio illorum expoſcenti exemplar, Amſtelodamenſibus excudendum typis, conſtantiſſime denegarit, ab Autoris tamen patruele Carolo Cornelio, quo amicorum petitis ſatisfaceret, hic exhibentur.

OBSERVATIONES EXCERPTÆ EX PRÆLECTIONIbus publicis privatisque Collegiis Viri Clariſſ. Theodori Craanen &c. quibus emendatur & illuſtratur V. Inſtitut. liber Dan. Sennerti de auxiliorum materia, auctore P. V. D. Med. D.

Lugduni Batavorum apud Jacobum Mouque 1687. in 12.

Conſtant plagulis 12.

Tanto quidam deſiderio doctrinam celeberrimi Craanii proſequebantur, ut poſt ejus e Belgio diſceſſum, quæcunque de eo haberi poterant, conquirerent & typis committerent. Adeoque plura hactenus, ſed invito utplurimum auctore dum viveret, in lucem prodierunt ſcripta. Simili inſtituto, quod cum applauſu olim excepiſſent auditores ejus in Sennerti libr. V. Inſtitut. Med. notas & animadverſiones, Medicus ſub literis P. V. D. nomen ſuum tegens, dignas eas judicavit, quæ publici juris fierent. Notandum tamen, non prout titulus loquitur, integrum librum V, ſed ex illo partis primæ ſectionem tantum primam, quæ agit de medicamentis, Commentario illuſtrari. Quare verba Sennerti non ubique omnia, ſed compendioſis recenſentur, & quæ Craanius circa illa moneri voluit, adjiciuntur. Negotium vero hoc in ſe ideo ſuſcepiſſe videtur Craanius, ut quæ a Sennerto ſecundum doctrinam Peripateticorum explicantur medicamentorum qualitates, ipſe ſecundum principia Carteſii, quibus patrocinatur, delinearet. Idcirco ætiologiam præcipue in æthere, ſeu materia ſubtiliſſima a diverſitate pororum diverſe modificata

poſuit

poſuit. E. gr. venena hinc duplicia vocat, alia maxime corroſiva ; alia vero ætherem nobis admodum peregrinum foventia , qui ſi ætheri noſtri ſanguinis prævaleat, mortem neceſſario inducit. Ut vero, cum methodo olim recepta medicamenta ſecundum effectus dividuntur, quædam pluribus in locis iterari oportet , ſicut v. gr. abſinthium tum inter calida reponitur , tum inter ſicca , ſtomachica , hepatica , nephritica , aperientia &c. repetitur : ita ille rem foro medico utiliorem ſe præſtiturum ratus, differentias illorum a particulis conſtitutivis derivat. Itaque medicamenta dividit *primo* ratione magnitudinis in craſſa ſive terreſtria, & ſubtilia ſine acredine. Illuc incraſſantia, adſtringentium quædam, retundentia, abſorbentia &c. huc vero cephalica , ophthalmica , thoracica , cardiaca, ſtomachica &c. refert. *Secunda* ratione figuræ quædam componi ait particulis ſcindentibus, e. gr. acida, tam non corroſiva , quæ pituitam , bilem , melancholiam præparent & digerant , cardiaca , hepatica &c. ſint ; quam auſtera , quæ ſanguinem coagulent, & exſiccantia , refrigerantia , adſtringentia &c. dicantur. Quædam particulis pungentibus conſtruuntur , partim corroſivis, partim non corroſivis. His vim, ſi tenuia fuerint , reſolvendi , calefaciendi , attenuandi & digerendi : illis vim rubefaciendi, veſicas excitandi , exedendi, vomitum ciendi &c. tribuit. Quædam particulis ſcabris conſtant, quæ viſcida divellere poſſint, v. gr. corallia, lap. limat. martis, ſolis &c. Quædam ex ramoſis coagmentantur, e. gr. emollientia , laxantia. *Tertio* ratione flexilitatis eadem ut mollia, adeoque tanquam bechica , maturantia, glutinantia ; *quarto* ratione rigiditatis eadem ut dura, v. gr. cortices, ligna , mineralia , mettallica &c. conſiderat. *Quinto* cohæſionem attendere jubet. Cum enim omnia e minoribus particulis componantur, hoc vero fieri non poſſit, quin interſtitia ſeu pori relinquantur, ætheris eos transfluentis cum noſtri ſanguinis æthere convenientiam & harmoniam obſervandam eſſe : quæ enim reſpondent , cardiaca & refocillantia appellari ; quæ contrariantur , venenorum cohorti adſcribi. Et hæc ſunt, quæ ad caput tertium imprimis commentatur, & ſub finem prolixius expoſuit. Ad reliqua capita hæc ſpeciatim applicata aut cum Sennerto conſpirare, aut ab eo recedere , & cur hoc fiat , oſtenditur. Capite XVII. calculi generationem ſpiritui cuidam gorgonico ſeu lapidifico attribuit, qualem in lapidum formatione

Boylius agnoſcat. Indices tres tandem adjecit, quorum primus capita; ſecundus medicamenta ſimplicia, quæ recenſentur; tertius eadem in claſſes ſecundum Craanium diſtributa, ſimulque ubi in Sennerto reperiantur, exhibet.

PYROTECHNIA: OFTE VUUR-STOOK-KUNDE vaſtgeſtelden opgehelderd &c.

i. e.

Georgii Starckey, Philoſophi per ignem, Pyrotechnia aſſerta & illuſtrata, ad Dn. R. Boyle. Ex Anglico in Belgicum idioma convertit J. van de Velde.

Amſtelodami apud Jacob. van de Velde A. 1687.

QUum in Chemia corporum reſolutio quæratur maxime, & ipſa tamen menſtruorum apparatu multiplici abſolvatur; non injuria ſolliciti fuere Chemici de fluido quodam omnia corpora recludente inveniendo. Cujus poſſeſſorem cum ſe profeſſus fuiſſet Paracelſus (qui ipſi Alcaheſti nomen indidit) & poſt ipſum Helmontius; ſedulo equidem illorum excuſſere ſcripta Chemiæ ſtudioſi, ſed forſan pauci eo cum ſucceſſu, quem ſibi vendicat Dominus Starckey, qui Deum teſtatur, laboribus indefeſſis eo ſe tandem deveniſſe, ut non incomperta nec dubia, ſed certa ac probata proferre & poſſit & velit in Pyrotechnia ſua, in qua claves, quibus omnia concreta reſerentur, Philochemicis offerre vult videri. Opuſculum enim in duas partes diviſum cernitur, quarum prima circa Alcaheſtum maxime occupatur, ſecunda vero circa volatiliſationem alcalium fixorum, quæ duo pro ſummis ſolventibus habet cum doctore ſuo Helmontio. Nonnulla ergo de Chemia ſeu Pyrotechnia, ejusque genuinis & adulterinis filiis, præfatus, ad menſtrua, quæ ad verarum medicinarum, per ſolam diaphæreſin & diureſin agentium, præparationem requiruntur, progreditur, atque inter ea Alcaheſt potiſſimum deprædicat, multusque eſt in ejus virtutibus recenſendis; quod nimirum ita aperiat metalla, ut ſpiritus vini ſtatim tincturis illorum imbuatur, ipſa vero digeſtioni expoſita in Mercurium currentem abeant: quod uniones in lac quoddam, gemmas vero aliosque lapides in ſalia redigat &c. Deinde

inde ad materiam ejus accedit, ita tamen, ut potius quid non ſit, quam quid ea ſit, explicet. Prolixe enim poſtquam confutavit illos, qui Alcaheſtum cum Mercurio philoſophorum confundunt, omnia quidem metalla aliaque corpora acidum liquorem in deſtillatione fundentia, imo ipſa alcalia, ab ejus præparatione rejicit; ſed tamen ipſe tandem nihil affert aliud, niſi illuſtrationem verborum Helmontii: *Ars indagando ſollicita eſt corpori &c.* quæ & ipſa nova luce indigere vel maxime videtur. Conſulto enim tenebras lectori offundit, cum in ea verſetur ſententia, plus quam ſpeciali Dei gratia opus eſſe ad Alcaheſti cognitionem acquirendam. Cum ergo rei hujus obſcuritas conjuncta ſit cum difficultate inſigni, quæ etiam Adeptis faceſſit negotium, hinc Chemiæ tyrones dehortatur ab ejusdem inquiſitione, denuoque de vero Chemiæ ſtudioſo quædam in medium proferens, partem primam claudit.

Partis ſecundæ initio nonnulla de Auctoris indefeſſo ſtudio, quod in Chemia poſuit, narrantur; mox vero ad ſuccedaneum Alcaheſti, nimirum Alcali volatiliſatum, tranſitus fit, ejusque virtutes in conſpectum producuntur. Licet enim aurum, argentum & mercurium non ſolvat perinde ut Alcaheſt, ejus tamen opera dulcia metallorum ſulphura, ſi fides habenda Auctori, acquiri poſſunt, & vegetabilia, maxime quantumvis inimica naturæ humanæ, ita ab ipſo ſubiguntur, ut in egregia medicamina evadant. Volatiliſatio vero Alcalium fixorum, juxta Auctorem noſtrum, fit ratione duplici: vel per *Alcooliſationem*, vel per *Elixirationem*, ita ut illa abſolvatur ope ſpirituum acidorum, urinoſorum & vinoſorum, atque hinc emergat Arcanum Ponticitatis, Microcoſmi & Samech; hæc autem ope oleorum eſſentialium. Volatiliſationem per ſpiritus acidos paucis attingit Auctor, neque multum ei tribuit, ſi reliquos ſpectes modos, de quibus in *Triumpho Pyrotechniæ* ſe acturum pollicetur; qui tamen an cum libris de *Myſteriis Alcalium & methodo curandi morbos*, qui itidem ab Auctore citantur, lucem viderit, nobis haud eſt compertum. Elixirationem inculcat verbis pluribus p. 153. ſed quæ Oedipo opus habens, & Oleum Terebinthinæ ad hunc ſcopum maxime commendat. Poſtea de uſu ejus diſſerit magnifice; & quantum conducat ad nobiliſſimorum medicamentorum præparationem, v. g. Eſſentiæ membrorum & Vini vitæ Paracelſi, Entis Veneris, Elixir proprietatis &c.

pluri-

pluribus exponit, partim in ultimo ſecundæ partis membro, partim in epiſtola ad amicum, quam opuſculo toti ſubnexuit.

DIFESA DEL PONTIFICATO ROMANO E della Chieſa Romana.

i. e.

Defenſio Pontificatus Romani Romanæque Eccleſiæ: qua demonſtrantur ſuprematus, infallibilitas, ſanctitas aliæque dotes ſublimes Apoſtolici Principatus, refutantur hæreſes modernæ univerſæ, detegitur impietas ſchiſmatum Orientalis atque Anglicani, erroris denique indirecte convincuntur omnes ſectæ Religioni Catholicæ contrariæ. Opus P. NICOLAI MARIÆ PALLAVICINI, Soc. Jeſu.

Romæ, impenſis Nicolai Angeli Tinaſſii, 1687. Tomi III. in Folio.

Conſtat plag. 646.

CUm tot tantisque voluminibus Latine exaratis ſuprematum atque infallibilitatem Romanæ Sede adſerere ſategerint Jeſuitæ non uni; Italico idiomate idem præſtare aggreſſus eſt ejusdem ordinis Sacerdos *Nicolaus Maria Pallavicinus*; non eo tantum fine, ut hæreticos, quos putat, in Romanæ eccleſiæ gremium revocaret, ſed & ut ei hactenus addictos de fidei ſuæ veritate eo magis perſuaſos redderet.

Stylo uſus eſt eleganti ac floſculis rhetoricis, hiſtoriis ſententiisque refertiſſimo. Diſpeſcuit autem opus ſuum in *ſex* omnino *partes*: quarum *prima* ſedis Romanæ primatum; *altera* impietatem ſchiſmatis Orientalis; *tertia* modernarum hæreſeon (quas vocat) errores; *quarta* iniquitatem Anglicani ſchiſmatis; *quinta* eccleſiæ hodiernæ Romano-Catholicæ & primitivæ Chriſtianæ identitatem (ex convenientia rerum a Miſſionariis Romanis in novo Orbe geſtarum, cum rebus Apoſtolorum in veteri Orbe colligendam) demonſtrare anniſus eſt. *Sexta* vero *pars* epilogum tantum complectitur. Ex his prima & ſecunda *Tomum primum*, tertia *Tomum ſecundum*, reliquæ *tertium* conſtituunt.

Molem

Molem hanc ingentem, magnifice ſtructam & aſpectu quam maxime jucundam fundamentis toties a Noſtratibus conquaſſatis, quin funditus everſis niti, oppido dolemus. Ingenue enim fatetur Pallavicinus ipſemet, nihil ſe novi e *Scriptura ſacra*, *Patrum* ſcriptis, actis *Conciliorum*, *hiſtoriæ* denique *eccleſiaſticæ* monumentis proferre potuiſſe, quod non *Robertus Bellarminus*, *Cæſar Baronius*, *Jacobus Perronius*, *Nicolaus Sanderus*, *Johannes Eccius*, *Franciſcus Suarius*, *Thomas Stapletonus* pro cauſſa ſua dudum urſerint. *Nova* ſe tamen *ratiocinia* ac *poriſmata* ex *dictis* illis *factisque* vulgatiſſimis elicuiſſe monet, adeoque *novi operis* titulum *Defenſioni* huic ſuæ jure meritoque deberi, nullus dubitat.

At, ſi *dicta* iſta ac *facta* aut mala fide ab illis controverſiarum ſcriptoribus, (quos, non inſpectis ipſis Patrum ac veterum hiſtoricorum operibus, cæcis plane veſtigiis ſequi ſeſe, *Pallavicinus* non diffitetur,) adducta, ac in alienum ſenſum detorta, aut ex authoribus pſeudonymis, hæreticis, nullave fide dignis petita eſſe demonſtraverit aliquis; (id quod a quamplurimis Proteſtantium feliciter præſtitum eſſe plus ſimplici vice, eruditos haudquaquam fugiet, & ſi opus fuerit, impoſterum quoque præſtabitur:) tunc ſane *nova* illa *ratiocinia* mole ſua ruere, neceſſe erit omnino.

Rem illuſtrare juvat exemplo unico: Calumniam beato Luthero ab hoſtibus impactam, de intima illius atque Cacodæmonis familiaritate, *Pallavicinus* T. II. P. III. L. VII. C. X. tanquam e tripode profectam ac exceptione omni majorem aſſumit, indeque novam novorum ratiociniorum materiem nanciſcitur. Sed mirari profecto ſubit, aſſ[illegible]iis toties exploſis fidem adhuc haberi, quas poſt alios ſingulari ſtudio confutavit Illuſtris SECKENDORFIUS noſter, *diſſertatione hiſtorica & apologetica pro doctrina D. Lutheri de Miſſa*, ad *Acta Eruditorum* relata anno 1686. p. 606.—610. Diruto igitur ruinoſo hoc fundamento, poriſmata illinc deducta non poterunt non vana eſſe atque nullius momenti.

Cum ergo præſens Autor tantum non ubivis elegantiæ ac eloquentiæ magis, quam ἀκριβείας hiſtoricæ ſtudioſus fuerit, cordatioribus forſan lectoribus æque facile videbitur, *Pallavicinum enervatum*, ac Ameſio *Bellarminum enervatum*, in Chriſtiani orbis ſcenam producere.

ANNOTATIONS UPON THE HOLY BIBLE.

i. e.

Annotationes in Biblia ſacra, quibus Textus Biblicus inſeritur, variæ lectiones dictaque parallela in margine anectuntur, difficiliora ſingulorum verſuum vocabula explanantur, dicta ἐναντιοφανῆ conciliantur, quæſtiones & dubia ſolvuntur, ſenſus denique textus univerſi aperitur.

Volumen I. autore *Matthæo Polo*; plagul. 301.
Volumen II. poſt illius fata adjectum; plagul. 307.

Londini, impenſis Thomæ Backhurſt, Dormanni, Newman, Jonathanis Robinſon, Brabazonis Ailmer, Tho. Cockerill & Benj. Alſop. 1688. in folio.

OPtimo jure ſibi gratulantur Angli ſeculi præſentis felicitatem, qua Bibliorum ſacrorum vernacula eaque accurata verſione uti ipſis integrum eſt. Equidem ſeptimo jam a N. Chr. ſeculo partem, paulo poſt (Venerabilis *Bedæ* ſtudio) *totum* Bibliorum *codicem* in Anglo-Saxonicam linguam tralatum fuiſſe conſtat. At pauciſſimis laicorum felicibus adeo eſſe licuit, ut copia illius verſionis eis ſuppeteret. *Wickleſus* igitur, qui A. C. 1384, diem ſuum obiit, vernaculam novam compoſuit, quam & avidiſſime ſub jugo papali gementes lectitarunt ad annum usque 1414, quo cum cæteris Viri operibus, Conſtantienſis Conciliabuli autoritate, ad rogum damnata fuit. Nec mitiori fato vertente tempore uſi ſunt Britanni, antequam *Tindallus* a. 1527. ob religionem in Germaniam profugus, *Pentateuchum Moſaicam & Novi Teſtamenti libros* Anglice reddere aggreſſus eſſet. Ut autem huic, (quod putabat,) malo medelam adhiberet opportune Londinenſis Epiſcopus, Romanenſium dogmatum tenaciſſimus, omnia operis exempla ære non parvo, *Packingtoni* mercatoris miniſterio uſus, a *Tindallo* emit, ac hac ratione univerſi orbis oculis ſubducere anniſus fuit. Sed dum Bibliorum partem Epiſcopus plebi invidet, Tindallus lucro e divendita illa editione vitam tolerans, *Coverdalium* συνεργὸν nactus, totum ſcriptorum θεοπνεύςων ſyſtema Anglica civitate

tate donat; mox tamen Villefortii in Flandris, *quod Bibliorum partem vernacule reddidiſſet*, (ut eſt apud *Rich. Bakerum* Chron. p. 282.) martyrii coronam reportavit. Prodiit tandem verſio illa, ſed ſub ficto *Thomæ Matthæi* nomine, *Apocrypha* adjiciente *Johanne Rogerio. Th. Cromwellus Cranmerus*que *Henrico VIII.* Regi offerunt, ac facultatem legendi eam ſubditis regiis impetrant.

Novam dein editionem, *Heinrici* indultu, *Cromwelli* auſpiciis, *Graftonus* & *Whitchurchius* Pariſiis adornarunt. Verum eum ad umbilicum pene perducta eſſet, neſcio cujus artibus, ſed regio juſſu, univerſa exempla combuſta ſunt, exceptis tamen non paucis, quæ executioni illi præfactus, argenti paulo cupidior, pileoni cuidam vendidit, quæque *Londinum* miſſa, typis illic iterum exſcripta ſunt. Paulo autem poſt, cum Cromwellus capite fuiſſet plexus, typographus in vincula conjectus, ac ne verſio in bibliopoliis venum exponeretur, publico Regis interdicto cautum fuit. Poſtmodum Eduardus VI. editionem *Tindalli* & *Coverdalii* in Eccleſiæ Anglicanæ cultu publico retinendam eſſe, A. 1551. 1552. ſancivit; unde & hodienum in *Liturgia* ſua, *pſalmis* pericopisque *Evangelicis* & *Epiſtolicis* verſione illa antiquiore Angli utuntur, licet alias editionem recentiorem & publici & privatim legant. Anno 1577. *Elizabetha* imperante, Epiſcopi quidam novam adornarunt, cumque nec hæc *Jacobo I.* ſeſe approbaret, illius ſumtibus *omnium recentiſſima* condita fuit. Ac hæc ipſa præſenti *Poli* operi inſeritur. Ut vero vernacula verſio majori commodo eſſet lectoribus Anglis, exules quidam reformati, *Maria* rerum Anglicarum ſummam obtinente, Genevæ concinnarunt Notas in eam vernaculas A. 1560. In uſum dein Eccleſiæ Anglicanæ traduci cœpere Paraphraſis N. T. Deſ. *Eraſmi* Roterodami, itemque *Deodati* notæ Italicæ, æque ac *Belgarum* vernaculæ in Anglicum idioma converſæ. Anno tandem 1640. notæ recentiori verſioni *Jacobææ* convenientiores, nimium tamen ſuccinctæ, unico volumine prodierunt, quæ altera dein editione in tantum excreverunt, ut in volumina duo diſpeſcendæ eſſent. Quanquam vero tot notarum Anglicarum genera in Biblia extare probe noſſet *Matthæus Polus*, Vir *Synopſi Criticorum* de Chriſtiano Orbe optime meritus, novas tamen ex *Synopſi* ſua ſelegit, ac in opus hoc bipertitum magno cum judicio digeſſit. Equidem Tomum tantum *primum*, qui in *Eſaia* deſi-

nit, abſolvere per fata ipſi licuit. Non defuere tamen cordati viri alii, qui notas eodem filo in cæteros Codicis ſacri libros pertexerent.

Deſiderarunt non uni in *Synopſi* illa, ſententias Interpretum maxime ſibi invicem adverſas hiſtorice tantum recenſeri, nulla *Collectoris* ἐπικρίσει adjecta; qua de re nonnulla diximus in *Actis Erudit.* A. 1683. p. 135. Plane aliam viam inſtiterunt in hoc Opere *M. Polus* huicque ſuccenturiati *Viri doctiſſimi*, civium tantum ſuorum ac cumprimis illiteratorum rationem habentes. Non enim quid aliis, ſed quid ſibi de ſingulis verſibus videatur, plane ac perſpicue exponunt, eundem fere in modum, quo *Oſiander* Biblia Germanica notis ſuis ad ſingulos verſus inſtruxit. Audiamus ipſosmet: Intentio noſtra (inquiunt) non fuit Patrum interpretamenta congerere, (quod ab *Aquinate*, *Juſtiniano* aliisque factum eſt,) nec recenſere *ſubtilitates Grammaticas*, aut virorum doctorum criticas de vocibus phraſibusque obſervationes, (id enim *Synopſis Criticorum* præſtitit) aut *poriſmata veritatis* ex verſibus fluentia (quale quid in non unis Scripturæ libris utiliter fecere *Dickſonus*, *Hutchinſonus*, *Ferguſſonus*, *Guildius*, *Durhamus*,) multo minus *controverſias* ex aliquo Scripturæ loco enatas. In id unum intenti fuimus, ut planum proponeremus Scripturæ ſenſum, ac ἐναντιοφανῆ conciliaremus; quatenus ſcilicet potuimus explicare *Scripturam* per *Scripturam*, optimum ſui interpretem.

Cætera, quæ de methodo operis hujus Biblici obſervare poſſemus, ex ipſo ejus *titulo*, ſuperius exſcripto, facilius petentur.

Kurtze Einleitung die Geſchichte unſers HErrn JEſu CHriſti ꝛc. zu betrachten.

i. e.

Synoptica Introductio in Hiſtoriam JEſu Chriſti & Apoſtolorum, & nexum Prophetiæ N. T. juxta temporum feriem e IV. Evangeliſtis, Actis Apoſtolorum & Apocalypſi Johannæa conſiderandum, auctore Caſparo Hermanno Sandhagen.

Lunæburgi apud Jo. Stern, 1688. in 8.

Conſtat plagulis 16.

HIc nimirum ſcopus eſt, quem præmiſſus quoque titulus innuit, ſiſtere actorum Salvatoris Apoſtolorumque ordinem, ut & vaticinio-

ticiniorum N. T. quæ in Apocalypſi ſua divinus epopta conſignavit, convenientiam & complementa ſecundum temporum ſeriem delineare. Quanquam enim nemo fere hactenus, Autoris quidem no- pag. 3.
ſtri judicio, (præter Andream Oſiandrum, Carolumque Molinæum, quibus ſuum facile aſſenſum & Chemnitius præbuiſſet, niſi hiſtoriam iiſdem pene circumſtantiis deſcriptam bis aut ter, ſi ea quidem teneatur ſententia, contigiſſe, ſtatuendum prævidiſſet,) eam defendere hypotheſin auſus ſit, quæ ſacros Novi Fœderis ſcriptores accuratam temporum ſeriem obſervaſſe, nec quicquam extra illam conſignaſſe aſſerit: ſperare tamen ſe ait, Calovio etiam laudatam opinio- 4.
nem, & in ſuo hoc præſenti opuſculo probandam, aliis æque probatum iri.

De cætero, utut fruſtra methodi hujusce, quippe *naturalis* 5.
prorſus atque inſitæ, rationes quæri dicat, exempla tamen larga manu in *Præfatione* proponit, quibus eam confirmari roborarique exiſtimat. Et primum quidem ad *Johannem* provocat, qui in Evang. c. I, 19, 29. II, 1, 12. dies etiam ſingulos juſto ordine enumeret, id quod adhibitas temporum particulas ponderanti facile conſtare queat. Hinc [illegible] Lucam pergit, qui ſe ad exemplum aliorum hiſtoriam 6.
ἀνατάξασθαι, adeoque certa in βάξει & καθεξῆς eandem ſcripturum c. I, 3 promittat. Qua occaſione Grotium ſimul refellit, qui τὸ καθεξῆς Evangeliſtæ uſitatiſſimum, de ſingulari tantum ſcriptione qua- 8.
dam, eaque κατηχήσει v. 4. memoratæ oppoſita accipiendum putet, ac ſi nimirum ſublimius ſe ſcripturum & ad perfectiora cum Theophilo progreſſurum ſponderet: cum tamen ex c. VIII, 1. Act. III, 24. XI, 4. XVIII, 23. clare ſatis conſtet, voculam καθεξῆς ad ἀνατάξασθαι reſpicere, adeoq; per Latinam, *Cohærenter*, exponendam eſſe, & *ordinatam temporis tractationem* innuere. Falli præterea in eo Grotium exiſtimat, cum 9, 11.
κατήχησιν pro *imperitiorum ſaltem planâ ſimplicique inſtitutione* accipiat: contrarium enim ex eo patere, quod Apollo, etſi κατηχημένος Act. XVIII, 24. Scripturarum tamen teſtimonio δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς fuerit, Judæosque convincendo conſtanter aſſeruerit, Jeſum eſſe Meſſiam atque Dominum, l. c. v. 28. Locum ad Rom. II, 18. in eun- 10.
dem Hugonem retorquet, quippe Judæum, ex Apoſtoli ſententia non pro *ſimplici*, ſed pro cæcorum ductore, adeoque pro *perito legis* haberi velle. Loco 1. Cor. XIV, 19. *publicam in Eccleſia inſtitutio-*

 nem

nem ſignificari, quæ ad imperitos æque atque alios dirigatur. Denique ipſum Lucam teſtem vocat Autor, ſuamque hypotheſin e naturali
p.12.13. plane ordine a ſcriptore iſto obſervato, quin & Marci Matthæique harmonia comprobat; qua ex collatione obſervari ſimul a lectore cupit, quam concinne quædam ſubinde hiſtoriæ ab uno tantum Evangeliſtarum commemoratæ, ad confirmandam ordinatam temporum ſeriem, *parentheſibus quaſi certis* concluſæ fuerint. Ut exemplo
17. rem demonſtret, Matthæum producit, qui c. VIII, 19, 20. de ſcriba quodam ad Jeſum comitandum, cum ad Gadarenos tenderet, ſponte ſe ſua offerente cum loquatur, finita de eo narratione eundem poſtea cum cæteris tribus Evangelicæ Hiſtoriæ ſcriptoribus ordinem ſervet, adeoque ſatis doceat, quam ordinate ſingula exaraverit, & quo tempore ſcriba ille ſe obtulerit, diverſus ab eo, qui ultimo ante abitum Do-
ib. ſqq. mini ex hoc mundo ſemeſtri ad Jeſum venit, Luc. IX, 59. Inde ad Joannem redit, hujusque cum D. Luca collatione inſtituta quoad triplex Salvatoris, quod Hieroſolymas ſuſcepit, iter, luculentiſſima
18. ordinatæ ſcriptionis ſigna proponit, notato ſubinde Oſiandro, quem mentem Lucæ non aſſecutum eſſe autumat, quod illud cujus Luc. IX, 51. mentio fit, iter pro ultimo habuerit, aliud tamen longe ab eo, quod c. XVII, 11. & XIX, 29. commemoratur. Atque hinc concludit, *plurimas omnino hiſtorias*, quas eruditi quidem & celebrati nominis Vi-
19. ri *pro iisdem* habuerint, *pro diverſis* agnoſcendas eſſe, niſi confundere ea velimus, quæ luculento adeo temporum locorumque, quin &
24. perſonarum diſcrimine diſtincta ſint. Hiſce epiſtolam ſubjungit, quam Anno 1667. 1 Octobr. Bileſeldiæ ad Reverendiſſimam Principem Eliſabetham Hervordienſem Abbatiſſam, ex Electorali Domo Palatina oriundam, occaſione quæſtionis in convivali coram memorata Principe diſcurſu motæ, priusne Dominus Jairi filiam, an viduæ Nainiticæ natum e morte ſuſcitaverit, exaravit. Ubi propoſita adverſantis ſententiæ argumenta reſolvit, ſuæque, quæ hunc præ illa excitatum
27. eſſe aſſerit, rationes deducit ex Luc. VII, 11, 17, ubi ἐν τῇ ἑξῆς (ἡμέρᾳ ſcil. Luc. IX, 37.) quæ ſanationem famuli ſequebatur, Nainum abiiſſe Chriſtus dicatur, filiumque matri ſuæ reddidiſſe. Unde Gallus quoque mentem Lucæ egregie expreſſerit, vertendo: *Il avint le jour ſui-*
27. *vant, que Jeſus alloit en une ville nommée Nain.* Jairi vero filiæ mentionem cap. demum VIII- 41. fieri, coll. cum Matth. IX, 18. & Marc. V, 22.

Deni-

Denique uſum, qui ex iſta ordinatæ ſcriptionis inveſtigatione & harmonia reſultet, ampliſſimum, non uno exemplo oſtendit. Quod ſi enim undecim repetitam vicibus Optimi Salvatoris ad Capernaitas ingratiſſimos hominum, adventum ponderes, næ humanitatem JEſu p. 44.
noſtri, næ intimam erga humanum genus propenſionem affectumque miraberis! Cum hortantem audies Apoſtolum: *cogitemus ſedulo, quantam a peccatoribus contradictionem Salvator ſuſtinuerit*, Hebr. XII, 3. amplam ſatis materiam paſſiones JEſu recogitandi invenies. At non ſufficit pagina enumerandis omnibus, quæ non ſine commotione apud Autorem ipſum legi poſſunt. Notare interea id unicum volumus, quod ex Joh. XXI, 25. proponitur, merito dixiſſe Apoſtolum, vix capturum fuiſſe orbem libros omnes, ſi facta ſingula ge- 50.
ſtæque res Chriſti conſignari ſingulæ debuiſſent. *Unius* e. g. *illa diei opera* eſt, quam Matthæus Cap. V. VI. VII. VIII, 1. 14. memorat, cui & illud Lucas ſuperaddit, præcedenti nocte integra Dominum in precibus perſtitiſſe, maneque quosdam diſcipulorum nominatim ad ſe vocaſſe, populo præſentaſſe, finemque ſuæ concioni miraculo impoſuiſſe. Quid ergo integro Domini miniſterio contigiſſe concludemus? 52.
Porro ſuis hiſce in prolegomenis, ad Acta Apoſtolorum procedit Auctor, eaque a Luca ſervato temporis ordine, quod Hiſtorici munis eſt, deſcripta eſſe, demonſtrare ſatagit. Ultimo de viſionibus Apocaly- 57.
pticis inter ſeſe conferendis nonnulla annotat, Auguſtinum imprimis ſecutus e L. XX. de Civ. Dei c. 17.

His ad meliorem Harmoniæ apprehenſionem præmiſſis, Hi- 58.
ſtoriam Chriſti harmonica Evangeliſtarum conſpiratione conſigna- 69.
tam perpetuis TABELLIS proponit, certasque cuivis earum portioni NOTAS ſubjicit. Unde decerpere nonnulla operæ pretium ducimus. Quæ Matth. IV. Marc. I. Luc. IV. de Salvatoris in deſertum pulſu dicuntur, εὐθέως, Marci verbo, poſt acceptum a Joanne baptiſmum contigiſſe, adeoque commodatam nuptiis Cananæis præſentiam præceſſiſſe: quod autem (poſt Cananæum illud primum Joh. II.) 76.
ſecundum dicatur perpetraſſe miraculum Joh. IV, 54. non dici *ſecundum* in ordine ad omnia Domini miracula, ſed ad ea tantum, quæ poſt reditum in Galilæam contigerunt, arbitratur. Cæterum inter alia monet, non confundendas eſſe ſequentes Hiſtorias, Matth. XI, 22. 37. cum 91.
Marc. III, 22. vel Luc. XI, 4. 28. eo quod ea, quam Lucas memorat, ad ultimum

timum miniſterii Chriſti annum referenda ſit. Nec Marc. IX, 33. & Luc. IX, 46. cum Matth. XVIII, 1. ſeq. (ubi quædam ex Tractatu Sche-
p. 69, 79. kalim de acceptione pignorum afferuntur) nec unam eſſe habendam Templi purgationem a Salvatore Joh. II, 14, 15. ſuſceptam, cum ea,
120. quæ Matth. XXI, 10. 11. alibique recenſetur, cum in prima venditores
121. tantum, in altera vero emptores quoque expulerit. Male etiam *vulgo* unctionem Chriſti *ter* in Berthania factam *pro una* haberi obſervat: Joannem quippe ῥητῶς aſſerere, unam contigiſſe ſex ante paſcha diebus, Matthæum autem Marcumque alteram biduo tantum a paſchali feſto factam deſcribere. Conf. Matth. XXVII, 2—6. ubi more ſuo vim particulæ τότε premit, atque e Luc. VII, 45. conſtare ait, *ungi ſæ-*
122. *pius ſolitos hoſpites a Judæis fuiſſe.* Porro diſcernendum probe convivium eſſe, quod Joh. XIII, 1. πρὸ τῆς ἑορτῆς, die paſcha proxime præcedente celebratum fuit, ab eo, quod ipſomet paſchate cum diſcipulis habuit Chriſtus; pariter diverſam eſſe Judæ manifeſtationem, quam Johannes c. XIII, 18. ab illa, quam reliqui Evangeliſtæ deſcribunt, quod
123. ex ſermonum actionumque diverſitate evincit. Denique & de ordi-
136. ne ſeptem Chriſti in cruce verborum quædam addit, Chriſtumque eo, quem nos Veneris vocamus, die, tanquam Pro-Sabbatho mortuum eſſe aſſerit. Perducta adeo ad finem Evangeliſtarum Harmonia,
123. itinera Chriſti ſigillatim recenſet, ſervato ſcriptorum SS. ordine, tabulisque comprehenſo; Dehinc.
151. II. ad Hiſtoriam Eccleſiæ in Actis deſcriptam pergit, eamque pari, qua Evangelicam, methodo proponit, adhibitis in ſubſidium col-
157. latisque Pauli Epiſtolis, ubi ex Act. XXII, 17, 18. notat, Paulum *ter* Hieroſolymam profectum eſſe, ſecundamque profectionem Act. IX, 23. ſub multarum dierum voce a Luca indicari. Duplicem Apoſtoli raptum ſtatuit; ordinemque Epiſtolarum eum conſtituit, ut (1.) utramque ad Theſſalonicenſes Act. XVIII, 5, 12, 17. (2.) utramque ad Corinthios, Act. XIX, 21, 22. XX, 2. (3.) ad Romanos, c. XX, 3. coll. Rom. XV, 19, 25. XVI, 1, 2. *ante vincula*, Epiſtolas vero ad Coloſſenſes, Philemonem, Philippenſes *e vinculis*, ad Hebræos autem, ad Timotheum utramque, ad Titum & Epheſios *poſt vincula* ſcriptas eſſe, adſtruatur. Colopho-
185. nis loco de *converſione Pauli* ſtatuit, eam in annum Caligulæ ultimum incidiſſe, quod ex eo probat, quod Apoſtolus una cum Barnaba eleemoſynas eccleſiæ Antiochenæ Hieroſolymam ultimo Herodis ab Angelo, (ante-

(antequam ex eo itinere rediiſſent) percuſſi anno detulerit , Act. XI, 27-30. XII, 23. ſq. Notum enim ex Joſepho eſſe ait, qui eo jamdum tempore vixit, Herodem illum anno Claudii 4to interiiſſe, quo dira admodum fames in Judæa invaluerat : unde ſequatur, Paulum anno Claudii IVto collectam Hieroſolymas attuliſſe, tertioque & quarto Imperatoris laudati anno Antiochiæ docuiſſe, c. XI, 26. Reſtare autem tres adhuc annos quibus poſt controverſionem in Arabia prædicaverit Apoſtolus, Gal I, 18. quos in primum ſecundumve Claudii & ultimum Caligulæ incidere neceſſum ſit. Ultimo definit, Acta Apoſtolorum hiſtoriam 33 annorum continere, geſtasque Pauli intra 25 annos res deſcribere.

Poſthæc, Illo Epiſtolæ alteri ad memoratam ſupra Abbatiſſam Hervordienſem exaratæ, quæ phraſes apocalypticas Johannis ſtudioſe cum propheticis V. T. confert, Tabellam Synopticam præmit- p.189. 190. tit, qua Harmonia viſionum , rerumque earundem in Apocalypſi diverſis capitibus imaginibusve propoſitarum , accurata collectio ſiſtitur.

Tandem etiam brevem terræ Canaan delineationem exhibet, eamque ad novi Fœderis Hiſtoriam multa cum diligentia applicat.

M. CHRISTOPHORI Hartknochs Alt-und Neu-Preuſſen.

i. e.

M. Chriſtophori Hartknochii Boruſſia Vetus & Nova.

Francofurti & Lipſiæ apud Martinum Hallervordium, 1684. in fol.

Conſtat plagulis 187.

INter rerum Prutenicarum conditores vetuſtiſſimus omnium, quantum ſcire licet, eſt *Petrus a Duisburg*, Hujus Chronicon Pruſſicum rythmis Germanicis reddidit *Nicolaus Jeroſchinus* A. Chr. 1340, ſub regimine Dieterici ab Aldenburg, Magiſtri Ordinis Teutonici in Boruſſia; quale quid factum etiam a *Wigando de Marburg*, Fratre Ordinis Teutonici, qui hiſtoriam Pruſſicam ad annum Chriſti 1394. usque produxit. Nec defuit quidam alius Duisburgii Continuator, qui tempore Sigismundi Imperatoris floruit. Hos præter extiterunt & alii,

alii, qui hiſtoriam Pruſſicam monumentis literarum prodiderunt, *Timon* videlicet *Grunau*, Ordinis Prædicatorum Monachus, *Paulus Pol*, *M. Georgius Ranis*, *Johannes Meletius*, *Johannes Freyburg*, *M. Caſper Schütz*, *David Chytræus* in Saxonia, *Caſper Hennenberger*, *Thomas Waiſſelius*, *Martinus Murinius*, *Johannes Leo*, *Cæleſtinus Miſlenta*, *Reinholdus Curike*, & alii ab Hartknochio in præfatione ad lectorem memorati; ut taceamus ſcriptores Polonicos, qui rebus Polonicis res quoque Pruſſicas non inſerere non potuerunt, quales fuere *Vincentius Kadlubko de Carnov*, *Johannes Dlugoſſus*, *Matthias a Michovia*, *Martinus Cromerus*, *Stanislaus Sarnitius*, *Matthias Strykovsky Oſſoſtevicius*, & *Joachimus ab Hirtenberg Paſtorius*. Quod Duisburgium attinet, eum non minus, ac Continuatorem ejusdem A. 1680. edidit idem clariſſimus Hartknochius, cum Latinis ſuis iisque doctiſſimis diſſertationibus. Qui liber cum emtores longe plurimos mox reperiſſet, bibliopola, cujus ſumptibus impreſſus fuerat, Germanicam ejus verſionem, ut legi ab illiteratis quoque ac Latinæ linguæ minus gnaris poſſet, meditatus eſt. Sed id laboris ſuſcipere ipſe Hartknochius voluit, veritus quippe, ne non omnia feliciter ab alio quoquam redderentur; utque medium teneret inter corpus Pruſſicæ hiſtoriæ perfectum, & inter compendium ejus (quorum illud nimis operoſum, hoc minus proficuum videbatur;) *Boruſſiam* hanc *Veterem & Novam* ſtudio ac labore infatigabili concinnavit. *Vetus Boruſſia XV.* abſolvitur capitibus, quorum I. de finibus ejus (cui & mappa veteris Pruſſiæ Geographica a Caſp. Hennebergero delineata præmittitur) ut & incolis antiquiſſimis, de Venedis puta ſeu Sclavis, Galindis, Sudinis, Gothis vel Æſtiis, Sciris & Hirris, Vidioariis &c. agitur. II. de ortu Venedorum & Gothorum, quos non ex Scandia, uti Jornandes & Hugo Grotius, ſed ex Pomerania arceſſit Autor, e quibus & Suecicos Gothos oriundos eſſe contendit; de ortu item Pruſſorum quos dictos cenſet non a Pruſia Rege Bithyniæ, neque a Bructeris, multo minus a commentitio Pruteno, ſed a finitimis Rutenis, Ruſſis vel Boruſſis, vel a voce Pruſſorum antiqua *Pruota*, quæ intellectum & ſapientiam denotat, vel uti in Addendis notat, a Prut, fluvio Moldaviæ. III. de qualitate corporis veterum Pruſſorum. Hanc eandem fuiſſe Autor dicit cum Sarmatis ac Germanis. Fuiſſe enim Pruſſos antiquiſſimos cæſiis oculis, facie rubicunda, coma intonſa eaque criſpa

criſpa ac ruffa, ingentis præterea ſtaturæ, & ætatis grandis, IV. de antiqua Pruſſorum lingua, quam convenientiam cum Lithuanica habere, fuſe oſtendit Autor. V. de locis Pruſſiæ religioſis, lucis videlicet & ſacris arboribus, de quercubus inprimis quatuor, Romovenſi, Heiligenbeilenſi, Viſtulana & Velavienſi, nec non ſacris lacubus, fontibus ac fluviis. VI. de Diis vel Idolis veterum Pruſſorum, Percuno, Picollo & Potrimpo, qui Dii illorum fuerunt principes, h. e. uti Hartknochius exponit, de Jove, Luna & Venere. VII. de Diis Pruſſorum ſecundi & tertii ordinis, de cultu item anguium, buſonum & aliis. VIII. de Flaminibus ethnicis veterum Pruſſorum, quorum ſummus fuit Crive, cujus electio deſcribitur; reliqui inferiores Waidelottæ & Sigonottæ, qui ſubſuerunt illi, ſunt dicti. IX. de veterum Pruſſorum idololatri, de igne ſacro, immolatione hominum & equorum, & quibus quisque Deorum ceremoniis fuerit cultus. X. de diebus Pruſſorum feſtis. XI. de nuptiis veterum Pruſſorum, ceremoniisque tam ſponſaliorum, quam nuptiarum tempore adhibitis; ubi & hoc obſervatur, Pruſſos fuiſſe polygamos, nec ullum graduum conſanguinitatis habuiſſe rationem. XII. de funeribus veterum Pruſſorum, de occiſione ægrotorum & infirmorum ſervorum, de αὐτοχειρίᾳ, de funeris deductione, cadaverum concrematione, & urnarum repoſitione; qua occaſione & oſtenditur, Pruſſos immortalitatem animæ & reſurrectionem mortuorum crediſſe. XIII. de veterum Pruſſorum œconomia & vita communi. Fuit autem victus illorum ſimplex, potus ex aqua, lacte, ac cruore; ſimplex etiam veſtitus; artes ſe alendi fuerunt agricultura, res pecuaria, venatio, aucupium, piſcatura, captura halecum, permutatio mercium, navigatio, inveſtigatio ſuccini, venatio inprimis alcis & urorum, qui magnitudine elephantos æquant. XIV. de præparatione ad bellum & modo bellandi apud veteres Pruſſos, de armis eorundem, clavis, enſibus, ſagittis, clypeis, propugnaculis & arcibus; de expeditione ipſa; de mactato uno ex hoſtibus, & oblatione prædæ Diis facta. XV. de republica veterum Pruſſorum & regimine. Fuit autem reſpublica illorum, non minus quam Venedorum ac Gothorum, popularis initio ac libera; ſed ob lites de proprietate agrorum, aliisque de rebus continentur exortas, Rex tandem electus eſt vir gravis Waidewutus, qui & conſilium eligendi Regem dederat. Is barbaro huic

populo certas præſcripſit leges, nec ulli bello ſeſe unquam implicuit, regionem tandem omnem inter filios XI (habebat equidem XII filios, ſed duodecimus Lithuo Lithuaniæ præfectus eſt) diviſit, ſeque ipſum, ne autoritate ſua excideret, ſupremum ſacerdotem conſtituit, & *Kriwe Kriweito* appellari voluit; quanquam ab aliis res iſta aliter atque aliter recenſetur. Pruſſia autem revera in XI provincias fuit diviſa, habuitque unaquæque ſuos Principes, Equites, cives & ruſticos, a quibus & comitia provincialia, neceſſitate ſic dictitante, fuerunt celebrata. Et hæc de ſtatu veteris Pruſſiæ tam idololatrico quam politico, antiquam Magiſtri Teutonici Ordinis eo pervenerunt.

Nova ejusdem Hartknochii *Boruſſia*, cui & ipſi mappa novæ Pruſſiæ Geographica præfigitur, intra octo incluſa eſt capita. In I. agitur de origine Ordinis equeſtris Hoſpitalariorum, & domus Teutonicæ S. Mariæ in Hieroſolymis. Hunc Ordinem conſtituendi occaſionem dederant expeditiones cruciatæ in terram ſanctam, prædicatæ primum & commendatæ a Petro Eremita, A. Chr. 1095, dein ab Urbano II R. P. approbatæ, & tandem a Ducibus ac Comitibus quibusdam Galliæ inſtitutæ, a *Gothofredo* imprimis *Bullionio*, qui & primus Rex Hieroſolymorum fuit ſalutatus; cui ſucceſſerunt *Balduinus I*, qui Saracenis Acconam ſeu Ptolemaida extorſit; *Balduinus II*, qui Ordinem Templariorum A. 1118. ſancivit; *Fulco*, autor Ordinis Johannitarum A. 1140; *Balduinus III*, cujus tempore expeditio II cruciata in Palæſtinam contigit; *Almericus*, *Balduinus*, *IV*, *Balduinus V*, & *Guido Luſignanus*, cui Saladinus Ægyptius Acconam aliasque urbes iterum eripuit. Hoc regnante Ordo, qui Domus Teutonicæ, vel Hoſpitalariorum S. Mariæ in Jeruſalem dicitur, ſtabilitus creditur, quem & poſtea Cœleſtinus III P. R. confirmavit, & regulæ S. Auguſtini adſtrinxit. Horum partes erant, non infirmos tantum & ſauciatos milites in Xenodochio, a viro quodam Teutonico exſtructio, Johannitarum exemplo, curare (cujus rei initium cives quidam Bremenſes ac Lubecenſes, poſtquam commeatum navibus eo attuliſſent, fecerant) ſed & contra barbaros, Templariorum more, urgente neceſſitate depugnare. Inſigne eorundem fuit crux nigra in ſcuto albo, ſed quod poſtea a Friderico II Imp. aquila, & a Ludovico IX Rege Galliæ etiam liliis fuit exornatum. Quod ſigillum hujusdem Ordinis fuerit, & qui veſtitus; quomodo fratres Ordinis diſtincti

inter

inter ſe fuerint; (nam alii ut ſacerdotes cultui vacabant divino, alii ut milites contra barbaros dimicabant;) qua ætate, quibus ceremoniis recepti in Ordinem, quo item juramento, & quibus legibus adſtricti fuerint, nec non qua occaſione Magiſtri Teutonici Ordinis in Pruſſiam pervenerint, Autor eodem capite exponit, quem vide. Fuit autem primus Ordinis Magiſter *Heinricus Walpot a Paſſenheim*, II. *Otto* a *Carpen*, III. *Hermannus Bart*, IV. *Hermannus* a *Salza*, qui ob res præclare ac fortiter geſtas primus a Conrado Duce Maſoviæ, de conſilio *Chriſtiani* primi Culmenſis Epiſcopi, in auxilium contra Pruſſorum barbarorum incurſiones fuit evocatus. In II capite referuntur Magiſtri Ordinis Teutonici, qui in Pruſſia clavum tenuerunt; quæ occaſione de bellis hinc inde variis, ſubſecutisque Pruſſiæ mutationibus notabilia non pauca interſperguntur. Variant autem rerum Pruſſicarum conditores, quod ordinem Magiſtrorum antiquorum attinet. Ultimus eorum fuit *Albertus* Marchio Brandeburgenſis, qui cum æque ac Fridericus anteceſſor, Sigismundo I Regi Poloniæ, avunculo ſuo, in clientelam ſe jurejurando dare renueret, bello Polonico, eique graviſſimo ſe implicuit; ſed tandem fruſtra expectatis a Cæſare auxiliis, pace cum avunculo contracta, occaſionem ſibi conſulendi ſumpſit, & ex Ordinis Magiſtro, a Polono, cujus clientelæ ſe commiſerat, Dux Pruſſiæ creatus, ejusdem partem, quæ Ducalis dicitur, in feudum ab eo accepit. Hunc primum Pruſſiæ Ducem excepit filius unicus *Albertus Fridericus*, qui cum ἄπαις deceſſiſſet, ſucceſſorem habuit *Georgium Fridericum*, Marchionem Brandenburgicum, qui & curator Alberti Friderici ob mentem non bene compoſitum fuerat. Secuti hunc ordine ſunt quatuor Electores Brandenburgici *Joachimus Fridericus*, *Johannis Sigismundus*, *Georgius Wilhelmus* & *Fridericus Wilhelmus*. Et hic quidem cum una cum confœderato Rege Sueciæ Carolo Guſtavo palmas victrices ex bello Polonico retuliſſet, pace ſeorſim cum Johanne Caſimiro Rege Poloniæ facta, a jure vaſallagii fuit obſolutus, abſolutum hoc ipſo in Ducalem Pruſſiam imperium in transactione Velavienſi A. 1657. cum maſculis omnibus deſcendentibus ſuis indeptus. Huic anno 1688 extincto non alius ſuccedere in Pruſſiæ Ducatu potuit, quam qui faſces Electorales in Marchia hæreditario jure accepit, *Fridericus III* videlicet, qui cum Pruſſos ſolenni ſacramento ſibi præſens non-

dum obſtrinxerit, ab omnibus, non ſine apprecatu multarum contra Imperii hoſtem victoriarum, perquam anxie deſideratur. In III. capite extructio urbium arciumque Pruſſicarum deſcribitur, ſingulæque æri inciſæ repræſentantur. In IV. in originem hodiernorum Pruſſiæ incolarum inquiritur, oſtenditurque, veteribus ejus incolis plurimos nobiles, cives, ruſticosque ex Germania ſe aggregaſſe occaſione expeditionum a Magiſtris Ordinis Teutonici inſtitutarum, copiarumque auxiliarium ex Germania accerſitarum; quanquam & illud additur, ex nobilibus quoque Polonis quamplurimos ſedem ibi ſuam poſuiſſe. In cap. V. enarratur introductio Chriſtianæ fidei in Pruſſiam, ejusque in ea propagatio. Primus Adelbertus cum fratre Gaudentio verbum divinum Pruſſis prædicaſſe creditur, qui A. Chr. 939. natus eſt. Primus tandem Epiſcopus in Pruſſia factus eſt quidam *Chriſtianus*, Ciſtercienſis Ordinis Monachus, poſt quem & alii epiſcopi, qui una cum ſucceſſoribus fuis f. 459 & ſeqq. recenſentur, ſunt conſtituti. Hi abs Magiſtris Ordinis Teutonici adjuri in id modis viribusque omnibus ſunt anniſi, ut idololatriam Pruſſorum exſtirparent, templa pro exercenda religione Chriſtiana hinc inde exſtruerent. Sed his negligentioribus & remiſſioribus in zelo factis, multi ſectarii in Pruſſia fuere exorti, donec tandem A. 1519. Papana religio, poſt accenſam antea a Martino Luthero Evangelii facem, per D. Joh. Briſmannum, & D. Petrum Amandum, a Luthero eo miſſos, Alberti Ducis primi auſpiciis expurgata eſt. Reformationis negotio expoſito, prolixe recenſentur controverſiæ Theologorum Pruſſicorum, tempore reformationis ad propiora usque tempora agitatæ, Andr. Oſiandri ſcilicet cum Morlino collegisque aliis, Heshuſii cum Wigando, Mislentæ cum Movio, Bohemo, Latermanno & Dreiero. Annectuntur & mutationes, quæ circa religionem apud Dantiſcanos, Thorunienſes & Elbingenſes contigerunt. Caput VI. totum rei monetariæ Pruſſorum impenditur, ubi & nummos Pruſſicos æri expreſſos videre eſt. Caput VII agit de Pruſſorum juribus & privilegiis, Culmenſi imprimis ac Flamingenſi; item de legibus a Sigfrido de Feuchtwangen & Winricho a Kniprode datis, nec non de Weichbildo ſeu jure Magdeburgico ſeu Saxonico, quid idem cum Culmenſi eſſe dicitur, juribusque urbium quarundam ſtatutariis. Caput VIII & ultimum deſcribit rempublicam & formam regiminis in Pruſ-

in Pruſſia. Fuit autem Pruſſia, poſtquam Ordo Teutonicus in eam A. 1230. pervenit, ab abſentibus primum Magiſtris per proviſores vel magiſtros provinciales adminiſtrata, quorum primus fuit Hermannus Balcke, ab Hermanno de Salza eo miſſus. Horum cum ſeptem fuerint, Livoniæ Magiſter provincialis inter illos primicerius extitit. Fuerunt & extraordinarie Vices-gerentes conſtituti, ad magni momenti negotia extricanda. Proximi ab his fuere Epiſcopi quatuor, Culmæ, Pomeſaniæ, Ermelandiæ & Samlandiæ, quos inter Culmenſis primas tenuit. Hos ſequebantur magni Commendatores quinque, quibus alii Commendatores inferiores ſuberant. Fratres Ordinis fuerunt vel ſacerdotes, vel equites, ut ſupra jam diximus. Fuerunt & Sorores ejusdem Ordinis, cujus rei documenta quædam f. 618. producuntur. Fuit autem forma regiminis Magiſtrorum horum non abſolute monarchica. Magiſtri ſiquidem Imperatorii Romano in ſecularibus, & Papæ Romano in eccleſiaſticis erant ſubjecti, fuitque poteſtas illorum valde reſtricta ab Epiſcopis, nec non a nobilibus, incolisque Pruſſiæ aliis, qui privilegia abs Regibus Poloniæ acceperant, qualia f. 640. ſeqq. ab Autore afferuntur. Sed ratio iſta regiminis Pruſſici valde immutata eſt, poſtquam Ordo Teutonicus A. 1454. Magiſtro Ludovico ab Erlichhauſen ſubeſſe renuit, ſeque in clientelam Caſimiri Jagellonidæ Regis Poloniæ tradidit. Tum enim ſuaſu Epiſcoporum Vicegubernator regius in Pruſſia fuit conſtitutus, eique Palatini quatuor & tres Caſtellani adjuncti. Facta etiam ſuccedente tempore mutatio circa comitia, dignitates & judicia. Sed major adhuc mutatio contigit A. 1657. in Velavienſi tranſactione, in qua Fridericus Wilhelmus, glorioſiſſimæ memoriæ Elector Brandenburgicus, ſupremum Pruſſiæ dominium obtinere meruit. Neque enim ex dicaſterio Pruſſico appellare amplius ad Regem Poloniæ licuit poſtea. Tribunal itaque Pruſſicum erectum eſt, cujus Præſes ſemper eſt unus ex Conſiliariis primariis, Aſſeſſores quinque nobiles, & tres ex civium ordine. Corollarii loco additur privilegium Culmenſe Latinum, prout illud ab Hermanno de Salza & Hermanno Balke Culmenſibus ac Thorunienſibus fuit impertitum; nec non addenda quædam & locis ſuis inſerenda, cum indice in utramque Pruſſiam, veterem & novam locupletiſſimo.

Cæterum ut opus iſthoc hiſtoricum ſuum abunde laudat artificem,

cem, ita plus adhuc decoris atque ornamenti accepit a tot imaginibus hinc inde veluti infibulatis, in nova Boruſſia cum maxime. Nam in illa præter Sacerdotem Ordinis Teutonici in habitu ſuo f. 261 repræſentatum, Magiſtrosque omnes atque urbes ſupra memoratas, *Johannes III* Rex Poloniæ f. 363. *Albertus*, ultimus Magiſter & primus Pruſſiæ Dux f. 322. & *Fridricus Wilhelmus*, Elector Brandenburgenſis & ſupremus Pruſſiæ Dux, una cum *Friderico*, purpuræ Electoralis tum hærede, nunc Electore feliciſſimo f. 357, quin & *Erneſtus Boguslaus*, Dux de Croy f. 558. æri inciſi conſpiciunturr. Id honoris habuit & M. *Huldaricus Schönberg*, Weyda Palatinus f. 491 qui quamvis uſum oculorum per variolas in tertio ætatis anno amiſiſſet, ſtudiis tamen ſedulam dedit operam, cumque in ſchola patria & Sulzbacenſi feliciter in literis ac linguis profeciſſet, in Aldorffinam primum, dein in hanc Lipſienſem ſe contulit, ubi & Magiſterii honores A. 1628. cum laude retulit. Juventute poſtea in Holſatia per novennium, & Hamburgi per quinquenniam privatim informata, Regiomontium tandem profectus, ſtudiis Philoſophicis, imo omni, ut loquuntur, ſcibili immortuus eſt, cum annum ætatis 47. fuiſſet ante quinque hebdomadas ſupergreſſus. Habuit id honoris & *Andreas Grunheide*, ruſticus Grunwaldenſis, f. 350 cui culter bene longus in ſtomachum præter intentionem demiſſus, citra periculum ſanitatis & vitæ fuit exſectus, ut ſupervivere, matrimoniumque inire potuerit; de quo & hiſtorica relatio D. Danielis Beckeri, Medici Regiomontani, non absque ſtupore legitur f. 340 & ſeqq. Sed hæc excerpſiſſe ex libro illo ſufficiat.

SEBASTIANI CHRISTIANI DE ZEIDLERN
Med. D. & P. P. primarii in Academia Carolo-Ferdinandea Pragenſi &c.

INSTITUTIONES MEDICÆ.

Pragæ apud Joann. Carol. Gerzabek, 1687. in 4to.

Conſtat plagulis 38.

Ex Charondæ apud Thurios inſtituto, capitale ferme erat, leges ſemel receptas migrare, & laqueo collum inſerere neceſſe habebat, qui quid mutare ſibi arrogaret. Pendebat nimirum infelix, niſi perſua-

perſuaſiſſet. Enim vero noſtri ſeculi homines, ubi ratio ſuaſerit, abrogare, derogare nihil verentur. Quo factum eſt, ut Hippocrates & Galenus ferme inter depontanos numerentur, & qui jus ſuffragii in delira ſenectute amiſerint. Non deſunt tamen, qui mordicus tuentur, quicquid rancida vetuſtas commendaverit. Sed optime agunt, qui electivam ſequuntur, & ex omnibus optima ſeligunt. Noſter vero vel ob ætatem venerabilis Auctor ſecundum veteres plerumque tabulam dat. Sic ut paucula in exemplum allegemus, naturam vocat calidum innatum, cui inſita ſit vis & poteſtas, per quam ſumus & operamur. Sic mixta omnia ex quatuor Peripateticorum elementis conflari arbitratur. Sic doctrinam de qualitatibus occultis, temperamentis ex primarum qualitatum confluxu oriundis, item de quatuor humoribus ſanguinis, de bile & melancholia, pituita & ſero tanquam excrementis utilibus, de hepate tanquam parte principe & officina ſanguinis primaria, de liene acidum alliciente &c. &c. ſtabilire poſtliminio præſumit. Ad tractatum ipſum quod attinet, in 5. diſtributus ille libros deprehenditur. Primo 12. capita continente agitur de Medicinæ etymologia, quidditate & diviſione, de officio Medici, de elementis eorumque qualitatibus ac inde reſultante temperamento vario, de humoribus, partibus, ſpiritibus, facultatibus & actionibus. Quibus præmiſſis cum duplicem operationis Medicæ finem intueatur, ſcilicet ut præſens ſanitas conſervetur, amiſſa vero reſtituatur, hinc ſtatim Lib. II. tractationem rerum ſex non naturalium, ut vocant, totidem capitibus includit, ac quomodo decenti iſtarum uſu valetudinis habenda ratio ſit, juxta antiquorum placita plerumque edocet. Sic ut vel unicum adducamus, c. 3. pag. 82. ſupinum in dorſo decubitum damnat, quod ita ſanguis in vena cava incaleſcat, unde multi vapores ad cerebrum eleventur, in quo concreti apoplexiæ, paralyſeos, convulſionum, incubi ac defluxionum cauſæ fiant. Quemadmodum vero his prioribus libris res naturales & non-naturales tradidit: ita nunc III. rerum contra naturam evolutionem aggrediens, morborum naturam, eorumque differentias cum eſſentiales tum accidentales, nec non tempora & cauſas, ac tandem ſymptomata quinis capitibus proponit. Inde Lib. IV. undecim capita adornat, edocturus per certa ſigna & artificioſam conjecturam, hominis vel ſani, vel ægri, vel neutrius ſtatum, item quæ indicia laboranti-

bus ſalutem vel mortem portendant. Hinc criſin, ejusque ſigna diesque, nec non urinarum & pulſuum conſiderationem rimatur. Tandem L. V. Therapeuticam efformat, & undecim capitibus generalem medendi methodum, ac evacuationes per alvum, urinam & ſudorem, nec non venæſectionis rationem variam oſtendit. Quibus omnibus explicationem medicamentorum ſubjungit, eorum nunc facultates, v. g. purgantes, diureticas, diaphoreticas &c. deſcribens, nunc compoſitionem exemplis tradens, ac uſitatorum doſin inſimul definiens.

INDEX COPIOSIOR AD VITAM ÆTERNAM;
ſeu

Fundamenta, Aximata Theologorum, Dogmata Recentiorum, Deductiones ex iſtis generales, ac particulares Determinationes ſanæ doctrinæ moralis &c. Auctore Hyacintho Parpera Presbytero Congregat. Orator.

Venetiis apud Joh. Franciſc. Valvaſenſem A. 1686 in 4.
Conſtat plagulis 65.

SCopus Libri eſt indicare tam opera bona, quæ ad vitam æternam comparandam fidelibus ſunt neceſſaria, (ſic enim Auctor ex ſenſu Romanæ Eccleſiæ loquitur) quam mala, quæ ab ea abducunt, juxta laxas quorundam in moribus pravorum recentiorum Magiſtorum opiniones facta. Quam ob cauſam *in prima* hujus Indicis *parte* fundamenta ſeu prima principia moralis doctrinæ ponit, ex quibus cætera ſunt deducenda, & ad quæ reſolutiones caſuum particularium reduci debent; utpote *ad bonitatem actionis non ſufficere bonam intentionem, ſed boni etiam medii requiri electionem; eſſe leges naturalem, gentium, Moſaicam, Evangelicam, eccleſiaſticam, ſeu jus Canonicum ac Pontificium, civilem ſeu jus Cæſareum, ad quas dirigendæ ſint actiones; eas leges eſſe manifeſtas ac promulgatas, ut juxta has regulas moderentur paſſiones ſuas homines, ac virtutum ſtudio incumbant; obligari homines directe ad actus externos, indirecte ad internos; interpretationem auctoritativam legum eſſe ipſius Principis, doctrinalem fieri a Doctoribus, qui a Principe facultatem obtinent docendi, non ex proprio ingenio ac arbitrio,*

bitrio, ſed ſecundum regulas aliquas, quas etiam adducit. Verum quia recentiores Moraliſtæ profitentur, non oportere nos tanto intelligendæ legis ſtudio torqueri, cùm probabilitas ſit obvia in iis omnibus, quæ præter fidei dogmata & Eccleſiæ decreta ſunt meris dubitationibus involuta; regerit, ex hoc ipſo cognoſci, probabilitatem non eſſe veram ſapientiam, quam utique diligentiſſimo ſtudio quærendam eſſe, legimus in Scripturis Sacris & Patribus. Opponentibus adverſariis, legem DEI hac ratione non fore jugum ſuave, & onus leve, alium ſenſum dicti communem Pontificiorum proponit, & de genuino etiam ſenſu dubitantes illos, ablegat ad proprium cor, quod nullo privato præoccupatum affectu, ſi cauſam probe ventilaverit, juſtam proferat ſententiam. Omnium tandem fundamentorum compendium ex Epiſtolis ſanctorum Apoſtolorum, Johannis, Petri Jacobi commonſtrat.

In ſecunda parte *Axiomata Theologorum* in ſeptuaginta duobus, ac *dogmata recentiorum* in viginti capitibus veluti ſecundaria principia ac fundamenta enucleantur. *Dogmata* recentiorum, quæ explicantur, ne in abuſum vertantur, potiſſima ſunt: *Opinio auctore non caret; opinio probabilis eſt; opinionem tueri quis poteſt: qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter agit: jugum meum ſuave eſt, & onus leve: faciliora ſunt in opinando moderna ingenia, quam antiqua: bona fides excuſat: omnes opiniones probabiles ſecundum ſe ſunt æqua tutæ: opiniones benigniores, etiamſi minus probabiles, per accidens ſunt ſecuriores: improbabilis eſt, quæ evidenter demonſtratur falſa: antiquiſſima ac univerſaliſſima eſt opinionum probabilitas: Ecclaſia non obligat cum magno incommodo: opus, non modus præcipitur: fides eſt ſervanda hoſti, etiam hæretico.*

Quoniam veritas plerumque latet, probabilitate contentos ſæpe eſſe homines oportet, ideo in *Parte tertia* deductiones generales fiunt, veritatem ſecundariam ſeu probabilitatem continentes, ex præcedentibus parte 1. & 2. veritatem legis primariam ſeu apertam tradentibus. In quam finem probabilitatis gradus numerantur, oſtenditurque non quamlibet probabilitatem ſufficere, ut quis prudenter operetur, ſed probabilitatem certo probabilem requiri, & concurrentibus probabilitatibus eligendam eſſe probabiliorem, & non ſolum probabiliorem, ſed & tutiorem. Ad quorum comproba-

tionem proponitur compendiaria confirmatio veræ probabilitatis, & confutatio falſæ, iterum exhibetur compendium dictorum ex Sacris Scripturis concinnatum. Ex oppoſito oſtentitur, quam periculoſæ, ſaltim in praxi, ſint opiniones laxæ, & ad earundem periculum detegendum diſſeritur de Pſeudoprobabilibus, horumque gradus ac fundamenta deteguntur, inter quæ præcipuum Doctorum plus debito uſurpata auctoritas, quorum nullus numerus ſufficiat ad actionem excuſandam, ſi dogmata, qualia recentiorum Caſiſtarum ſunt, cum lege Decalogi pugnent, & abſurda ſint in ſe ac monſtroſa. Inſuper objectiones adverſariorum examinantur & refutantur.

In *Parte quarta* cum ſint producendæ propoſitiones a ſummis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatæ, agitur initio de ſummi Pontificis infallibilitate, cujus auctoritas ſit ſupra omnes Doctores, quam nihilominus quidam in Cenſuris librorum ſe exerentem audeant parvi facere, atque ſic in errores, quos poterant & debebant vitare, incidant. Ne vero prolixius immoretur Auctor in ſingulis Propoſitionibus explanandis ac confutandis, claves morales lectori dat, communem ex ratione naturali, argenteam ex prudentia acquiſita, regiam ex juſtitia, auream ex ſupereminente ſcientiæ charitate, ferream ex odio turpis lucri, morales quatuor ex cauſis, alias ex dolis ac fallaciis, aliasque ſimiles, quibus adhibitis tum in domum Sapientiæ ingredi queat, tum morem deceptiones aperire. Ex præcedentibus deinde colliguntur Reſolutiones ſingulares propoſitionum damnatarum, fundamentis earum breviter iterum præmiſſis.

Partem quintam, quam meditatur, inſcribet Indicem Omnigenum. Nam continebit doctrinam de qualibet materia morali, & ſuperiores quatuor partes, quæ in genere de moralibus diſſeruerunt, rediget ad reſolutiones principiis illis generalibus cohærentes.

HISTOIRE SOMMAIRE DE NORMANDIE, PAR LE Sieur de Maſſeville &c. i. e.

Dn. de Maſſeville Hiſtaria Normanniæ compendiaria. Pars I.

Rhotomagi apud Petrum Ferrand 1688. in 12. plag. 16.

PArs Galliæ inſignis, quæ ad octoginta leucarum longitudinem Oceano Britannico, Occidentem & Septentrionem verſus prætenditur,

ditur, introrſum vero viginti vel triginta leucarum ſpatium occupat, *Ambianorum* ſive *Picardiæ*, *Pariſienſium*, *Cenomanorum & Britonum Aremoricorum* finibus terminata, *Normanniæ* nomen ſeculo nono poſt Chriſtum natum adepta eſt. Dicebatur ante id tempus Neuſtria, & ſub Romanorum ditione provinciæ Lugdunenſi ſecundæ accenſebatur. Normannos ex Septentrionali regione (quam ipſum nomen indicat) i. e. ex Dania finitimisque locis, dum more illorum temporum novas ſedes quærerent, in Galliam delatos eſſe, ſatis notum eſt. Celebris inter alios illorum Duces fuit *Rollo*, Regio, ut fertur, genere in Dania natus, ſed ob excitatas turbas patria pulſus. Is tanto cum ſucceſſu popularium ſuorum auſa perſecutus eſt, ut Galliæ Regi tractum illum terrarum, a ſua poſthac gente denominandum, & filiæ matrimonium extorqueret; clientelæ tamen vinculo obſtrictus & Chriſtianis ſacris initiatus, pro *Rollone Robertus* vocari voluit. Manſit Normanniæ nomen, extincta licet intra duo ſecula Rollonis familia, & poſt breve Anglorum Regum in illam imperium, ſub Gallicorum Regum poteſtantem ditio redacta eſt. Hujus hiſtoriam poſt non paucos alios molitus eſt Autor, & primam ejus partem A. 1688. exhibuit. Deſcriptionem regionis in præfatione præmiſit, brevem quidem ſed accuratam. Laudat eam a ſitus commoditate, a fertilitate, ab ingenio & virtute incolarum, magnaque frequentia. Numerari dicit in illa plus quam quinquaginta urbes, inter quas primum locum tenet *Rhotomagus* (Rouën) Archiepiſcopatu & tribunali ſupremo, quod *Parlamentum* vocatur, nobilis. Sex aliæ Epiſcopali titulo inſigniuntur; *Bajocaſſes* (Baieux) *Abrincæ*, (Avranches) *Ebroicæ*, (Evreux) *Sagium* (Seez) *Lexovium* (Liſieux) & *Conſtantia caſtra* (Contances.) Vici populoſiores bis centum; parochiæ quater mille & ducentæ eſſe perhibentur. Dividitur provincia in ſuperiorem & inferiorem, & utraque in diverſas præfecturas, quarum deſignatio ex Autore peti poteſt. Deſtinavit librum primum hiſtoriæ antiquæ, ſive geſtis ante occupatum conceſſumque Rolloni Ducatum; cujus tempus Autor ad annum 912. refert; vetuſtius alii aſſignant. Vid. *Calviſius in anno 876.* Libro II. & primi illius Ducis Rollonis ſive Roberti, & ſucceſſorum ejus acta ſuccincte narrantur ad *Guilielmum* usque *ſecundum*, illegitimo quidem toro natum, ſed ad Angliæ regnum anno 1066. evectum, unde *Conqueſtoris* nomen vulgo adeptus eſt. Ab

hujus hiſtoria variis eventibus notabili incipit Liber tertius. Succeſſit Guilielmo, licet primogenitus eſſet, ex paterna diſpoſitione, in Ducatu Normanniæ *Robertus ſecundus*, perditis moribus parique fere fortuna. Expiaturus tamen juventutis vitia, ſuſceptæ Pontificum auſpiciis in Palæſtinam expeditioni nomen dedit, dignusque, ut Autor ſcribit, habitus fuit, qui inter competitores regni Hieroſolymitani anno 1099. locum haberet, quo tamen ultro, redeundi in patriam ſtudio, ceſſiſſe dicitur. Abſente illo frater *Guilielmus II* Angliæ Rex *Normanniam* ſive ſuo, ſive Roberti nomine tenuit. Hoc mortuo Robertus ſucceſſionem regni jure ſibi deberi exiſtimans, *Henricum* fratrem juniorem, qui Angliam invaſerat, armis petiit, infauſto ſucceſſu. Victus enim oculis orbatus eſt a fratre & in carcerem conjectus, qui ei poſt annorum XXVIII. miſeriam, vitæ finem attulit. Ita Henricus, cui Guilielmus pater non niſi pecuniam ſuam legaverat, hunc tamen eventum ominatus fuerat, & Angliæ regno & Normanniæ Ducatu potitus eſt, ad annum usque 1135, ejusque morte, Rollonis ſtirps maſcula defecit Finitur etiam in hoc anno pars hæc hiſtoriæ prima. Verum illam additionibus quibusdam illuſtravit Autor, indicando libros, quibus uſus eſt, & delineationem trium reliquarum partium. Harum alteram deducturum ſe eſſe dicit ad regnum usque Caroli Pulchri Galliarum Regis; tertiam ad Ludovicum XII; quartam ad Regem, qui hodie rerum potitur. Affert etiam & examinat diſſenſiones autorum in deſcribendis finibus provinciæ ejusque diſtributione. Inſerit nomina regiorum præfectorum & magiſtratuum, qui hodie præſunt. Refutat eos, & nominatim *Farinum* quendam, qui Rhotomagenſis urbis antiquitatem ad Julii Cæſaris tempora referunt, cum longe poſt Ptolomæus primam ejus mentionem fecerit. Errare dicit eos, qui Cæſarem ex Normanniæ littore in Angliam transfretaſſe opinantur, & portum Iccium cum celebri autore *Du Cange* pagum eſſe cenſet Caleto vicinum, quem *Viſſan* nominant. Circa etymologiam locorum, quam affectatione Romanæ antiquitatis aliqui formant, dubia ſua aperit. Ajunt enim, parum probante Autore, *Cadomum* (Caen) dici quaſi Caji domum; probabiliori tamen conjectura, quam eorum, qui nomen loci a Cadmo Thebano, imo a Chamo Noachi filio accerſunt; Caino forte, ut ait, eundem honorem habituri, niſi diluvium obſtaret. Ex *Lillebonne*,

bonne Juliobonam ſecerunt, ex *Cherbourg* Cæſarisburgum, ex *Giſors* Cæſortium. De tempore, quo Galli ad Chriſtianiſmum converſi ſunt, præfert eorum ſententiam, qui id in dimidio ſeculo tertio ponunt; diſceptare tamen non vult cum Baronio & aliis, qui ſub finem ſeculi primi Apoſtolicos viros in Galliam veniſſe putant. Notum eſt ex plurimis Gallicarum rerum ſcriptoribus, eſſe in Normanniæ tractu Caletenſi (*pais de Caux*) Dynaſtiam quandam, quæ *Yvetot* dicitur, ab omni Regum imperio immunis, & ideo regni nomine vulgo celebrata. Origo ad Clotarium Regem refertur, qui Dominum loci, *Gualterum*, ex præcipiti iracundia, ſupplicem licet & Pontificis commentatitias afferentem obtruncaverit, dein pœnitentia ductus, liberis & poſteris cæſi privilegium iſtud conceſſerit. Hanc hiſtoriam in dubium vocarunt recentiores, cum ſatis vetuſta & authentica documenta deſiderarentur. Autor tamen non audit eam falſi condemnare. Poſſideri tradit locum hodie ſub Principatus titulo a familia *de Cervant Cingé.* Sunt & alia in additionibus, quæ eruditionem & induſtriam Autoris probent. Candor quoque laudandus eſt, cum barbariem ſeculorum, de quibus tractat, non diſſimulat. Taxat ruditatem Cleri malasque artes, quibus Eccleſiaſticas dignitates invadebant. Non tacet Principum & Magnatum frequentiſſima crimina, latrocinia, ſævitiam in parentes & fratres, tyrannidem in ſubditos, ſtupra, adulteria, raptus, perjuria; tum ſtultiſſimam opinionem, quaſi iſthæc omnia, continuata licet & repetita, expiari & compenſari poſſent erogatione in pauperes, & exſtructione templorum & monaſteriorum, aut militia ad recuperandam Palæſtinam. Notabilis eſt epicriſis de Guilielmo I. Angliæ Rege, de quo pag. 223. Lib. III. ſcribit: *Erat valde religioſus, ſed pietate non ſatis diſcreta. Imbutus enim erat opinione, qua multi Principes, qui credunt, licite quæri omnibus modis incrementa potentiæ & fortunæ, dum compenſatio fiat largitionibus in pauperes, & ſtructura templorum.* Interim præter ea, quæ antiquiora ſunt, ad triginta monaſteria numerat Autor ſub finem libri III, quæ ſeculo undecimo in Normannia, vix alio, ut videtur, titulo aut motu condita fuerunt. Celebrat tamen idem pietatem & diſciplinam monachorum quorundam, ut & Epiſcoporum, qui ſanctorum cognomentum adepti ſunt, non ſolum ante Normannorum adventum, ſed & poſt eum ſeculo XI. utcunque barbaro. Fuerunt

etiam

etiam in Normannia, qui illo tempore ſcriptis fidem Eccleſiæ defenderunt: *Lanfrancus*, Abbas Cadomenſis & poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis; *Durandus* Feſcampenſis & *Guitmundus* monachus, Berengarium refutantes. Illuſtrium & nobilium familiarum rationem habuit Autor, indicem exhibens eorum, qui Guilielmo in acquirendo Angliæ regno & cruenta ad *Haſtingam* contra Haraldum pugna; tum qui Roberto filio ejus, in expeditione Syriaca adfuerunt. Virorum quos Normannia tulit, noſtra vel patrum memoria, literis illuſtrium quosdam in præfatione commemoravit Autor, nempe *Perronium* Cardinalem, *Feuardentium*, *Turnebum*, *Launoyum*, *Poſtellum*, *Faurum*, *Bochartum*, *Malherbium*, *Cornelium*, *Seracinum*, *Brebeufium*, *Mezerajum*, *Scuderium*, *Segraiſium*.

RELAZIONE D' ATHENE.

i. e.

Relatio de Athenarum urbe, nec non provinciis Attica, Phocide, Bœotia & Eubœa quas A. 1674. *Cornelius Magnus* Parmenſis peragravit; publicata A. 1688. ac Emin. & Rever. Dn. Cardinali ACCIAOLIO, Legato Ferrariæ, dedicata.

Parmæ, impenſis Galeatii Roſati 1688. in 4to.
Conſtat plagul. 18 cum fig. æneis octo.

ITinerarii Turcici partem primam Autor hic Venetiis A. 1682. edidit, prout vel ex *Actis Eruditorum* A. 1684. p. 52. ſeqq. patet. Dum vero ſecundo tomo digerendo & perpoliendo inſudat, VENETI Athenarum urbem victricibus armis in poteſtatem ſuam redigunt. Anſam hinc arripuit Noſter, epiſtolam hanc datam Athenis XV. Dec. 1674. ceu prodromum non minus, quam partem majoris operis in lucem emittere. Sed nos titulum indicaſſe, ſufficere arbitramur; cum non tantum propediem forſan integrum Itinerarium viſuros nos eſſe ſperemus, ſed & in perlecto hoc ἀποσπασματίῳ eadem plane animadverterimus, quæ ex *Jacobi Sponii* & *G. Wheleri* operibus perquam nota fore Lectori, confidimus. Optime tamen factum eſſe putamus, quod Auctor hæc civibus ſuis potiſſimum uſui futura, non amplius

amplius intra privatos parietes deliteſcere voluerit; cum *Whelerus* non niſi Anglice & Gallice extet, *Sponium* vero eodem demum anno octogeſimo octavo Caſimirus Freſcotus, Monachus Caſinenſis (autor *Memorandorum Dalmatiæ* ad Acta Eruditorum A. 1688. p. 41. relatorum) in Italicum idioma transtulerit, typisque Bononienſibus in duodecima forma ediderit.

OSSERVAZIONI INTORNO AL BOSFORO TRACIO.

i. e.

Obſervationes de Boſphoro Thracio ſive canali Conſtantinopolitano, recenſitæ in Epiſtolæ ad Sacram Regiam Majeſtatem CHRISTINÆ SUECORUM REGINÆ, a *Ludovico Ferdinando Marſilio*.

Romæ, impenſis Nicolai Angeli Tinaſſii. 1681, in 4to.

Conſtant plagulis 14. & tab. æneis. 3.

QUamvis Petrus Gyllius Albienſis, Philoſophus Philologusque ſuperioris ſeculi ſuo merito clariſſimus, *Boſphorum* hunc, (aut, ſi mavis, *Boſporum*) peculiari libro deſcripſerit, totque itinerariorum Conſtantinopolitanorum conditores prolixius de eo agere haud neglexerint; *Ludovicus* tamen *Ferdinandus Marſilius*, myſteriorum naturalium indagator feliciſſimus, propria induſtria non pauca in eo obſervavit, quæ alios eruditorum hactenus fugerunt. Digna hinc ea cenſuit, quæ non cum Regina tantum ſibi faventiſſima, ſed & cum univerſa eruditorum republica communicaret.

Præmiſſis igitur nonnullis de *nomine, ortu* & *finibus* Boſpori, p. 13.
obſervat omnium primo, quatuor flumina unico illo alveo, ſed diver- 22.
ſiſſima ratione, decurrere. Ex his *primarium* e Ponte Euxino per alveum Boſporanum in Propontidem, adeoque a Borea & Cæcia verſus Africum defertur. Reliqua curſum huic e diametro oppoſitum tenent, *duo* nempe ab Africa ad Cæciam, *tertium*, ſub Chalcedone exoriens, ab Auſtro ad Boream tendunt, univerſa autem poſt milliaria aliquot a primario flumine ſiſtuntur atque deficiunt. Horum fluentorum primum ex aquis dulcibus, ſecundum vero & tertium ex regurgitatione fluminis principalis oriri, Marſilius cenſet, id quod Lectori

 exam

ex ampliſſima atque accurata ænea tabula Geographica, qua opus ſuum mirum in modum illuſtravit Autor, ad oculum patebit.

p. 24. Curſum deinde fluminis primarii remiſſiorem eſſe notat, ubi ampliori alveo continetur, quod ſit tum circa ejus ortum ex Euxino, tum circa ejus exonerationem in Propontidem; intenſiorem autem fie-
27. 28. ri, ubi alveo arctiori coeracetur aut litoribus alliditur. Apud turrim Leandri inſtrumentum aliquod ligneum cum rota in canali collocavit Marſilius; hujus dein circumgyrationes ad pendulum unicas $8\frac{5}{8}$ pedis Romanæ menſuræ longum numeravit, atque intra centum vibrationes penduli rotam ab adverſo flumine impulſam 38 circumgyrationibus defungi animadvertit, quæ aliquanto plures fuiſſent, niſi rota aliquid detrimenti ſub ipſum examinis initium paſſa fuiſſet. Collegit hinc, curſum fluminis, ubi per anguſtias illas famoſiſſimas caſtellis utrinque obſeptas tranſit, tertia adhuc parte velociorem incitatioremque eſſe.


34. Sequitur dein tabula variarum altitudinum Mercurii, tubi Torricelliani beneficio obſervatarum Conſtantinopoli in Ponto Euxino ſive mari nigro, in mari Adriatico, itemque in Bithynia ſub Olympo
37. monte, cum hac concluſione: *Differentia Mercurii in utroque illo mari, ſumta ſecundum medias altitudines, valde eſt ſenſibilis; quoniam Conſtantinopoli eſt unciarum 39, Venetiis vero unciarum $40\frac{1}{4}$, juxta menſuram Romani pedis; hoc eſt, aſcendit altius in Adriatico, uncia $1\frac{1}{4}$, itemque ſub media parte Olympi, mari imminentis, unciis $5\frac{1}{4}$, ac in Bo-*
36. *ſporo facere ſolet.* Unde liquet, *Pontum Euxinum multum altiorem eſſe mari Adriatico.*

Venti, qui cumprimis Boſporum perflant, ſunt *Vulturnus* & *Boreas*, e quibus hic tot vere & autumno ſolus ferme ſentitur, ille reliqua anni parte cum aliis variis ventis diviſum ac alternis quaſi tenet imperium. Baroſcopium illis in oris contraria deſignat iis, quæ in Italia deſignare ſuevit. Nam quando in Italia aſcendit Mercurius, ſerenum fore diem ſequentem, quando deſcendit, nebuloſum fore, conjicitur. In Boſporo autem Vulturnus, quanta vehementior fuerit, tanto magis dejicit Mercurium, & calorem ac ſerenitatem diei ſecuturæ promittit; Boreas autem, quanto majori impetu ruit, tanto magis Mercurium extollit, ac ſequentum diem frigore horrentem, nebulisque ac nubibus obſitam fore, certiſſimo argumento eſt. Agit

hinc

TAB. IV. *Ad Supplement. Sect. IV. pag. 209.*

Fig. 1






Fig. 2.



hinc Auctor de Boſpori *fluxu* & *refluxu*, inſenſibili pene, ideoque a multis negato, a ſe tamen inde ab 21. Febr usque ad 25. Apr. 1680 ſingulis fere diebus obſervato; addit etiam obſervationum diarium in tabula expanſum. Hactenus autem de ſolo aquarum *ſuperficialium* motu actum fuit, quem nec aliis non obſervatum putamus. At altius penetravit ſpeculatio Marſilii, & motum inferiorum ſeu *ſubterlabentium* aquarum Boſporanarum indagavit, motui ſuperficialium aquarum diametraliter oppoſitum. Cum enim navigium ſuum ipſo in flumine, quantum pote, immobile reddidiſſet, funem cum appenſo plumbo in aquas demiſit, qui primo per aliquot paſſus Turcicos impetu fluminis ſuperficialis a ſeptentrione verſus meridiem propulſus, mox cum plumbum profundius demiſſum eſſet, extremitate ſua a meridie in ſeptentrionem repulſus fuit, id quod explicatura funis ſupra aquas conſtitutus animadvertit Marſilius, certior dein variis piſcatorum Turcicorum relationibus factus, eandem rem toto anno a ſe obſervari ſolere. Paradoxi hujus rationem arceſſit ex principio, *levius propelli a graviori*. Infra enim probabit, aquas ſubterfluentes ſuperficialibus graviores eſſe granis decem. Hinc experimentum fieri jubet h. m. Sumatur vas, (quale in FIGURA I. conſpicitur,) diviſum in duas partes æquales X, Z, pariete transverſo A C habente in ima ſui parte foramen D. in ſuperiori autem parte foramen E. Obturato deinde foramine D, pars X impleatur aqua ſalſa ejusdem ponderis, ac ſubterfluens Boſporana eſſe ſolet. Pars Z impleatur aqua æquali aquis ponti Euxini, quæ in locis Conſtantinopoli proximioribus ad rem coquinariam non ineptæ ſunt. Aperiatur mox foramen D, ac ſtatim cernes, aquam X per D ruere in Z, & aquam Z per D in X; id quod ſagittæ in figura deſignant. Gravior enim aqua propellet leviorem ex loco illo inferiori ac extollet, ut dein per foramen ſuperius in locum a graviori ſubſidente vacuefactum ſeſe recipiat. Motusque hic aquarum tamdiu durabit, donec aquæ illæ diverſi generis in unum homogeneum ſufficienti permixtione abierint; qua in parte vas illud differt a Boſporo, utpote in quo motus ille utriusque generis aquarum perennis eſt, ob perenne, quod habent, motus ſui principium, *ſubterfluens* nempe fontes, *ſuperficialis* pontum Euxinum. Hoc ut magis pateat in experimento, Marſilius jubet ſiphones vitreos retortos inſerere vaſis, quæ ſupra deſcriptis aquis repleta fuerint. Sta-

p. 42. 50. 61. TAB. IV. Fig. I. 65.

 tuit

tuit dein *ſubterfluentem*, ſtudio ſeſe jungendi alicubi aquis dulcibus ſeu fontanis, ad mare nigrum ſeu Pontum Euxinum properare, gravitateque ſua aquas illus marinas ſuperficiales loco ſuo movere, & ut in locum illum, unde hæ venerant, defluant, easdem incitare; quo ſuppoſito, perceptu facilius fore putat, qui fiat, quod Pontum Euxinum nunquam aquarum copia deſtituat, utut inſanam adeo illarum molem tota die per Boſporum in Propontidem emittat.

p. 68. Aquæ Boſporanæ colore nigro tinctæ videntur; quapropter & ipſe Pontus Euxinus *Mare nigrum* appellari conſuevit; in ampliſſimo tamen mari magis nigricant ac in canali anguſtiori. Cauſſam rei illius aut fundum arenoſum, aliis fundis marinis diſſimilem, aut denſiſſimas nebulas mari illi tantum non ſemper incubantes eſſe, Marſilius opinatur.

70. Inquiſivit etiam Autor in pondus (&, qui hinc patet, gradum ſalſedinis) aquæ marinæ. Id quod per *ampullam* quandam *hydroſtaticam* (ad ductum *Geminiani Montanarii*,) feliciter ſucceſſit, uti vi-
72. dere eſt in *tabula ponderum*, ex qua duo poſtrema experimenta tantummodo excerpenda ducimus, ut nimirum appareat diſcrimen inter aquarum ſuperficialium & ſubterfluentium gravitatem:

Locus experimenti.	*Menſis.*	*Pondus.*
In *Biſectas*, ubi novum Regis Turcici ſeralium eſt; aqua ſuperficialis.	28 Junii 1680.	Gr. 61¾.
Ibidem aqua profunda.	eodem die.	Gr. 71. ¾.

78. Hanc aquam profundam ut appendere poſſet, vas adhibuit valvula clauſum, quod ubi in fundum demiſſum fuiſſet, fune aliquo operire aquiſque replere novit.

Cæterum in *Boylei* ſententiam concedit, marinas aquas ſaporem ſuum non *ſali* tantum acceptum ferre, ſed & *bitumini*, cui ſemper jungi ſoleat *ſulphur* aliquod, unde is non *ſalſus* tantum, ſed &
79. *amarus* evadat. Hac de re non dubitandum ulterius autumavit, ex quo fontem aliquem aquæ dulcis bituminoſum inſpexit, in *Tiaci*, (loco decem millibus a Zacyntho urbe remoto,) repertum, ac in mare ſe exonerantem, quo de in epiſtola aliqua ad *Marcellum Malpighium* ex
81. profeſſo egiſſe ſe refert. Accedit, quod in Propontide, ex adverſo urbis Heracleæ, filamenta bituminoſa aquis innatare deprehenderit,

quæ

quæ ſuperſtitioſiores navitæ oleum eſſe credunt proveniens e corporibus ſanctorum, qui naufragio perierunt, dum eorum cultores, propriæ etiam ſaluti fuga conſulturi, injuriis Turcarum Conſtantinopolin occupantium ſubducere ea laborarunt. Hinc Græculos peplis candidis ſumma cum veneratione ſpurias illas reliquias excipere ſolere, Marſilius notat. Longum foret, cætera experimenta de bitumine marino commemorare. Sufficiat unicum. Tentaverat Marſilius, ſaporem aquæ marinæ ſale injecto aquæ fontanæ conciliare, ſed fruſtra. Illa enim nonniſi turbulentior hinc facta fuerat ac ſalſedinem contraxerat. Deerat autem amaror, aquis marinis familiaris. Bitumen ergo liquefactum aquæ ſuæ injecit Noſter, ac quanto ſæpius id faceret, tanto magis amaram & marinum quid exactius ſapientem deprehendit eam; vidit tamen inſimul, podus aquæ decreſcere, quod hæc magis magiſque per bituminis calorem rarefieret, aquæ autem calidæ leviores eſſe ſoleant frigidis; unde & marinæ aquæ leviores ſint æſtate, quam hyeme. p. 90. 91.

Sub epiſtolæ finem enumerat Autor *piſcium* genera, quæ in Boſporo diverſis anni tempeſtatibus reperire eſt. Prolixius autem agit de *Teſtaceo* quodam, quod menſe Auguſto margaritas gignit ac enititur, quodque Turcis *Midia, Midula*, Aldrovando ac Plinio fortaſſis *Mya* appellatur. Formam ejus ac magnitudinem ſi noſſe juvat, ex icone II. haurire eam integrum erit. Vides heic conchas duas apertas, unitas per muſculum transverſum A, quo & colligantur & moventur. Ex inferiori ejus parte muſculus B. in longum porrigitur ad inſtar medullæ ſpinalis, bifurcatus initio, dein indiverſus usque ad locum C, ubi rurſus diviſus in inferiores concharum partes ſeſe inſinuat. Hunc ſi e conchis extraxeris, figuram C referet. Exterius albicat & ſubſtantia ejus omnino muſcularis eſt. Fibræ enim, quibus pars A conſtat, transverſe ſitæ, utrinque ſe contrahunt, ubi eas a reliqua mole abſcideris, extremitate autem ſua in compagem concharum ſeſe ingerunt texturamque illarum teſtaceam conficiunt. In muſculo B diligenter ſeparato non fibras tantum carneas in longum protenſas notabis, ſed & intra eas exiſtentem tubum filamentis aurei coloris refertum, quæ cum muſculo A continuantur, ipſique illic & ſubſtantia & colore conformes ſunt. Procedunt hæc per tubum muſcularem B in locum C, ac conſtituunt *caudam* quaſi obſcurioris coloris. Filamenta 93. 98. Fig. II.

menta illa *tendinem*, aut corpus mechanicum tendini analogum, merito dixeris, cum animal, porrecta hac cauda, inſtar manus, lignis, lapidibus, arenæ firmiter adeo inhæreat, ut a piſcatoribus violenter inde abſtrahi eam oporteat, quo facto, manum illud ſuam intra conchas retrabit. *Membrana* F in figura, convulſa & contracta ſiſtitur, cum alias totam concharum partem interiorem tegat. Foraminum ea pleniſſima eſt, continetque materiam quandam fluidam, viſcidam, flavam inſtar vitelli. Natant in hac margaritæ permultæ, quæ quanto proximiores animali ſunt, tanto ſunt minores, quanto magis hinc remotæ, tanto majoris: unde *Stenonis* ſententia probabilis reddita fuit Marſilio, magaritas eſſe portiones excrementi ſive glutinoſi ſudoris, quem ſingulis diebus animal illud per cutis ſuæ poros excernat. Indicis tamen margaritis Boſporanæ cedunt & albedine, cum plumbei coloris ſint, & figura ſphærica, quam fruſtra in eis requiras.

Hæc ex opuſculo hoc eleganti ad Acta referre viſum fuit. Autor illius, cum extremam ei manum imponeret, expeditioni bellicæ ſeſe accinxit; ubinam vero terrarum nunc degat, numve adhuc in vi-
p. 92. 107. vis ſit, æque ignoramus, ac utrum, quas promiſit, *Obſervationes de Phoſphoris naturalibus* & de *Imperio Ottomannico*, publici jamjam juris fecerit.

L' AVOCAT DES PROTESTANS, OU TRAITE' DU Schiſme &c. contre les objections des Sieurs Nicole, Brueys & Ferrand, par le Sieur A. D. V.

i. e.

Advocatus Proteſtantium, ſeu Tractatus de Schiſmate, in quo Separationis Puoteſtantium ab Eccleſia Romana factæ juſtitia demonſtratur, contra objectiones Nicolii, Brueyſii & Ferrandi.

Amſtelod. apud P. Mortier 1686. in 12. Plag. 11.

EVitatis, quas a Clero Gallicano & vitæ & libertati metuebat, inſidiis, ex loco tuto Eccleſiæ Romanæ violentiam impugnare non minus juſtum quam neceſſarium Autori viſum fuit; quanquam ipſius Eccleſiæ Gallicanæ reformationem ſperare audeat, non tamen a Clero

aut

aut Epiſcopis, ſed a Principe ad Salomonis inſtar, Chriſto, qui per manus ſanguinolentas id fieri nolit, templum ædificaturo ſuſcipiendam. Contra *Ferrandi* hanc theſin: *ſe illis accedere, qui hæreticos non occidunt, eosque imitandos eſſe; ſe tamen credere, id permiſſum eſſe, nec damnare, qui ſupplicio afficiendos ſiſtunt; utrosque bene facere, priores vero melius*; ita infert: Aut Deum permittere Principi, „ ut hæreticos occidat, aut non permittere. Si prius, Principes, quo-„ cunque tempore periculum ab iis metuant, in conſcientia ad id ob-„ ligari, oppoſitionemque iis factam Deo ipſi factam videri. Sin po-„ ſterius, quicunque eos ita puniat, homicidii reum evadere. Ideo-„ que idem eſſe, ac ſi dixiſſet, ſe illis accedere, qui veneficos & parri-„ cidas ſupplicio non afficiunt, licet hoc permiſſum autumet; qui ipſos „ tolerent vel tollant, bene facere, priores tamen melius. Hic de ipſius Schiſmatis natura agit, quod illud ſeparationem injuſtam denotet, nec in novorum templorum extructione, aut novarum congregationum inſtitutione, ex qua Pontificii Proteſtantibus ſchiſmatis notam impingant, ſed charitatis ruptura conſiſtat; hujus vero ipſos Romano Catholicos reos fieri, qui Proteſtantibus denegent, quod Eccleſiis orientalibus ſibi reunitis conceſſerint, ut ritus ſuos retinere ipſis liceat.

Brucyſium ſtatuentem, Reformatos non habuiſſe jus ſe ſeparandi, quia errores fuerint tolerabiles, falli ex eo, quod dogmata Romana in ſe ſaltem reſpiciat citra praxin credendi; v. g. purgatorium & preces pro defunctis tolerabiles videri, ex circumſtantia vero annexi anathematis intolerabiles fieri. Cum vero *Ferrandus* tolerantiam adeo extendat, ut non niſi propter hæreſin & idololatriam communio diſſolvi debeat, cur ergo Roma tot myriades hominum ob errores minus graves a ſe ſeparavit? Cumque Auguſtinus eos, qui in ſinu ſunt, excommunicatione feriri nolit, etiamſi ſchiſma metuendum ſit, cur ergo Leo X in Lutherum ejusque aſſeclas eadem animadvertere properavit? *Nicolio* argumentanti: *Proteſtantes, quia absque temeritate, an Eccleſia Romano errorum cum ſalute pugnantium rea, cœtus vero ſuorum iis vacuus ſit, judicare non potuerint, circa ſchiſma ab illa ſeparare ſe non potuiſſe*; reſpondetur: quæſtioni, an Reformati juſte ſe ſeparaverint, inhærendum eſſe, & diſcutiendum, an absque temeritate Romam errorum talium accuſare potuerint; minime vero

adden-

addendum, an, quod propria ſuorum ſocietas iis caruerit, absque temeritate judicare potuerint. Certum enim eſſe, probatis erroribus, ſeparare ſe potuiſſe, & unum cœtum alterum errorum mortalium accuſare poſſe, licet ipſe talibus obnoxius ſit; exemplo Græca Eccleſiæ Romanam hæreſeos & tyrannidis arguentis, licet ipſa iis non careat. Ita licet Reformati a Romanis errorum mortalium convincerentur, hos tamen ſeparationem eorum improbare non poſſe, ſi modo idololatriæ, hæreſeos vel tyrannidis ab illis rei conſtituantur. Probandum itaque prius eſſe, Reformatos non potuiſſe per ſe ipſos cognoſcere, an Roma ſi rea idololatriæ, quando e. g. buccellam panis pro Creatore ſuo, aut imagines coram illis proſtrata adorat. Contrarium enim ex lectione primi præcepti ſtatim eniteſcere. Nec obſtare objectionem *Nicolii*, ignorantiam linguarum, & differentias verſionum, ſimpliciorum judicium impedire. Scripturam enim, maxime N. T. ab utraque Religione pro divina haberi. Omnes Chriſtianos de capitibus ad ſalutem neceſſariis vel ex ſolo N. T. ſatis inſtrui, adeoque & ſimpliciores ex ipſis adverſariorum verſionibus fidem ſuam, eorumque errores mortales probare poſſe. Romanis igitur neceſſitatem incumbere aut reſpondendi ad probationes a Reformatis adductas, aut probandi alia religionis capita, quam ibi continentur, & ita Eccleſiæ h. e. Papæ, Epiſcoporum &c. placita admittenda eſſe. Urgenti porro antagoniſtæ, ſimpliciores non eſſe capaces judicandi, num ſua fides ab omni errore damnabili immunis ſit; contra neceſſe eſſe, ut damnabiles Eccleſiæ Romanæ errores cognitos habeant; item tot ſanctos contrarietatem talem in principiis fidei eſſentialibus non obſervaſſe; arrogantiam itaque ſapere, opinionem ſuam Eccleſiæ autoritati præferre velle; regerit: ſciendi neceſſitatem negari, condemnandi vero, ubi notitia impetrata eſt, omnino affirmari. Ita etiam Judæos in Chriſtum credentes majus præ doctoribus ſuis lumen habuiſſe, & Berrhoenſes ad normam Scripturæ Pauli dicta revocaſſe. Inſuper format ejusmodi caſum: cum nulla Proteſtantium Eccleſia in *Iſpahan* inveniatur, Neſtoriani vero, Armeni & Romani ibi locum habeant, quid ſtatuendum, ſi Mahammedanus veritate religionis Chriſtianæ agnita, prævia que articulorum fidei capitalium comparatione, omnes Chriſtianos illos idololatras deprehendat? Statuit autem quod nulli eorum ſe aggregare, & nihilominus apertam Chriſtianiſmi profeſſionem edere debeat. Subjungit

jungi deinde, eos qui inter Catholicos Chriſtianiſmum profitentur, Proteſtantium ſacra amplecti & ab idololatria Romana ſecedere obligatos eſſe; ſi vero eodem tempore, quo cultum impium inter Romanos deprehendunt, inter Proteſtantes quoque errores mortales obſervent, tunc neutros permanere, & utroſque divinæ miſericordiæ commendare debere. In Romana vero vel Broteſtantium Eccleſia natis tamdiu ibi perſeverandum eſſe, donec a Deo illuminati, bene an male locati ſint, intelligant. Cum hoc tamen diſcrimine, ut impii cultus in Romana Eccleſia notitiam adeptus, ibi commorari diutius nequeat; viciſſim vero Proteſtantium Eccleſiam, utut mortales errores ibi deprehendat, deſerere non debeat, eo quod membra ejus ſub anathematis pœna ad eos credendos non compellantur, atque adeo quilibet Chriſtianus, quamdiu toleratur, ibi commorari poſſit.

Dum Eccleſiæ articulum reliquos omnes includere, ejusque teſtimonium non fallare *Nicolius* ſuſtinet, melior decidendi via ex Evangelico opponitur. Hoc enim vocem divinam eſſe omnes fatentur; omnes itidem illud articulos complectitur, atque veritatem vel falſitatem cujusvis novæ doctrinæ detegit, & ob Spiritus S. in verba humiliter & fideliter lecto & expenſo præſentiam, indubitatem teſtimonium perhibet; quod neque de Eccleſia, neque anathematibus Tridentinis æque prædicari poteſt.

Adverſus argumenta denique, quibus Eccleſiam Reformatorum ſchiſmaticam eſſe *Nicolius* evincere conatur, reſponſiones ſuas reponit Auctor. *Primum* deſumtum eſt *a notarum veræ Eccleſiæ, amplitudinis nimirum & viſibilitatis perpetuæ defectu.* Sed notas has autoritate Auguſtini firmatas non admittit noſter. Patrem enim iſtum multa ſtatuiſſe, quæ veritati repugnent, e. g. damnationem infantum absque baptiſmo & euchariſtia decedentium; hæreticos ultimo ſupplicio afficiendos eſſe: Deum multa millia elegiſſe & reprobaſſe citra reſpectum ad fidem & perſeverantiam, aut peccata propria habitum: Chriſtum non pro omnium ſalute mortuum eſſe: Deum prædeſtinatos convertere per gratiam irreſiſtibilem &c. Allegatum locum Eſ. 54, 1. non magis probare amplitudinem perpetuam, quam Nicolium Papam eſſe, ſed potius Hieroſolymam cœleſtem plures producturam liberos, quam terreſtrem. Pſ. 2, 8. de Eccleſia non loqui, ſed

Chriſtum fore dominum & regem omnium populorum, eosque in die iræ ſuæ in ordinem redacturum, licet eum non recipiant. Matth. 26, 13. dici, ubi Evangelium prædicatum fuerit, mulieris quoque factum prædicatum iri; ſed nihil ibi haberi, quod ab omnibus, & omnibus locis, & omni tempore ſit recipiendum, inque ſua puritate ſemper & abſque mixtura hæreſium perſtiturum, aut recipientes eccleſiam viſibilem conſtituturi ſint. Nec Matth. 28,20. it. c. 16,18. de viſibili Eccleſia accipi debere, ſed Chriſtum habiturum corpus myſticum, & veros fideles, quales etiam in corruptiſſimis ſeculis habuerit. Sic Matth. 5, 14. c. 7, 24. de extenſione & amplitudine viſibili & perpetua non magis, quam de Regno Chinæ aut Mogulis intelligenda eſſe, ſed rectius de publica teſtium veritatis confeſſione, quæ inviſibilis non manſerit, licet hoſtes oppreſſione ſua eos inviſibiles reddere conati fuerint. II. *Reformata Eccleſia eſt ſchiſmatica, quia nova.* Reſpondetur: nova ſit nec ne, nihil ad ſchiſma. Diſtinguitur inter perſonas & fidem. Perſonas tam in Romana quam Reformata Eccleſia novas eſſe: fidem vero hujus nemini novam eſſe, niſi iis, qui fidem & cultum corruperint, & corruptionem pro prima antiquitate, & primam antiquitatem pro novitate accipiant. Inſtantiæ, *Proteſtantes ſe non univiſſe Eccleſiæ cuidam viſibili & ſubſiſtenti*, regeritur, univiſſe ſe eos omnibus veris Chriſtianis, paratos eos pro membris agnoſcere, quamprimum notitiam eorum adepti fuiſſent. Univiſſe ſe Eccleſiæ Chriſti reliquiis, inter Waldenſes, Albigenſes & Wicleſiſtas ſuperſtitibus. Unione externa nihil opus fuiſſe. Chriſto vera fide unitum eo ipſo ejus uniri corpori, quocunque terrarum loco reperiatur. III. *Proteſtantes ſunt ſchiſmatici, quia privata eſt eorum Societas, quæ non poteſt habere Spiritum S. & remiſſionem peccatorum. Cur? quia veræ Eccleſiæ, in qua ſolum vita & remiſſio peccatorum invenitur, ſe non aggregaverint.* Reſpondetur: eo momento, quo quis fidelis fit, Spiritum S. & remiſſionem peccatorum accipit. Nec enim Eccleſia, aut externa cum ea conſociatio, Spiritum S. & vitam, h. e. fidem charitate animatam largitur. Si tamen Eccleſiæ veræ, quam tempore ſeparationis invenire potuerint, ſe adjungere omiſiſſent, ſchiſmatis imputatio forte locum fuiſſet habitura, IV. *Quia Eccleſias erexerunt abſque miſſione: quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10, 15. Reſpondetur: agi hic de prima prædicatione Evangelii nondum cogniti, nec cognoſcendi, niſi

niſi Apoſtoli emiſſi fuiſſent. Hodie vero, cum cognitum ſit, quilibet Chriſtianus neceſſariis donis inſtructus quavis occaſione illud prædicare poteſt. Quæ prædicatio, repetitio ſaltem Evangelii eſt. Quilibet diſcipulus novos diſcipulos reddere tenetur. In generali illa miſſione Chriſtus omnibus dixit: *prædicate.* Ex Nicolii conſenſu quilibet Chriſtianus baptizare poteſt; jam vero Chriſtus baptiſmum Evangelii prædicationi adjunxit: ergo & hæc cuilibet Chriſtiano competit. V. *Reformati deliquerunt ob uſurpatam vocationem extraordinariam.* Reſpondetur diſtinguendo inter Miniſterium, & manuductionem Dei ad Miniſterium per vocationem. Miniſterium ipſum perdurat usque ad finem mundi; vocatio vero & ductus Dei non ſemper eodem ſe modo habet. Prima Apoſtolorum vocatio fuit immediata. Hi deinde epiſcopos & presbyteros vocarunt. Hi idem hodienum faciunt. Et hæc vocatio eſt ordinaria. Extraordinaria eſt, quando Deus Miniſterio degenerante, certas perſonas zelo extraordinario armatos excitat, ut erroribus ſe opponant, & Miniſterium ordinarium a corruptione liberent. Vocatio ordinaria non ceſſat, ſed ſaltem eſt corrupta. Omnes ad Miniſterium vocati, ad Evangelium quoque pure & ſimpliciter prædicandum vocati ſunt. Si vero etiam vocentur ad docendos errores, quos Roma defendit, tunc vocatio eſt mortua ſeu mortalis, nil niſi mortem producens. Sic primi Reformatores nihil aliud egerunt, quam ut, vocatione viva ad prædicandam veritatem retenta, vocationem primam ab admixta corruptela repurgarent. Licet itaque vocatio illa extraordinaria fuerit, ipſum Miniſterium tamen ſemper manſit ordinarium, quo non mutato nec miraculis opus habuerunt, ſicut Romani opus habent, novam vocationem ad panem in Deum mutandum, calicem ſubtrahendum &c. quam aliter probare nequeunt, iis corroboraturi. Ad inſtantiam: *Crimen læſæ Majeſtatis Divinæ eſſe, uſurpare miniſterium, & ſic plebem decipere, exigendo ſubmiſſionem & obedientiam, quam falſi paſtoribus non debent;* reſpondetur: ergo Papa, & cum eo omnes Epiſcopi, criminis dicti reus erit, uſurpando autoritatem, quam Chriſtus habet, ejusque vicarium ſe appellando, & obedientiam nonniſi Chriſto debitam a populo exigendo. Reformati inde abſolvuntur, nonniſi veritatem prædicantes, & vocationem ab ipſis fidelibus dependentem, melioris ordinis ergo, dignis & idoneis concedentes. VI. *Ordinatio Miniſtrorum*

Proteſtantium eſt nulla, quia 1. a Laicis facta. 2. ordinatio eorum, qui eam a Presbyteris Romana Eccleſia egreſſis acceperunt, eſt nulla. Validitas enim Miniſterii a voluntate Chriſti pendet. Chriſtus vero voluit, ut poteſtas gubernandi Eccleſiam non a Laicis, ſed ab Epiſcopis conferatur per impoſitionem manuum. Reſpondetur: conceditur de prima inſtitutione per Apoſtolos facienda, populo tamen non excluſo. Probandum vero eſſe, Chriſtum interdixiſſe Chriſtianis Miniſtros ordinare, & impoſitionem manuum præciſe injunxiſſe. Fundari vocationem Miniſtrorum in Scriptura S. tum quoad formam, quia populus jus habet eligendi, quod ipſum autoritatem prædicandi confert, impoſitione manuum declarationis ergo ſubſequente tum quoad eſſentiam, quia tendit ad prædicationem Evangelii, remotis erroribus. De Epiſcopis ſtatuit, nomen hoc Apoſtolos Miniſtris impoſuiſſe, qui inſpectorum loco eſſe debebant; & illo tempore Epiſcopum & Presbyterum unum idemque fuiſſe; Paulum enim, dum Titum jubet creare Presbyteros in Creta, ſtatim ſubjungere, *Epiſcopos debere eſſe irreprehenſibiles.* Quam vero poteſtatem Epiſcopi Romani ſibi ſolis tribuunt, ex Scriptura probari non poſſe. VII. *Proteſtantes ſunt ſchiſmatici, quia veterem Eccleſiam deſeruerunt. Semper enim eſt una Eccleſia.* Reſpondetur: Eccleſia vera Chriſto per fidem & charitatem unita, omni tempore eſt una. Quoad externum corpus vero non ſemper eſt eadem. Fuerunt enim tempora, quibus unitas illa fidei amiſſa fuit, & ſic a corpore externo, conjunctione cum vera Eccleſia ſalva, ſeparatio juſte fieri potuit.

BARTHOLOMÆI GATTI CONSILIA; OPERA JOhannis Galliani Patricii Mutinenſis & Sereniſſimi Ducis Mutinenſis Conſiliarii Status edita.

Parmæ apud Joſeph. de Roſetis. 1688. in fol.
Conſtat plagulis 181. & proſtant Lipſiæ apud Gleditſchium.

QVanquam in munerum atque honorum collatione haud ſemper liquido conſtare videatur, utrum virtus an fortuna majores ſibi ſumat partes: admodum tamen probabile indicium eſt, utramque amico conſpiraſſe conſilio, ſiquidem vir aliquis ad dignitates, quas præſertim literarum ſubſidio contingere licet, gradatim evehi-

evehitur. Rei hujus non ignobile exemplum in Gatto deprehendimus, quippe qui primum Advocatus, poſt Aſſeſſor Curiarum, ac denique Intimi Conſiliarii locum apud Sereniſſimos Duces Mutinenſes Alphonſum IV. & Franciſcum II. obtinuit. Cumque is functionibus iſtis negotiorum varietate & gravitate probe exercitatus eſſet, ut orbi literario & poſt fata ſua monumentum quoddam relinqueret, ſex Conſiliorum Tomos collegit, quos paulo ante quam vivis excederet, Johanni Galliano de Coccapanis, æqualis dignitatis & ſinceræ amicitiæ nexu ſibi devinctiſſimo commendatos reliquit. Prodromi ergo inſtar Volumen hoc ſe ſiſtit, XXX Conſilia latius paulo (ut mos in hoc ſcribendi genere ferre ſolet) deducta exhibens. Hæc tamen ſigillatim conſiderata non diverſum ſemper & novum argumentum ſeu caſum exponunt; ut ſubinde vel tria Conſilia ad unicam facti ſpeciem pertineant, quæ *vel* ab ipſo Autore, *vel* a Johanne Baptiſta Ladercho, *vel* ab Hieronymo Auguſtono concinnata.

Ea ſub ratione Conſilio 23 (ut ordine ac numero inverſo procedamus) annectuntur Conſ. 24. 25. 26. ab Hieronymo Auguſtono exhibita; quæ inſimul illuſtrant Ducis Mutinenſis immunitatem a gabellarum præſtatione, pro vectura rerum ad fortalitia pertinentium, per Statum Ferrariæ. Sic & Conſilio 17, quod de mutatione monetæ agit, prout hoc caſu ſolutio Creditori fieri debeat, ſubjiciuntur Conſ. 18. & 19. quæ in eadem materia non minori Juris ſubtilitate, quam differendi elegantia compoſuit Ladercbus. Ipſemet Autor in Conſiliis 11. & 12. fuſe inquiſivit de validitate transactionis ſuper bonis fideicommiſſo ſubjectis in præjudicium vocatorum; quin & de ſucceſſione in Majoratibus duo Conſilia, 7. & 8. concinnavit. In quibus illud operoſe probandum ſuſcipitur, inter ſucceſſionem ad primogenituræ ſortem ſemet referentem, & Majoratum nullam prorſus intercedere differentiam; utrobique ex primogenito præmortuo natum excludere patruum ſecundo genitum, & promiſcue terminos hoſce a Baldo, Decio aliiſque Dd. antiquis fuiſſe uſurpatos; usque dum Alciatus primum ſuper Majoratu Sicameliæ conſultus, diverſos ſuccedendi modos ex lubrico verborum abuſu excogitaverit; quem Berojus, Menochius & recentiores Dd. tantum non omnes improvide ſatis ſecuti fuerint. Cætera quæ ſuperſunt Conſilia Gattum ſolum autorem laudant, & peculiari ſemper ac proprio argumento conſpicua ſunt. Ex

his adhuc adducere juvat Conſilium 1, ubi diſſeritur de immunitate a tributis ob numerum 12. liberorum. Conſ. 15. diſtincte docet, quatenus exemplar ex originali in Archivo aſſervato eransſumtum, poſtea deficiente originali fidem mereatur aut minus. Conſ. 13. ſingularem Appanagii caſum exponit. Quatenus & Princeps in Feudo Regali & hactenus diviſibili poſſit in præjudicium comprehenſorum in Inveſtituris, ſucceſſionem ad primogenituræ ſortem reſtringere, occaſione Marchionatus Someſii ad Familiam Illuſtriſſ. Comitum de Montecuculis pertinentis, in Conſ. 30. & ultimo fuſe declaratur.

NOUVELLES OBSERVATIONS, OU GUERRE CIVILE Francois ſur la Langue,

i. e.

Obſervationes novæ, ſeu Civile Gallorum ſuper lingua vernacula Bellum.

Pariſiis apud I. B. Langlois 1688. in 12. plag. 22.

Diſſimulavit nomen ſuum libri hujus Auctor, dubium qua cauſa: niſi forte latere voluit, ne magnorum in Gallia virorum, qui patriæ linguæ excolendæ ac magis magisque perpoliendæ operam dederunt, nec rem tamen acu ſemper viſi ſunt tetigiſſe, ideoque ſubinde in hoc opuſculo vapulant, incurreret odium, aut jam demortuorum famæ inſultare videretur. *Civilis* vero *Belli* titulum, quisquis libri auctor eſt, non inepte illi præſcripſerit, cum hodierni illi Gallorum Grammatici, ipſique in hac arte deincipes, mirum quantum inter ſe diſſideant, adeo ut innumeras fere voces phraſesve, ſeu vulgo Gallorum uſu quotidiano receptas, ſeu doctis quoque viris in ſcriptis publicis uſurpatas, uni alterive laudari videas ac maxime arridere, improbari vero, imo damnari aliis. Ac mireris tamen, excellentiam linguæ Gallicæ, tantis licet Criticorum litigiis obnoxiæ, ab Auctore in Dedicatoria ad Ducem Montauſerium Epiſtola iis elogiis extolli, ut eam ſeu fato quodam, ſeu jure & ex merito, monarchiam quaſi univerſalem in linguas non tantum alias omnes, ſed nationes etiam cunctas ſibi vindicaſſe profiteatur, & vel hinc Regi quoque ſuo totius terrarum orbis dominatum ominetur. Neque enim Reges cæteros ac Principes alium in finem ait addiſcendæ linguæ Gallicæ tanto ſtudio incumbe-

cumbere, quam ut ſupremi hujus ſui Arbitri juſſa eo rectius percipere capeſſereque valeant; neque eorum exemplo populos integros in Galliam, deſertis paternis Laribus & quicquid charum domi habent, opibusque eam in rem profuſis, alio ex ſtimulo confluere, ſermonisque ſibi Gallici notitiam ac uſum comparare, quam quod præſentiant, ſibi omnibus uni aliquando Monarchæ Gallico eſſe parendum. Sed id quicquid eſt jactantiæ, condonandum genio gentis, nullam non occaſionem, qua blandiri Regi ſuo poſſit, occupantis; cujus linguam non aſpernari ſolent exteri, ſuavem utique & exprimendis cum grata quadam facilitate animi ſenſis idoneam: jugum vero pauciſſimi fortaſſe ambitioſius anhelant, ſed deprecantur potius omnes & pro virili amoliuntur. Capi vero vel hinc documentum poteſt, quanto frequentiſſima illa noſtratium, & quæ præſenti bello ægre ſufflaminantur, in Galliam itinera, ludibrio & deſpicatui Gallis ipſis habeantur. Sed ad librum ipſum veniamus, de quo multa dici non attinet, cum totus criticus ſit, occupeturque in revocandis ſub examen vocabulis & phraſibus Gallicis, de quarum bonitate ac elegantia tantis inter ſe diſſidiis Grammatici gentis illius contendunt. Hæc talia vero ſermonis Gallici Magiſtris ad palatum futura ſunt; alios, qui perfunctoria linguæ notitia contenti ſunt, non magnopere afficient. Nec diffitetur Auctor ipſe, uſu loquendi omnes ſæpe illas Criticorum deciſiones eludi; imo acriter eos ſubinde ſalſeque perſtringit, qui cum neceſſe ipſimet habeant in dubiis ancillas ſuas conſulere, dicendi tamen leges cenſoria & irrefragabili auctoritate aliis præſcriptum eant; adeo ut ipſos in arte Grammatica Heroes triumviros, *Menagium*, *Vaugelas*, & *Bouhours*, cum tribus illis rigidis ac inexorabilibus inferorum apud Poetas judicibus, *Minoe*, *Æaco*, ac *Rhadamantho* comparare non dubitet.

ΚΛ. ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΠΟΙΚΙΛΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΒΙΒΛΙΑ ΙΔ.

Claudii Æliani Variæ Hiſtoriæ libri XIV, cum notis Johannis Schefferi. Editio tertia, curante Joachimo Kuhnio.

Argentorati apud Spoorium & Wæchtlerum.
A. 1685. in 8. Plagul. 68.

DE operibus Æliani, quæ ſuperſunt, optime meritus eſt Conradus Geſnerus, qui de *Animalium natura libros XVII.* primus Græce evulgavit, addita Petri Gallii Latina interpretatione paſſim emendata,

Variæ

Variæ Hiſtoriæ libros XIV, cum Juſti Vulteji interpretatione recognovit, *Tactica*, ſeu de ordinibus militaribus more Græcorum inſtituendis librum, cum Fr. Robortelli & Th. Gazæ translationibus, *Epiſtolas ruſticanas* cum Seb. Guldenbecki verſione recenſuit, junctaque hæc opera uno volumine Tiguri anno 1556 in publicum emiſit. Minoribus deinde libellis incluſa ſeorſim prodierunt ea, neque ab ullo doctorum virorum iisdem, ſi Tactica excipias, (quæ a Sixto Arcerio nova interpretatione & notis illuſtrata prodierunt) ſingularis cura adhibita fuit; donec Joh. Schefferus *Variarum Hiſtoriarum libris* operam impendit, & cum eruditis notis anno 1647. iſtos in publicum edidit, ac cum annotationibus auctioribus, ampliorique indice anno 1661, poſtquam e Germania in Sueciam ſe jam contuliſſet, iterata editione dedit. De poſtremæ tamen hujus editionis cura typographo neglecta, in Notis ad Phædrum p. 227. queritur, *tam male habitam eam fuiſſe ab iſto, & amiſſas plerasque Schedas, in quibus quid addi, quid demi, immutarive vellet, annotaverit, ut editionem aliam primo quoque tempore publicare feſtinet.* Sed hæc cum cæteris præclare deſtinatis prævertit mors, eamque provinciam in hoc ſtudio exercitatiſſimo viro Joachimo Kuhnio exornandam reliquit. Is non ſolum poſtumas Schefferi notas, auctioremque ejus Indicem, & varias e tribus MSCtis Pariſienſis bibliothecæ excerptas lectiones exhibuit; ſed Schefferi Notis ipſe quoque plurimas inſignes obſervationes & emendationes adſperſit, & ſimul a ſupervacaneis correctionibus loca quædam, quæ ſana videbantur, aſſeruit, infinitaque loca quæ obſcura erant luce eruditionis ſuæ perfudit, & Indicem Schefferianum, quam is auctiorem reliquerat, locupletiorem longe reddidit, Fragmenta etiam quæ a Suida ſub Æliani nomine proferuntur, aut ex ſtylo ejus eſſe videbantur, collegit; huncque in modum quanta maxima fieri potuit diligentia recenſitum Ælianum uſibus Ἑλληνοφίλων aptiſſimum effecit, *ſcriptorem* Tanaquilli Fabri judicio (qui hos Variarum Hiſtoriarum libros anno 1668 Salmurii cum brevibus notis emendationes ab ingenio profectas exhibentibus, quas in Kuhnio-Schefferianis notis examinatas cernimus) *terſum, venuſtum, atque elegantem, & ad ingenium puerorum, qui perpetua novitate gaudent apprime accommodatum.*

ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sect. V.

Land-Beſchreibung des Ertz-Hertzogthums Kärndten ꝛc.

ſive

Topographia Archiducatus Carinthiæ antiquæ & modernæ completa, autore Joh. Weichardo Valvaſor, Barone & Societatis Regiæ Anglicanæ Conſorte.

Norimbergæ, ſumtibus Wolfg. Maur. Endteri, 1688. fol.
Conſtat plagulis 126.

CUm nuper Carnioliæ deſcriptionem, ab eodem hoc Autore perilluſtri ita pridem editam recenſeremus, obiter mentionem præſentis Topographiæ ſimulque ſpem fecimus, plenius eam in Supplementis hiſce commemorandi, dum ſerius nonnihil ad nos delatam Actis ipſis Eruditorum commode inſerere non licuit; cujus proinde polliciti memores impræſentiarum, quid ea in ſinu ſuo foveat, paucis indicabimus. Ac primo ſciendum eſt, librum non omni ex parte novum eſſe, ſed repetitam potius editionem operis jam ſexennio ante publicati, mutato tamen admodum habitu nunc comparentis. Nimirum emiſerat antehac laudatus Autor effigies omnium Carinthiæ urbium, vicorum, monaſteriorum atque arcium manu propria delineatas, absque tamen deſcriptione topographica: quam ipſam dein quum multi iſto in volumine deſideraviſſent, ut horum petito ſatisfaceret, ſingulis locis brevem hiſtoriam adjecit, ſoli potiſſimum naturam & ſitum, nec non modernos poſſeſſores, ut & nonnunquam geſta notabiliora ſuperiorum temporum aliave notatu digna per compendium indicantem: quem quidem laborem vel ideo libentius ſe ſuſcepiſſe ait,

 quo

quo vulgatam apud multos opinionem, ac ſi obſcura hæc admodum & illaudabilis terræ portio eſſet, hominibus quodammodo eximeret. Initio itaque ſuccincte indicat, quæ de regione hac generatim notanda occurrant, partim ex aliis autoribus, puta Hieron. Megiſeri Chronico Carinthiæ, P. Alberti Reichardi Hiſtoria Carinthiaca, & Meriani Topographia Carinthiæ, deſumta, partim per experientiam propriam ſuggeſta. Sic quoad nomen perhibet, id ab antiquis Carnis originem ducere: olim vero huncce tractum Provinciam Norici, Laurianam, Patriam item Slavorum appellatum fuiſſe; quoad magnitudinem, modernæ Carinthiæ tribuit 27. milliaria in longum, & 12 in latum; quoad partitionem ejusdem, in quatuor diſtrictus ipſam dividi innuit. Quaternionem nempe *Superiorem*, *Inferiorem*, *Lauanthalenſem* & *Gurgkenſem*. Regiminis politici ſtatum quod attinet, quatuordecim diſtinctæ ejusdem mutationes ex Megiſero enarrantur: ſpeciatim allegatur, terram hanc octennio ante nativitatem Chriſti a Romanis in provinciam redactam; ſed his dein A. C. 499. a Bavaris iterum ereptam & in Ducatum evectam, qui poſtea a Carolo M. Archiducatus dignitatem acceperit. Ad Auſtriacam Domum perveniſſe fertur anno 1331, cum nempe Henricus V. Archidux Carinthiæ & Comes Tyrolenſis absque maſculis hæredibus deceſſiſſet. Iſtius autem nomine regitur per certos Burggravios, Præſides item ac Vicedominos; quorum ſingulorum magiſtratuum ſucceſſiva ſeries una communicatur. Naturalem porro tractus hujus qualitatem atque temperiem quod concernit, cum fertilitate quidem ſe ſatis commendare ait, attamen frigiditatis quid habere, qua ex cauſa etiam nullum pene vinum ibidem colatur; grandinum præterea nimbis frequentiſſime infeſtari, ad quos proinde arcendos familiare incolis ſit, ſubortas nubes obſcuriores bombardis majoribus, e montibus præſertim petere, comprobato per experientiam hoc ad eas diſſipandas remedio; quem in finem etiam quotannis, certa pulveris pyrii quantitas ſumtibus Statuum provincialium incolis diſtribui ſoleat. Denique vaſtis montium jugis obſitam hanc regionem eſſe, e quorum numero quatuor potiſſimum emineant, nempe *Mons S. Ulrici, S. Helenæ, S. Viti* & *S. Laurentii*, qui & quotannis ſolenni ſupplicationum ritu celebrari dicuntur, proceſſione continuo 24. horarum ſpacio durante ac duodecim prope milliaria emetiente, *in Feſto* nempe *Trium Clavorum*, quod in tertium poſt Paſcha diem Veneris incidit.

His

His aliisque nonnullis generalioribus ſtrictim percenſitis, perilluſtris Autor ad ſingula loca progreditur, ordine alphabetico diſpoſita: quorum, uti ſupra jam relatum, non ſolum vivæ effigies, numero 224 oſtenduntur, ſed deſcriptio ſimul, pauciſſimis tamen plerumque lineis conſtans adjicitur. E rebus notabilioribus, quæ ſubinde una commemorantur, ſequentes indicaſſe non erit grave. Prope vicum *Guttaring* obſervari jubetur luſus naturæ, dum non ſolum cochleæ petrefactæ ibi magno numero reperiuntur, ſed & ager certus lapillis rubicundis, lentium figuram exacte mentientibus obſitus eſt; quod quidem incolæ miraculo adſcribunt, narrantes olim contigiſſe, ut vera iſtius leguminis grana, quæ ruſticus quidam feſto S. Gertrudis, cui templum loci dicatum eſt, terræ mandare auſus fuerit, in pœnam hujus profanationis lapideam duritiem induerint. Occurrit porro iter per montem *Loibl* mire anfractuoſum, ac ſerpentinis ambagibus ad collem perforatum deducens eumque permeans, in cujus medio communis Carinthiæ & Carniolæ terminus eſt; item panis incolarum convallis *Luggavienſis*, rudi ſatis artificio e granis, ne a gluma quidem mundatis, & malleo ſolum aut inter duo ſaxa in farinam comminutis, parari ſolitus; lapicidina non procul a *cœnobio S. Pauli*, e qua ante hos ſeptuaginta circiter annos, integrum hominis cadaver in lapidem converſum fuit erutum, ſtatuæ marmoreæ perquam ſimile, niſi quod inteſtina, non obſtante duritie, nativum adhuc colorem ac formam exacte ſervarent; B. Virginis templum in monte præalto prope *Tarvis* extructum, ſed maxima anni parte, a feſto nempe Michaelis ad Pentecoſten usque, ob nives profundas itinera obſidentes inacceſſum: cui præterea id miraculi tribuitur, quod nec feram patiatur, nec fures, utut pretioſa ſupellectile egregie inſtructum. Non minora ſunt, quæ de monaſterio *Oſſiach* perhibentur, miraculoſa variorum ægrotorum, & dæmoniacorum ſpeciatim ſanatione celebrato: cui negotio potiſſimum adhibetur globus cryſtallinus, Abbati iſtius loci Wernero II, uti traditio eſt, a Deipara Virgine circa annum 1300. donatus, quo mediante collectis radiis ſolaribus, maniaci in fronte aduruntur, unde mox profundo ſomno immerguntur, a quo dein expergefacti iterum priſtinam mox incolumitatem ſeſe recuperaſſe ſentiunt: cujus rei exemplum anno 1680 ſemet ipſum vidiſſe tradit perilluſtris Autor. In hiſtoria Præpoſituræ *Maria Saal* non ſolum diverſæ inſcriptiones, aliæque ad anti-

79. 120. 122. 167. 216. 156. 128 ſq.

quitates Romanas ſpectantia, ibi aliquot abhinc annis eruta communicantur, ſed & ſolennes ceremoniæ, quibus Archiduces Carinthiæ in loco adſito, *ſolium Regis* ſive *der Konigs-Stuhl* dicto, antehac inaugurari conſueverint, recenſentur: quæ ipſæ licet nunc temporis non amplius in uſu ſint, reverſalibus tamen literis, Autore teſte, ſemper cavetur, ne per hanc omiſſionem Statibus provincialibus eorumve immunitatibus ulla ex parte fiat præjudicium. Plura hujusmodi in medium afferre non erit opus, præſertim cum ſuccincta brevitas ubivis adhibita Lectori facile totius operis perluſtrationem indulgeat.

LAURENTII STRAUSII, MED. D. ET PROF. ORDIN. Gieſſenſ. ISAGOGE PHYSICA.

Ulmæ apud Georg. Wilhelm. Kühn, A. 1684. in 8.

Conſtat plagulis 25.

QUamvis tot hactenus naturalis Philoſophiæ libri in lucem editi proſtent, ut copia illorum potius, quam inopia orbis laborare eruditus videatur; non dubitavit tamen clariſſimus Autor, eruditionis laudem ex aliis ſcriptis jam conſecutus, in hanc quoque ſcenam prodire, & præſentem Iſagogen publico committere judicio. Præprimis tamen eo reſpexit, ceu in præfatione memorat, ut quæ ab aliis prolixe ſeu exponuntur, ſeu demonſtrantur, auditorum ſuorum, aliorumque *εἰσαγομένων* uſui ſtudiisque, cum publicis tum privatis, paulo magis accommodaret. Neque hoc immerito fieri putavit, cum non cujuslibet ingenii ſit, absque concepta quaſi prius aliquali idea, in tot Scriptorum Phyſicorum volumina cum fructu quodam ſe diffundere. Itaque id operam dedit ſedulo, ut accurato ubivis ordine, & clara diſtinctave ratione ſingula exponeret. Hinc tractatum ipſum in duas partes, generalem & ſpecialem, more aliis pariter conſueto diviſit, proponendo in priori per duplicem ſectionem, in ſua denuo capita abeuntem, cauſas corporis naturalis ejusdemque affectiones: in poſteriori vero ſex libros continente corporum cum ſimplicium, tum mixtorum quoque naturam. Priores duo libri in ſuas iterum ſectiones, & hæ in capita dirimuntur, ita ut Libr. I Sectio 1 de corpore ſimplici & mixto in genere, 2 de corpore cœleſti, cœlo nimirum, ſtellis, luce, planetis, ſtellis novis, 3 de corpore elementari, igne, aqua &c. nec non de principiis chymicis agat: Libri II, autem ſectio 1 de miſtione, generatione & corruptione,

one, nec non de fermentatione, coctione & temperamento, ac 2. de corpore imperfecte mixto, meteoris ſcilicet ignitis, aqueis &c. & emphaticis, ut parelio, halone, iride &c. tractet. III Liber corporis perfecte mixti inanimati explicationem ſiſtit, terras ſuccosque minerales cum lapidibus & metallis rimando. Et quemadmodum reliqui libri tres corporis perfecte mixti animati naturam inveſtigant: ita in ſpecie Lib. IV. de vegetabilibus diſſerit, ubi occaſio arripitur loquendi de vita & morte, de anima vegetativa, de monſtris, plantis, herbis & arboribus. Liber V. vero de brutis inſcribitur, præmiſſoque animæ ſenſitivæ, affectuum, & potentiæ locomoventis examine, corpus brutorum eorumque differentiæ ſeu ſpecies, aves nimirum, piſces, quadrupedes, ſerpentes & inſecta perluſtrantur. Hinc Lib. VI. hominis natura quoad animam rationalem & corpus, hujusque partes, ſecundum tres ventres & artus conſideratur, ſubdita tamen de mundo anacephalæoſi. Modus tractandi ſequenti ratione nititur: caput quodlibet rei definitionum, & vel diviſionem, vel ſpecies, vel attributa exhibet. Hinc ſubnectuntur axiomata copioſiſſimis diſtinctionibus ſuffulta. Sententiæ vero apud Phyſicos antehac celebres, Sennertum, Sperlingium, Zeiſoldum, Schookium &c. receptæ conformia docentur, relictis ut plurimum novis Carteſianorum dogmatibus. Sic ne exemplorum fide deſtituti videamur, geminum dabimus. Pagina 80. ubi de occultis agitur qualitatibus, in vanum laborare dicuntur, qui excogitatis tot globulis, particulis ſtriatis, elementis inviſibilibus, multiplicibus vorticibus, & quæ alia id generis entia rationis ſint, quævis naturæ arcana demonſtrare ſe poſſe confidant, adeoque nullas ſibi qualitates eſſe occultas glorientur. Sic pag. 109. ignem ex mente Carteſii non eſſe calidiſſimum, ob celerrimam particularum plurimarum terreſtrium agitationem aſſeritur. De cætero clare & perſpicue, ac ſatis terſe proponuntur omnia, verſatiſſimumque eſſe Autorem in Scriptorum Phyſicorum lectione tot allegata paſſim oſtendunt.

NOVA COPIA ET SERIES CENTUM EVIDENTIUM SIGNORUM veræ fidei, &c. autore Johanne Laurentio Lucchesinio, Lucenſi, e Societate Jeſu.

Romæ, ſumptibus N. A. Tinaſſi, 1688. in 4. Plag. 89.

QUamvis hoc ſcriptum non niſi unius inter Pontificios ordinis autorem præ ſe ferat, cenſuris tamen Superiorum diverſi ordinis

ſeptum ac munitum deprehenditur. Propoſuit in illo ſibi Luccheſinius, ſignis, quæ vocat, manifeſtiſſimis evincere, quænam vera ſit fides, & ipſis oculis quaſi veram eccleſiam objicere. Ac licet hujus argumenti volumina non pauca, ut vel ex Bellarmini L. 4. de Eccleſia conſtare poteſt, luci ſint expoſita; ſuaſurus tamen, eſſe non copiam ſolum, verum & ſeriem argumentorum ſuorum novam, in præfatione monet, conſcriptum a ſe librum hunc ante fuiſſe, quam duos de *Signis Fidei* tomos Thomæ Bozii editos cognoverit, & quo, quid inter ſuum hunc, & Bozii laborem interſit, intelligatur plenius, integrum ſubjecit indicem ſignorum fidei, quæ Bozii tomis modo dictis explicantur.

Totum vero opus libris quinque abſolvitur, quorum *primo* Eccleſiæ ſuæ unitatem, ſignis ſedecim: *ſecundo* ſanctitatem, ſex & viginti: *tertio* univerſalitatem, quodque catholica ſit, quadraginta: *quarto* veritatem ejus, ſive quod pro Apoſtolica haberi mereatur, duodeviginti ſignis adſtruere laboravit. *Quintus* denique aliquot paræneſes complectitur, ad convincendos atheos, theiſtas, Hebræos, Mahometanos, & ethnicos directas. Cum autem error adeo communis ac inveteratus ſit, ut in Papiſtarum ſcholis vim habere legis videatur, ea quæ per totum terrarum orbem diſperſæ Eccleſiæ tribuuntur in Niceno Symbolo, quæque & noſtra fides caſte ſemper integreque profitetur, uni particulari eique Romanæ vindicare in ſolidum; non mireris, confuſionem iſtam & in hoc ſcripti genere utramque paginam feciſſe: eoque non abſolvi meliori ſucceſſu potuiſſe Autoris inſtitutum, quam ſi de pronunciati alicujus non univerſalis quidem, ſed particularis exemplo, quod nullo deſtituatur gradu neceſſitatis demonſtrare aliquis conetur.

p. 31. In *prima* ſignorum claſſe locus non poſtremus unitati Capitis oculis ſubjecti attribuitur, ut & antiquitatis, atque præſcriptionis titulo: allegatur Græciæ conſenſus per decem ſecula, Græciæque recentioris atteſtatio de Romanæ cum vetuſtiſſima Eccleſia unitate, nec non publicus ad unitatem regreſſus in Lateranenſi, & Lugdunenſi concilio: provocatur ad pacem in concilio Florentino initam, nec non ad ſummum unius Romanæ membrorum inter ſe, & cum capite nexum: cui tandem neceſſitas aliqua perpetuæ diviſionis in cœtu, ut vocat, hoſtium opponitur.

In *ſecundo* libro id agit Autor, ut ſanctitatem Romanæ derivet ex ſanctitate fundatorum, ex ſanctitate doctrinæ, ex frequentiſſima ſanctitate

tate vitæ in Romanæ filiis obſervata, ex ſanctitate Pontificum, imo ex
ipſis quorundam Pontificum (quod mireris) criminibus, noxis atque p. 129. ſq.
maculis; quibus tamen Eccleſiæ dotem, Aulæ ſcilicet apparatum, opes,
& ſtudium conſervandæ temporariæ dominationis annumerare vetat;
ex charitate Pontificia, ex ſanctorum ſuorum monumentis & reliquiis,
ut ſint, præſepe, ſubucula, tunica inconſutilis, columna, corona ſpinea, 131.
B. Virginis domus Nazareto avulſa & angelorum miniſterio Lauretum
delata, plurima ſanctorum lypſana, quæ impoſita navibus absque velo,
rectore, aut remigio Italiæ littoribus appulerint. Porro ex ſapientiæ
& ſanctitatis commercio indulto divinitus Latinis, Græcis autem ademto, ex divini Spiritus unctione, in ſuorum libris præſertim myſticis
conſpicua, ex Prophetarum oraculis ſanctitatem Romanæ prædicentibus (quorum tamen ne minimum produxit) ex lumine prophetico in 147.
Romana perpetuo fulgente (alibi tamen vecordiam accuſat, ad peculiare lumen internum confugientium) ex dono miraculorum in ſua frequentiſſimo ac perpetuo (eſt vero, ubi ſtolidi affirmat eſſe conſilii, ad 211. 212.
continua perpetranda miracula divinitatem cogere) ex vetuſtis in Romana martyribus, ex aliquot amoris divini, ut vocat, prodigiis ſeu portentis & ſtigmatis Franciſci, ex humana felicitate denique, ceu aliquo
ſanctitatis præmio.

In *tertio* Eccleſiam ſolum Romanam eſſe Catholicam ſuaſurus,
argumenti loco adducit ipſum Catholicæ nomen, quod Romanæ non à
ſapientibus tantum, verum etiam a vulgo & hoſtibus ipſis tribuatur.
Licet enim adverſarii advertentes animum, aut nulla neceſſitate adacti,
ab eo nomine cætui Romano imponendo ſibi caveant, inconſulto tamen
id interdum ab oſcitantibus proferri, vel urbanitatis cauſa ſuis tribui,
vel ex neceſſitate quadam adhiberi, ſi ab auditoribus ſuis velint intelligi.
Hinc univerſale fidei objectum urget, ſeu quod Romanenſes credant &
conſtantiſſime amplectantur omnes veritates definitas, nullamque a
conciliis & ſummo Pontifice declaratam rejiciant, manifeſtum id eſſe in
rejectis nuper ab Apoſtolica ſede aſſertionibus Cornelii Janſenii, quas
eadem, qua uſus erat Pontifex, cenſura & Academici perſtrinxerint, 201.
quorum aliqui de falli neſcia unius Præſulis autoritate dubitent: diffundi præterea Romanam fidem per omnia loca: extendi ad quævis tempora. Neque partem minimam hic faciunt hoſtium, ut vocat, ſuffragia, cauſſæ plauſibiles, ob quas alii ad Romanam acceſſerint, ab eadem 218. 247.
receſſe-

receſſerint alii, facultas univerſalia celebrandi concilia, quam ſoli Romano ſuo vindicat. Neque alia de cauſſa eundem illum, epiſcopum Eccleſiæ univerſalem, patrem, paſtorem, cuſtodem, rectorem, ſponſum,
318. caput, pontificem, & magiſtrum putat appellari. Signis hiſce conſumtis, ſtatuminare porro univerſalitatis titutulum ex inveterata conatur traditione, ex hiſtoriis conſignatis etiam ab hoſtibus, ex legum tabulis, & Imperatorum reſcriptis, ex electione & inauguratione Regum atque Cæſarum, ex Equitum Ordinibus & Academiis fundatis, ex ipſius cœli denique, terræ, atque inferorum incolis, eorumque præſumtis ſuffragiis. Qui vero ſacram monarchiam, ſupremamque in ſacris præfecturam, & magiſterium non niſi in uno exiſtens negant, illis verba opponit Ariſtotelis, quæ ex Homero partim adducta in fine XII Meta-
372. phyſicorum leguntur: *Entia nolunt male gubernari. Non eſt bonum pluralitas principatuum. Unus ergo princeps.*

436. Pro eo denique, quod Romana ſola ſit Apoſtolica, libro *quarto* propagatio, & modus propagandi fidem illam, Apoſtolica Petri cathedra, conſpiratio Romanæ doctrinæ cum apoſtolica quoad fidem & morum leges, perpetua Pontificum in apoſtolico throno ſucceſſio, Spiritus apoſtolicus Romanis Pontificibus, etiam iis qui muneris ſanctitatem malis moribus dedecorant infuſus, ſimilisque generis & valoris ſigna proferuntur.

In *poſtremo* libro, poſtquam atheos inter & theiſtas hoc diſcrimen poſuit, quod illi nullam agnoſcere divinitatem velint, hi agnitam
553. nullo dignari cultu, quandoquidem conſilium ei atque providentiam omnem adimant; probat 1. nullam atheis ineſſe rationem, quod hominum, rerumque cæterarum omnium cauſſam fuiſſe opinentur, aut atomos ſenſu deſtitutas & captum luminibus caſum: aut naturam ſenſu & intelligentia carentem: aut numero infinitas cauſſas, alterius ſemper ope indigentes & rationis expertes. Ejus autem quæ conditionis ſint, ab iis nullatenus conferri atheis potuiſſe dotes, quarum prorſus vacua cernantur ipſa. 2. Neque ullam honeſtatis lucem cauſſas hujusmodi poſſe atheis affundere: utpote quam indipiſci ipſæ nulla ratione potuerint, intelligendi vi orbatæ prorſus. Veritatem enim, atque honeſtatem
554. omnem a primo vero honeſtoque profluere: & hoc menſuram atque legem eſſe utriusque hujus prope divinæ in hominibus prærogativæ. Cum igitur atheiſmi veneno infecti divinam veritatem ac honeſtatem ſubla-

ſublatum eant, ſupereſſe nullam penitus, cui conformare ſuam queant,
neque ullam in ipſis ſcintillam utriusque doni promicare. Cum iſto
igitur hominum genere non aliter quam cum belluis agendum & pu-
gnandum eſſe arbitratur. Eſſe eos præterea hoſtes humani generis, quod
religionem aggrediantur ſubvertere, quam tamen ad hominum ſocie-
tatem conſervandam neceſſariam ducant ipſi: Veneni originem ab in-
quinata inſtitutione vitæ proficiſci: neminem ex veterum, aut recentium
ſapientum choro, non Epicurum, non Empedoclem, non Democritum, 558.
non Lucianum, non Lucretium ducem ipſis vel autorem exiſtere, pau-
cos vero inſaniæ iſtius ſectatores.

Hinc dementiam exagitat eorum, qui fortuito conflatum ex ato-
mis fuiſſe nugantur mundum, cum negare nequeant, fuiſſe ab aliquo
productas ipſas atomos, a nemine autem id potuiſſe præſtari niſi a Deo,
neceſſario ſemper exiſtente. Atomos dein aut quieviſſe ſemper im- 560.
motasque perſtitiſſe, aut aliquando moveri loco cœpiſſe ſuo, ad forman-
dam rerum univerſitatem. Si prius, nulla ratione potuiſſe fieri, ut for-
mas tot pulcherrimas induerent; ſi poſterius, aut ſponte ſua illas id præ-
ſtitiſſe, aut ab alio ex ſtatione priſtina dimotus. Verum non ſponte,
cum inanimes exiſtant. Idem quippe manens idem, ſemper idem face-
re, exceptis cauſis liberis, quæ determinare ſeſe, nullo extrinſecus im-
pellente, nec mutata natura objectorum, poſſint pro lubitu: ab alio igi-
tur, eum vero non eſſe alium, quam Deum optimum maximum. Porro
quonam tempore cœperint moveri quærit, cum tempus ipſum non ex-
iſteret? ab omni æternitate ſi velint concuſſas, infinitum motum præ-
terfluxiſſe arguit, & tempora pari modo infinita. Determinare jubet igi-
tur, pluresne dies effluxerint, quam anni? an totidem? Cum utri-
que infiniti ſint, aſſumi non poſſe dies plures, quam annos, ſecus fore, ut
annis dies antecellant numero, quem exceſſum tamen nec ipſa infiniti
definitio ferat: quod ſi totidem ponantur effluxiſſe, nullum regerit in- 561.
veniri diem, cui non ex annis aliquis reſpondeat. Præterea explican-
dum illis proponit, ſempiternus atomorum ille motus an homines v. g.
perpetuo pepererit, an poſt elapſam infinitam tempeſtatem? ſi perpetuo
nullam afferri poſſe cauſſam, cur tam ſero inventæ artes fuerint nobiles
quamplurimæ. Sin ſero tandem ex ovis aliquibus prodierint aut ſemi-
nibus, in quæ poſt transformationes varias atomi evaſerint, exponen-
dum eſſe, quisnam infantes illos primos lacte aluerit? quisnam induerit

veſtibus? Hiſce quippe adminiculis non carere noſtram naturam poſſe infirmam primo & imbellem. Rurſus, utrum infiniti homines, quos atomi ab ipſa æternitate produxerint, fuerint totidem quot eorundem capilli, an vero horum numerus illorum ſuperet. Quo itidem loco concuſſas putent, cum ne ipſe quidem daretur, quem occuparent, locus ideo, quod nihil prorſus, ex eorum hæreſi, fuerit olim præter atomos. Adhæc expertibus vitæ atomis nullum tribui poſſe motum niſi ad centrum: Illud vero natuæ earum defuiſſe tunc, ipſo etiam loco deſtitutæ: Quod ſi fingant, aliorſum quam ad centrum inſita virtute ferri atomos, concludit fuiſſe eas de alitum genere, & vitæ compotes. In Solis enim radio quas intueri liceat, ad centrum delabi paulatim, aut eo demum ferri; quo aliorum corporum agat impreſſio. Aves quidem, ſpiritu vitaque præditas, contra ipſum ſæpe ventorum impetum alis ſuis niti atque provehi; iſta autem facultate carere atomos, eaque propter neceſſario immotas quieviſſe, ab aliis nullis ſcilicet corporibus (vi hypotheſeos) impulſas, niſi divinus vigor easdem agitarit. Quem qui largiatur, ab eo admitti Deum, conditorem rerum omnium, nec atomis ullis coæternis, nedum præexiſtentibus ad res cæteras procreandas indigentem.

Tandem nullam tribui virtutem poſſe corporum hiſce minimis, quod iis, quæ obtutui noſtro ſubjici contingat, non aliam, uti dictum, niſi ad centrum tendendi vim adeſſe videamus. Maxima vero & immani prorſus, inſanaque concuſſione fuiſſe opus, ut in tot præſtantiſſimarum rerum formam, Cœlum, ſidera, Solem, hominesque cogerentur. Spiritum itaque deſignare jubet, qui intus eas egerit, tenuiſſimoque corpori ſe immiſcuerit, ut tantum conſequerentur vigorem igneum. Hodie forte magis, quam olim agitari atomos, impulſas præſertim ab aquilone: nec unquam tamen ab iis in unum coaleſcentibus aut conferruminatis exortum fuiſſe canem ullum aut avem: multo minus urbem aliquam in immenſo camporum æquore ex iis emerſiſſe, aut homines urbis incolas inde compactos aliquando legi.

Miſſis ſarcaſmis igitur ad eos ſermonem denique convertit, quos nondum perpetua animi nocte ſepultos arbitratur. *Cum illuſtre*, ait,
p. 564. *aliquod artis opus veſtros in oculos vel aures incidit, ſive pictura ſit, ſive cælatura, ſive harmonicus inſignis concentus; illico apud animum veſtrum ſtatuitis, non caſu, ſed conſulto productum id ſuiſſe, vivamque*

& men-

& mente præditam cauſam ejus extitiſſe. Et pulcherrimum hoc univerſitatis opificium fortuito volitantibus atomis tribuetis? Ne rudem quidem apertam in ruſticæ domus pariete feneſtram, in cæcam refertis fortunam, quæ illam recluſerit, mente nulla cogitante de opportuno quondam futuro incolis feneſtræ uſu. Et qui finxit oculum, non conſiderat? Rurſus, qui Æneidem Virgilii, Odyſſeam aut Iliadem Homeri, Ariſtotelis opera perluſtrat, ei in mentem, vel pueris ipſis teſtibus, venire non poſſe, ad opera iſta, quæ omnium admirationem provocant efformanda, ita diſpoſitos in ordinem characteres typosque fuiſſe vel ex fortuito eorundem volatu, vel ex eo quod in cauſa fuerint characteres ipſi, ut alter alterum conſequeretur, vel demum ab inſita unicuique ex ipſis natura exortum eſſe, ut pulcherrimam iſtam ſeriem obtinerent: pro mentis impote ab omnibus habitum iri, qui quicquam horum ſuſpicaretur. Multo autem dementiorem fore, qui carmen hoc admirabile rerum univerſitatis a mente opifice, cujus libet alterius naturæ aut vitam ducentis, aut illa caſſæ autore, conſtructum non videat.

Cæterum, expoſiturus enthymematis indolem Cap. XXVII libri ſecundi Analyticorum Priorum Ariſtoteles, ſigna unde extruuntur enthymemata, duorum fecit generum. Ex nonnullis quippe naſci ait ſyllogiſmum ἄλυτον, & inſolubilem; ex aliis vero λύσιμον & ſolutu facilem ideo, quod materiam ſolum rationi præbeant, vel ex meris conſequentibus ſive affirmantibus inferendi aliquid in ſecundo ſchemate, vel ex particulari & non diſtributo, quod a propoſito eſt plane alienum, colligendi duce figura ultima: utrumque rectis concludendi regulis e diametro repugnat. Nam ſi dixeris, *Amoris Veri ſignum eſt oſculum*, paralogiſmus inde talis naſcitur, *Amicus verus præbet oſculum, Joabus, Nero, Judas præbet oſculum, Joabus ergo, Nero, Judas eſt amicus verus.* De quo ſignorum genere & Ciceroni ſermo eſt, cum in Epiſtolarum aliqua: *Non facile dijudicatur*, inquit, *amor verus & fictus, niſi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit, cætera ſunt ſigna communia.* Jam de poſteriori genere cum non pauca ſint, quæ in libris hujus operis prioribus adducuntur, dubium alicui non immerito videri queat, num Autor, quod præmiſſa operi cenſura Paulini Bernhardinii affirmat, *ex iis concludentiſſime demonſtrarit religionis ſuæ patentiſſimam credibilitatem & credentitatem, ad confuſionem Orientalis Schiſmatis,*

& arctica eterodoxia, utut vel meridianæ *lucis e ſinu* profectum videatur. Nihilo ſecius quemadmodum de iis qui utuntur ſignis, ex vero dixit Ariſtoteles, *δεδεῖχθαι οἴονται, probatum eſſe opinantur*, ſic & hoc labore perfunctus Autor, probatum ſolidiſſime a ſe propoſitum fuiſſe putat, in anacephalæoſi præſertim libri quarti.

Quod ſi etiam malæ ſignum cauſæ non temere haberi conſuevit, non argumentis & demonſtrationibus, ſed affectu potius & inſectationibus litem velle decidere, veremur omnino, ut bonæ ſignum cenſeri queat, belluarum, nebulonum, furum, draconum, perduellium, aliisque convitiis & ſalibus nigerrimis ſuos adverſarios proſcindere: quod factum ab Autore largiter fuiſſe, nemo non deprehendet.

Nobis interim longe tutius videtur ſignum atque certius, quod ex ore hauſtum tenemus Domini omnino infallibilis: *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere (ἀληθῶς) diſcipuli mei eritis.* Indeque cum noſtris Eccleſiæ doctoribus, non aliam eſſe veræ eccleſiæ certiorem & infallibiliorem notam, conficimus, quam puritatem verbi, quæ miniſterium ſacramentorum juxta Chriſti ſtatuta, obedientiam miniſterio debitam, & confeſſionis conſtantiam ſimul complectitur.

L' ARTE DI RESTITUIRE A ROMA LA TRALAſciata Navigatione del ſuo Tevere, del Ingegnero Cornelio Meyer, Olandeſe &c.

ſive

Cornelii Meyeri, Batavi, Machinatoris & Academiæ Phyſico-Mathematicæ Romanæ ſocii, Ars reſtituendi Romæ Navigationem ſui Tiberis hactenus intermiſſam.

Romæ, apud Lazarum Vareſe, 1685. fol. Plag. 50.

PRiusquam ipſa hujus Libri contenta percenſere adgrediamur, non inconſultum fuerit, occaſionem commemorare, quæ Autorem, ut eundem concinnaret, permoverit. Nimirum cum elapſo anno MDC LXXV inter alios Romanæ Religioni addictos ipſe quoque cum duobus filiis Romam ad Jubilæum celebrandum commeaſſet, ejusdemque in ſcientiis Mathematicis, & Architectonicis præſertim experientia,

quam

quam in patria ſua adquiſierat, mox Pontifici iſtius temporis Clementi X innotuiſſet, ab eodem paulo poſt conſultus fuit ſuper correctione alvei Tiberis & inde ſperanda reſtauratione deperditæ maximam partem navigationis; non ignaro quippe, Autoris conterraneos in arte riparum muniendarum, fluminumve navium uſibus aptandorum pleriſque aliis nationibus fere palmam præripere. Pontificis itaq; juſſui ſatisfacturus, primum quidem generatim tantum conſilia quædam ſuper hoc negotio expoſuerat, dum ſpeciales locorum riparumque fluminis ſitus ipſi nondum plene fuerat cognitus: quæ cum ſatis ad palatum fuiſſent, eodem adhuc anno a Clemente Peruſiam miſſus erat, quo inde ſecundo flumine Romam deſcenderet, & ſic præſentem Tiberis ſtatum penitius inſpiceret, eique conſequenter ſua accommodaret conſilia. De hac ergo fluminis viſitatione a ſe facta, & emendatione occipienda, tum quidem librum compoſuerat manuſcriptum, in quo præter accuratam dicti fluvii delineationem, 50 circiter figuris varia machinamenta expoſuerat, in Italicis terris, ut ipſe ait, magna ex parte nondum viſa aut adhibita, & ad ſuperandas imprimis navigationum fluvialium difficultates comparata; eumque ſic Pontifici exhibuerat. Sed metuens poſtea, maxime cum videret, propoſita a ſe conſilia executioni non dari, ne labor iſte, publicæ nimirum utilitati deſtinatus, intra cameræ alicujus tenebras omnino maneret ſepultus, aut forſitan alius quiſpiam poſthæc, alienis plumis ſuperbire geſtiens, meditationes iſtas machinasque pro ſuis aliquando inventis venditaret; publice tandem ſcriptum hoc, pleniora quoque de iſta re meletemata complectens, edere decrevit. Dedicatus vero liber eſt Innocentio XI nuper defuncto, qui & ipſe ſcilicet nobilem hanc Anteceſſoris ſui intentionem proſequi diſcupiens, Cardinalibus Azzolino & Columnæ negotium hoc reſtituendæ in Tiberi navigationis tractandum commiſerat: quos ipſos etiam, præmiſſa pariter ad eos epiſtola, impenſe hortatus eſt autor, quo animum promotioni operis tam proficui ac neceſſarii ſerio applicent: cujus certe utilitatem tantam agnoverint priſci Romani, ut etiam pro meliori ejus conſervatione peculiares Magiſtratus, *Curatores puta riparum & alvei Tiberis* conſtituere fuerint dignati. Commodi vero ac lucri inde expectandi certitudinem demonſtrat partim ex antiqua Romæ hiſtoria, e qua nempe conſtet, quam egregie per frumenta, ex Hetruſcis regionibus ſecundo Tiberis flumine advecta, annonæ caritas iſta in urbe ſubinde fuerit alle-

allevata: partim exemplo Galliæ, & Hollandiæ imprimis, quas nempe provincias vel inde potiſſimum ad id opulentiæ faſtigium evectas conſtet, quod aquis navigabilibus prudenter uti ſciverint.

Ordinem in Libro hoc ab Autore ſervatum quod attinet, dividere eum in *tres partes* placuit: *prima* agit de impedimentis, quæ in alveo Tiberis occurrunt inde a Peruſia Romam usque, eorumque remediis; *Secunda* tractat de ſemovendis difficultatibus navigationem hujus fluvii præpedientibus ab urbe Romana ad maris usque ingreſſum; *Tertia* denique inquirit in cauſas, cur antiquis placuerit hanc Italiæ metropolin ad ripam potius Tiberis, quam in alio loco extruere & conſervare; nec non alias quasdam Propoſitiones, ab Autore in emolumentum ac ſplendorem Status Eccleſiaſtici ſuggeſtas communicat. De methodo autem ſpeciali in ſingulis hiſce partibus tenenda non multum ſolicitus, quin potius diſcurſus plerosque fortuito tantum, quo in mentem venerunt, ordine collocare contentus fuit, præmiſſa ſingulis Figura ænea pro faciliori Lectoris captu. Jam ut de ſingulis partibus quædam paucis dicamus, *Prima* uti dictum eſt, exponit impedimenta Tiberinæ navigationis inter Peruſiam ac Romam, intermiſſæ jam inde aliquot ſeculis, maxime poſt Barbarorum in Italiam irruptionem; hæc ipſa vero ad quatuor potiſſimum ſumma capita referri poſſe putat: 1. eſt alvei in plerisque locis nimia dilatatio, indeque ſecuta brevitas, navigiis portandis inepta: atque huic quidem facile occurri poſſe oſtendit, excitato vel utrinque, vel, ſi riparum altera jam ſatis elata ſit, ab uno latere tantum, aggere palari vimineis faſcibus farcto, cujus ope ſic aquæ fluminis ad debitam altitudinem ſuccingantur. Varias vero inſimul inculcat cautelas, quas in Palatione tali excitanda obſervare conſultum ſit: v. g. ne, ut plerumque fit, pali conferto nimis agmine intrudantur, ſed ad diſtantiam trium quatuorve palmorum a ſe invicem; dum ita validius ſolo hæreant: cum e diverſo ſpiſſe nimis impacti ob interpoſitæ telluris paucitatem velut foſſam efforment, unde poſtea fiat, ut uno evulſo reliquorum ruina tanto facilius inſequatur; item ne pali iſti multum ſuper aquas emineant, quo ita & durabiliores ſint, & contingente inundatione nec nimium aquarum pondus ſuſtinere neceſſum habeant, nec rapidiorum fluminis curſum faciant, ſed eidem plenam ſemet tunc expandendi libertatem relinquant. Ipſam quoque palorum figuram huic negotio aptiſſimam delineat,

eosque ſubtus in linguæ ſerpentinæ ſimilitudinem exacuere jubet: ferro tamen eosdem præfigere, uti ante ſe plerumque ibi locorum factum narrat, prorſus inutile judicat. Diverſæ denique formæ, pro ſoli durioris aut mollioris varietate, *Fiſtucas* palis intrudendis adhibendas, deſcribit: ac ſpeciatim machinam communicat, cujus adminiculo vel unicus homo fiſtucam ponderoſiſſimam, cui ſublevandæ alias 10 aut 12 viri vix ſufficerent, regere, ejusque impulſu vel ſublicas pangere, vel ſaxa comminuere poſſit. 2. Impedimentum quod allegatur, eſt aquarum multis in locis lapſus indeque naſcens rapiditas. Huic, ſi declivitas non ſit nimia, Autor opponit pontium quoddam genus, in medio aliquantiſper ſuper aquas eminentium, ſed ab utroque latere leniter declivium ac tigillis teretibus volubilibus ſeu cylindris inſtratorum, & Hollandis, uti perhibet, ſatis familiarium: ſuper quos nempe & ſecundo & adverſo flumine navis, grandiuſcula etiam, intra ſemihoram trium quatuorve hominum labore trahi atque ſic cataractam ſuperare poſſit. Cumque adminiculo huic varians ſubinde aquæ, pontes nempe ſæpius deſtituentis, altitudo obſtare poſſe videatur, demonſtrat, qua ratione iidem *fluctuantes* quoque, ad inſtar molarum navalium, anchoris modo firmandi, conſtrui, itemq; præter primarium hunc, alios etiam ſecundarios ad uſus abhiberi valeant, v. g. ad marmora ſimul ſecanda aut polienda, aſſeres item ac tigna ſcindenda. Quod ſi autem altior alicubi occurrat cataracta aquarumve declivitas, quam ut pontibus talismodi locus ſit, *Retinacula* (Germanis *Schleuſen* dicta, & in Belgio alibique frequentiſſima) extrui jubet, ut quæ nil aliud ſint, quam ſtructuræ, aquam ad eum effectum ſufflaminantes, ne omnis eodem tempore ex ſitu altiore in profundum currat, ſed ita ſuſtineatur, ut aut attolli pro lubitu aut demitti queat, prout nempe navis vel ex depreſſiore fluminis loco in ſublimiorem vel ex ſublimiori in depreſſiorem tendat. Indicat etiam hac occaſione, quomodo mediante diverſarum cochlearum, talis Retinaculi lateribus affixarum, ſcapha latior & planiori fundo, ſubter aquas mergi, eique dein majus aliquod navigium immitti queat, ejus ope poſt, relaxatis cochleis, ſuper aquas attollendum; eo quidem fine, ut aut intra eandem mox, absque ulla operoſa in littus deductione, picari atque obturatis rimis refici, aut progredi etiam vadoſis fluminum locis & vix 5 aut 6 aquæ palmos habentibus queat, in quibus alioqui ſibi relictum ob nimiam carinæ profunditatem pergere

re non poſſet, ſed minimum 8 vel 10 aquæ palmos expoſceret. 3. Navigationis obſtaculum memorantur ſaxa aut rudera lapidea hinc inde ſub undis latentia, & liberum curſum impedientia; quæ ipſa quomodo amoveri queant, pariter edocet: rudera nempe iſta primo duplici ſublicarum ordine circumvallanda, ita quidem ut hæ currentibus aquis angulum acutum, pro majori robore, obvertant: interſtitium dein duplicis iſtius palorum ordinis creta pingui ſeu terra argilloſa farciendum eſſe, quo exteriori aquæ aditus obſtruatur, incluſa vero vel ſitulis, vel antlia portatili, quam ibidem delineat, exhauriri valeat, & ita lapidea moles ad lubitum cuneis vectibusve comminui, & aſportari. Et ſi fortean palationem ejusmodi extruere hunc in finem operoſum nimis videatur, genus quoddam ciſtæ communicat, quæ mox absque ambagibus aquis immergi, & evacuata dein eundem præbere uſum poſſit, quem iſti ſublicarum ordines. 4. Impedimentum navigationis Tiberinæ non exiguum oriri ait ex palis, antehac ad uſum molendinorum hinc inde in flumine depactis, ibidemque relictis: quorum tamen evulſionem non ita difficilem autumat, deſcripta ſimul machina, quæ huic operationi inſervire valeat. Præter quatuor hæc obſtacula in ipſo profluente occurrentia, extrinſecus etiam culpat vias ſalebroſas & variis modis impeditas juxta flumen, per quas nempe jumentis hominibusve naves trahentibus vix iter pateat. Atque hic quidem imprimis urget, privatis riparum uſum præter jus ad ſe trahentibus, viamque ſic obſtruentibus, neutiquam connivendum eſſe: hinc vero porro monſtrat, quomodo talis navium tractio facilis reddi poſſit, maxime ſi difficultas inde naſcatur, quod acutiorem alicubi angulum flumen formet; eam enim removeri erecto in ripia cylindro volubili & perpendiculari, cui funis ductarius applicatus navem expedite præterlabi faciat. Expoſita hactenus conſilia ſi executioni dari debeant, quantas impenſas abſumtura ſint, determinare quidem non audet; tantas tamen neutiquam futuras conjicit, ut earum intuitu opus tam utile intermitti porro debeat. Quod tamen hactenus eadem nondum in effectum deducta ſint, adſcribit partim genio hominum, rem aut ſupra modum attollentium, aut nimis ob difficultatem deprimentium, quorum adeo diſſenſus & altercatio opus hucusque ſuſpenderint: partim vero inde fieri arguit, quod plurimi, qui antehac conſilia ejusmodi ſubminiſtrare fuerint adgreſſi, eruditis quidem plerumque diſcurſibus ingenium ſolum-

ſummodo oſtentare, non etiam manum operi admovere ſciverint, practica videlicet talismodi rerum ſcientia deſtituti, quæ tamen hic omnium maxime requiratur, cum ſubtiliores ſpeculationes mathematicas utplurimum in hujus naturæ negotiis effectus deſtituat. Cæterum rem a ſe propoſitam non impoſſibilem eſſe, evincit exemplo Rhodani, Danubii, Moſæ & Rheni, non minoribus ſcilicet difficultatibus impeditorum, & nihilo ſecius improba hominum induſtria navigationi accommodatorum. Quod vero ipſemet Autor noſter ripariæ iſtius architecturæ nequaquam inexpertus ſit, non modo paſſim ſpeculative hoc in libro probatum dedit, docendo v. g. qua ratione fluviorum eroſionibus jam per projecturas ſublicias, jam per alvei mutationem obviari poſſit, diſcurſu etiam ad ſpecialia loca, Romæ vicina, v. g. *Pontem Mollem, Pontem Felicem, Pontem Amerinum*, accommodato, & prudenter penſitatis circumſtantiis ubivis occurrentibus: ſed & practice potiſſimum & reapſe oſtendit, dum ante aliquot annos Flaminiam Viam, unam ex Conſularibus, quas Roma habet, celeberrimis, quam Tiberis magis magisque arrodens jam tum devorare minatus fuerat, feliciſſimo ſucceſſu ab ulteriori ejus violentia defendit, & quidem 9500 modo ſcutatorum impendio, licet alii ante ipſum ad id effectui dandum ſeptuaginta aut octoginta millia popoſciſſent. Vix tamen laboris tam egregii præmium nimis amplum hactenus Autor tuliſſe videtur, dum ex diverſis ſupplicibus libellis, ad Cameram Apoſtolicam directis, & ad calcem libri ſubnexis apparet, Cameram hanc in exſolvenda ipſi mercede promiſſa perquam moroſam ſemet exhibuiſſe.

Sed ut ad reliqua pergamus, in *Parte II.* quæ de difficultatibus, navigationem ab urbe Romana usque ad Mare præpedientibus, agit, tria potiſſimum impedimenta allegantur: nimirum 1. ingentes fluminis curvaturæ, imprimis ad Baſilicam S. Pauli, nimis nempe ejusdem impetum retardantes, ne arenam ſufficienter proluere poſſit, quæ adeo ſtagnans magis magisque alveum oppleat; 2. nimia alvei dilatatio, maxime prope locum *Capo di Ramo* dictum; 3. deficiens ejus declivitas, quæ ſcilicet tam exigua eſſe fertur, ut aquæ prope oſtium tantum non plane quieſcere videantur, & naviculæ absque ullo remorum auxilio ſolius venti impulſu per adverſum flumen provehi queant. Singulis quomodo remedia quæri poſſint, ex iis, quæ in prima Parte delibata jam fuerunt, oſtenditur. Mavult autem, ut pro commodiori navigatione

novus plane canalis excavetur ad dextrum Tiberis latus, ab urbe Rom. usque ad *Stagnum Maccarenſe*, quod ipſum ſcilicet præterquam quod commodus ex eo portus fieri poſſit, liberius futurum autumat ab iis incommodis, quibus via hactenus trita, lateralis nempe Tiberis ramus, *Fiumicino* dictus, premitur. Quod ſi ob nimios ſumtus conſilium diſpliceat, jubet ſaltem hujus Fiumicini alveum melius excavari, (ad quem finem obtinendum, diverſas machinas ſuppeditat) ejusque inſertionem in Tiberim Retinaculo muniri, ne ſcilicet aqua per eum continuo currens, per depoſitionem lutoſæ ac terreſtris materiæ magis magisque iter obſtruat. Diſcurritur hac occaſione de celeberrimo quondam portu Oſtienſi a Cæſare olim inchoa o, a Claudio vero magnifice amplificato ac per plus quam 700 annos magnis etiam navigiis frequentato, ſed hodie omnino inutili & tantum non penitus deleto: cujus ſitum & figuram Autor ex antiquis quibusdam monumentis repræſentare anniſus eſt. Conſilia quoque ſubminiſtrat, quorum ope portus maritimi a ventorum injuriis & fundi oppletione immunes ſervari poſſint; diſcurſu etiam ſpeciatim directo ad famoſiſſimum Portum Anconitanum, qui qua ratione melior adhuc reddi valeat, oſtenditur. De inundationibus Tiberinis quoque pluribus agit hac in Parte, (quarum triginta ſeptem notabiliores numerari hactenus, narrat) earumque cauſis; inter quas haud poſtremam in ventis ſitam eſſe arguit, mare contra Tiberis alveum ſic impellentibus, ut undæ per oſtium ſuum progredi non valentes regurgitare neceſſum habeant. Ad eas vero præcavendas impoſterum, non parum conferre poſſe putat, ſi impedimenta, quæ ſtagnare aquas faciant, easve ſufflaminent, ex alveo removeantur, quod ita citius dilabi coacervatæ poſſint: pontes vero iisdem hic inde inædificati ſic aptentur, ne unius aperturæ plus aquarum transmittant, quam per alterum ſubſequentem pari tempore transfluere poſſit. Similiter de Arni diluvio late diſſerit, Piſanis magna ſubinde damna inferente, quemadmodum nuperrime adhuc anni 1680, die 19 Maji aquam ſemicubito ſupra mœnia iſtius urbis ſtetiſſe perhibet: quæ calamitas etiam tum permoverit Magnum Hetruriæ ducem, ut publico edicto omnes commoneret, quotquot conſilia, quibus damna ejusmodi in poſterum præcaveri poſſe crederent, in promtu haberent, quo eadem ſibi exponerent: quod cum poſtea a diverſis ejus urbis civibus factum eſſet, eorundem cogitata noſtro communicata fuerunt a Magno Duce,

in

inſimul expoſcente, ut pro exactiori cognitione ipſemet Arni flumen viſitaret ac delinearet; quod etiam præſtitit,& quid ſibi de hoc negocio videretur, latius expoſuit.

In *Parte III* uti dictum, primo inquirit autor, cur antiquitus Romæ urbem ad Tiberis potiſſime littus extruere & conſervare viſum fuerit: idque non alio fine, quam ob multiplex illud navigationis commodum factum eſſe vult: cujus quidem intuitu etiam fluminis inundationes tam frequentes perpeti maluiſſent,quam eandem per amnium in Tiberim illabentium derivationem &averſionem deſtruere:allegat imprimis ex Tacito,tempore Tiberii,cum hæcce res in deliberationem veniſſet, ſenatum expreſſe cenſuiſſe, *nolle ſe Tiberim prorſus accolis fluviis orbatum minori gloria fluere.* Intermiſſam vero hanc a tot ſeculis navigationem non alia ex cauſa credit,quam aut ob ſupinam hominum ejus ævi negligentiam, aut temporum verius calamitatem, quibus Imperium Romanum barbarorum ſuſtinuit invaſiones:quæ ſcilicet horum locorum incolas potius compulerint, ut de fuga ſuive defenſione ſolliciti eſſent, quam ut fluminis utiliſſimi licet, curæ & conſervationi invigilarent. Etenim eos non ſatis hiſtoriæ gnaros eſſe reputat, qui ſibi perſvadeant, Tiberis tractum inde a Peruſia & Ottricolo Romam usque ne olim quidem fuiſſe navigabilem, cum contrarium abunde ex antiquis monumentis conſtet. Quin & ſi vel maxime antiqui accolæ non plene effectum iſtum fuiſſent conſecuti,ne ſic tamen deſperandum eſſe exiſtimat,cum multa hodienum reapſe præſtita extent,quæ quidem antiquitus pro impoſſibilibus omnino fuerint habita. Dehinc plura in hac operis Parte conſilia ſubjungit Autor, mediis quoque probabilibus inſimul ſuggeſtis ſuffulta,quibus commodum & ſplendorem ſtatus Eccleſiaſtici variis in rebus promoveri & augeri poſſe putat: inter quæ haud poſtremum eſt exſiccatio *paludum Pontinarum*, cujus a multis fruſtraneo conatu tentatæ hiſtoriam texit, ſimulque enarrat, quasnam ſuper hac re Propoſitiones Cameræ Apoſtolicæ ipſe fecerit: additis etiam cauſis cur eædem effectui non datæ fuerint: Sic porro obeliſci, qui Romæ ſunt, quomodo ad uſus Gnomonicos & Aſtronomicos, pro majori urbis ornatu applicari poſſent,commonſtrat,ea quidem cum variatione,ut unus Ventorum plagas,alius Lunæ curſum,alius potiores ſphæræ cœleſtis circulos,alius horas diei, alius cometarum hiſtoriam & curſum in circumſito pavimento deſcripta oſtenderet: alius denique ſtellæ polaris auxilio

horis nocturnis indicandis inſerviret, quæ quidem omnia & ſingula num, uti proponuntur, ad praxin etiam deduci queant, rerum Aſtronomicarum peritiores viderint. Ulterius edocet, quomodo aqua ſtagnans aut certe non ſaliens ad efformandas ſcaturigines artificiales adhiberi, & imprimis qua ratione ad eam in altum propellendam facinoroſorum & alioquin ad ergaſtula damnandorum opera adhiberi poſſit: oſtendit etiam, quomodo non ſolum famoſa illa Columna, quam Trajanus quondam in Monte Quirinali a ſe complanato erigi fecit ea altitudine, qualem mons iſte eo in loco antea habuerat, cujus quippe baſis nunc terra obruitur, altius extolli; ſed etiam inſignis ille Obeliſcus Auguſti, (116 pedum altitudine Hieropoli ex Ægypto Romam advectus & in honorem Solis in Campo Martio erectus, ut tanquam ſtylus gnomonis horas diei umbra ſua oſtenderet) a Gothorum rabie proſtratus, iterum erigi poſſit, & ſolo quidem cochlearum adminiculo: quarum ſcilicet recte adhibitarum quanta vis ſit, oſtendit exemplo urbis Roterodamenſis, in qua nempe ante 40 circiter annos, dirigente civitatis Architecto *Jeremia Perſoons* integra Turris Eccleſiæ Majoris S. Laurentii, cochlearum artificio ad aliquot palmos ſupra terram fuerit elevata, ut ſubſtructionem fundamentorum commodius facere liceret. Cæterum paſſim autor digreſſiones facit ad varia machinamenta a ſe excogitata ac diverſis uſibus inſervientia: ſic v. g. deſcribit, quomodo naves ſubmerſæ protrahi, aut ex iis in fundo manentibus merces ſaltem pulveris nitrati & urinatorum opera ſalvari queant: item qua ratione navis, ut alias venti, ſic etiam aquæ currentis, velum innatans impellentis auxilio curſum promovere poſſit: trutinæ quoque hydroſtaticæ a ſe noviter inventæ modum exponit, quæ tamen cum ei fere gemina ſit, quam ex *Monconyſio* Sturmius *Coll. Experim. P. 2. Tent. 4. §. 6. ſeqq.* adduxit, non eſt cur eidem hic loci pluribus immoremur. Cæterum quæcunque hactenus diximus, cum forte alicubi ob conciſiorem verborum brevitatem obſcuriora cuiquam videri poſſint, plenius & cum voluptate cognoſcet, quisquis librum ipſum evolvere haud gravabitur, ubi cum ſingula iconibus dilucidis declarata reperiantur, cuncta mox evidentiſſima fient: plura præterea lectu non indigna ſemet iſtic eidem offerent, quæ quidem hic, cum ob pagellarum anguſtiam properandum nobis fuerit, reticere fuimus coacti.

Der

Der Probier-Stein der *INGENIEURE, &c.*

h. e.

Lapis Lydius architectorum militarium, ſive Johannis Jacobi Werdmulleri Cogitationes de diu quæſita, ſed nondum inventa emendatione architecturæ militaris.

Francof. ad Mœn. ap. Joh. Georg. Schiele 1685. 8vo. Plag. 18.

QUi artem fortalitia conſtruendi profitentur, in re tanti verſantur momenti, ut totius interſit reipublicæ, eos non incertis agi opinionibus, ſed principia ſequi, quæ & ratio & uſus rerum ipſis ſubminiſtrat. Tempus igitur atque operam collocant non male, qui in architecturæ militaris fundamenta inquirunt, firma & ſtabilia ſecernunt ab infirmis, & quibus porro mediis artium nobiliſſima undique apta & perfecta, expletaque omnibus ſuis numeris & partibus reddi poſſit, conſulunt in medium: id quod Auctor Lapidis Lydii, multo rei militaris uſu præditus, aliquot ſe libris facturum pollicetur. Antequam vero id aggrederetur, non abs re viſum ipſi eſt, hoc ſcripto oſtendere, quanto conatu nihil hoc in negotio egerint illi, qui in hoc usque tempus id unice agere videri voluerunt. Queritur enim liberrimo pariter & acri dicendi genere, plurimos ſemper fuiſſe thyrſigeros, paucos Bacchos, artemque muniendi & defendendi, prout vulgo tradi ſolet, chaos potius eſſe incertarum conjecturarum, & quæ cum ratione & experientia pugnant, opinionum, quam ſcientiam bene fundatam atque conſtitutam. Hujus vero mali culpam in eos partim confert, qui nullo rei bellicæ uſu pollentes vaſtis eam commentariis deſcripſerint, ſed ita tamen, ut pulvere mathematico tota conſperſa nativam ſpeciem deperderet: partim in illos, qui non bene ſubductis rationibus veterem muniendi rationem plane adjiciendam eſſe decreverint. Quæ ut ſigillatim oſtendat, in tres partes, quas Diſcurſus vocat, librum ſuum tribuit. In *prima* de Hollandica muniendi ratione agit, virgulamque cenſoriam ſtringit in præcipuos, qui de illa egerunt, ſcriptores, ex quibus etiam fundamenta, quibus innititur, profert, quæque his objecta fuerunt, excutit. Oſtendit vero afferri multa, quæ contra alios quoque poſſint dici, nonnulla falſæ Batavorum methodo imputari, quædam laudem potius mereri quam vituperationem,

Neque tamen hoc muniendi genus ab omni vitio abſolvit,cum alæ in eo nimis ſint breves,& via cooperta anguſtior quam par eſt, operaque externa neque altitudine neque robore decenti polleant. Sed hæc ita comparata eſſe cenſet,ut facile poſſint emendari,neque neceſſe ſit repudiare univerſam illam methodum, & nova ſtatim muniendi genera confingere & comminiſci. Quod cum plerique fecerint noſtri temporis architecturæ militaris magiſtri, acriter in illos invehitur, & *parte ſecunda* illos incuſat, quod inter ſe diſſidentes ſemper & vana ambitione acti, non inſudarint emendationi architecturæ veteris, ſed nova ſtatim procudere genera ſtuduerint; quodque principes viros, quorum vel maxime intererat hujus artis non eſſe ignaros, ab ejus cognitione prohibuerint, reddiderintque difficillimam multis adjectis calculis, quibus ſine ullo ſuo detrimento carere poſſit. Sed ne videatur aliorum detexiſſe vulnera, nullum vero illis adhibuiſſe remedium, *tertia parte* munitionis alicujus deformationem proponit, quam ſecundum optima principia factam contendit, ita ut titulum Lapidis Lydii Architectorum militarium vere tueri poſſit. Interim nemini vult eſſe auctor,ut ſecundum hanc ideam locum aliquem muniat, cum præſtantiora ipſi ſint in promtu inventa, ſuo tempore in lucem producenda publicam.

Der in Wien todte ehrliche Sachſe, ꝛc.
h. e.
Georgius Rimplerus contra J. Jacob. Werdmüllerum defenſus a Daniele Süttingero.

Dresdæ ap. Mich. Günther. 1687. 8tav.
Conſtat plagulis 6.

CUm Lapidis Lydii auctor cenſuram ageret ſcriptorum architecturæ militaris, non indictus illi abiit Georgius Rimplerus, Vir hujus artis, ſi quisquam alius, peritiſſimus, & ob Viennam contra Turcarum inſultus fortiter defenſam æternum nomen meritus. Hunc enim licet reliquos omnes ingenio & ſcientia vincere fateatur, vaferrimæ inſimulat malitiæ,& cum Heroſtrato comparat,qui ſibi ex labefactatis architecturæ militaris fundamentis nomen quæſiverit. Sed non paſſus eſt objici hæc Viro ſibi, dum viveret, arcta familiaritate conjuncto, libelli præſentis Auctor, cui Rimplerianæ rationes vel maxime probantur. Aſperius ergo

ergo dicta retundit, famamque viri optimi defendit ſtrenue, indignatus Borgsdorſium & Griendelium viro bellica laude præſtantiſſimo dari ſocios, cum ille Rimpleri librum Francof. 1674 editum in plurimis ad verbum exſcripſerit, hic autem homo ſit nullius in re militari nominis. Porro Rimplerianæ methodi præſtantiam exponit, illamque reliquis præferendam eſſe demonſtrare ſatagit. Antagoniſtæ vero ſuo objicit, nihil ſingulare ipſum ſuo in Lapide Lydio propoſuiſſe, ſed pleraque ab aliis, quamvis id neget, mutuo eſſe ſumta. Vallum enim principale Dilichio deberi, & quæ forcipibus (tenaille) prætenduntur, propugnacula eſſe Blondelliana, defenſionem præterea interiorem non rite ſe habere, & foſſam nimis eſſe anguſtam.

NOVISSIMA INVENTIONE PER DISEGNARE, &c.

i. e.

Nova Inventio deſcribendi maxima cum facilitate Horologia Solaria Italica, Babylonica & Gallica, in lucem edita a D. Bartholomæo Scanavacca ex Congregat. Presbyt. Secularium S. Philippi Neri de Padua.

Patavii apud Bern. Lucian. 1688. in 4.

QUamvis Itali vulgo ab occaſu Solis horas ſuas numerare incipiant, non ubique tamen hic mos accurate obtinet in Italia, ſed nonnullis in locis, poſtquam hora poſt occaſum ſolis dimidia elapſa eſt, demum auditur vigeſima quarta, ſimulque prima ſumit initium: ita ut neceſſe ſit, horologiorum pulſus diſcrepare a ſciathericis, in quibus more conſueto deſcriptæ ſunt horæ Italicæ. Quod cum obſervaſſet Autor noſter, operæ pretium ſibi facturus viſus eſt, ſi doceret methodum conſtruendi ſciatherica, non ſolum antiqua ratione, ſed (præcipue cum id a nemine hactenus factum) nova quadam, ita ut campana, quæ horas indicat, exacte illis conſonet. Quod ut rite faceret, alia quoque ad Horologiorum uſitatorum conſtructionem pertinentia addidit, in quibus variæ ſunt tabulæ ad hoc negotium conducibiles. Inprimis autem ope circuli & quadrantis, nec non tabulæ cujusdam eum in finem conſtructæ, horologiorum declinantium delineationem facile peragendam edocuit, atque ſumma ubique perſpicuitate uſus eſt, demonſtrationes vero praxium Gnomonicarum conſulto omiſit.

Inter

* * * * *
* * * *

INter alia, quæ in Actis Eruditorum antehac communicare ſuevimus, haud poſtremum locum obtinent varii Diſcurſus ſubinde ab illuſtri *Societate Regia Anglicana* publicati, & a nobis in Latinum idioma translati: cujus quidem rei neutiquam nos hactenus pœnituit, utpote quam ſi non omnibus, iis certe, quibus Anglicam linguam addiſcere aut non vacavit, aut non volupe fuit, pergratam accidiſſe novimus: quin potius impoſterum quoque inſtitutum iſtud perſequi fert animus, dummodo egregius iſte labor, aliquo abhinc tempore, incertum qua ex cauſa intermiſſus, rurſum continuetur. Quandoquidem vero in excerpendis inde materiis tum quidem parciores fuimus, partim quod continue prodeuntium novorum librorum cumulo urgeremur, qui ne interea, dum iſtis recenſendis immoraremur, veteraſcerent, periculum erat; partim quod extiturum ſperaremus, qui integrum illud Transactionum opus in gratiam orbis eruditi Latio donaret, uti antehac usque ad *Menſem Februarium Anni 1671.* factum fuit: nunc utique, poſtquam & hanc noſtram ſpem vanam hucusque fuiſſe videmus, & iſti incommodo per Supplementorum horum editionem mederi cœpimus, haud inconſultum forte credidimus, ſi *Philoſophicas* illas *Collectiones* atque *Transactiones*, inde ab eo tempore, quo Acta noſtra cœperunt, publicatas denuo percurreremus, ex iisque unam alteramve materiam jucundam aut proficuam, tum quidem a nobis ob dictas rationes prætermiſſam, adhuc Supplementis hiſce in gratiam Lectorum Anglice non callentium inſereremus. Huic itaque propoſito inſiſtentes jam exhibemus

CONTENTA DISCURSUS MECHANICI, CONCERnentis Deſcriptionem optimæ formæ Velorum Horizontalium pro uſu Molarum, nec non fundamentum inclinatorum Velorum in Navibus; habiti coram Societate Regia, a R. H.

Tranſlata ex Collectionibus Philoſophicis M. Dec. 1681. Num. 3. pag. 61

VAria ſubinde facta ſunt tentamina circa conſtructionem Molarum Alis Horizontalibus, dum creditum fuit, eas non modo magis appoſitas, ſed & potentiores & efficaciores fore ad præſtandum ea, quibus deſtinatæ eſſent, quam quidem Alæ perpendiculares. Quicquid tamen de iis homi-

homines imaginentur, equidem dubito, unquam repertum iri modum meliorem & magis proficuum ad recipiendam vim venti aut motionem aeris, quam vela perpendicularia, ſi juſta forma gaudeant, ita ut quælibet eorum pars æqualiter ventum hauriat, quemadmodum poſtea oſtendam.

Prius autem, dum video diverſos noviſſime horizontales alas pro molendinis tentaſſe, modum exponam horizontalia ejusmodi vela parandi, quæ etiam tantum præſtare queant, quantum usquam velis æqualem extenſionem habentibus ſit poſſibile. Equidem hic Lectori non ero moleſtus recenſendo eidem varias illas vias, quas ad perficiendum hoc negotium inire ſubinde viſum fuit, dum earum complures hinc inde apud diverſos Autores, qui hac de materia ſcripſerunt, expoſitæ proſtant. Ne unicum tamen modum ſive in libris publicatum, ſive a machinariis artificibus in praxi exhibitum, videre hactenus mihi contigit, cui non unum alterumve inſit, quod impedimentum inſigne motui iſtorum velorum per aerem creare queat: quin meliora etiam ex iis media tantummodo circumferentiæ parte flatum hauriunt, & per hanc ipſam quidem partem mediam non niſi cum dimidio roboris, quo pollere alias poſſent, rite ordinata. Is, quem hic deſcribo, modus ſic ſe habet, ut quælibet ala ventum trahat in unoquoque puncto totius revolutionis, quantum maxime, per ullam velorum horizontalium inventionem, unquam poſſibile eſt fieri: quam ob rem etiam eundem non dubitavi appellare *perfectionem velorum horizontalium*, ultra quam ſcilicet progredi non detur, cujuscunque tandem alius machinamenti auxilio. Cujus rei demonſtrationem mox addam. Conſiſtit autem inventio in eo, quod alarum quælibet ita diſponitur, ut maximam, quantum pote, impreſſionem recipiat a vento in quolibet circumferentiæ puncto, per quod tranſit; ac minimam viciſſim remoram in motione ſua patiatur ab aere pone ſtagnanti. Fundatur hoc ipſum ſuper eodem principio, quod velificatio navigiorum in mari habet: nimirum tali diſpoſitione & aptatione alæ ſeu veli, per quam in optimo, quo poſſit, ſtet ſitu ad promovenda molæ brachia aut corpus navis ea via, qua moveri debent, per vim venti ſic vel ſic ad ea appellentis.

Primum itaque principium, utrisque commune, eſt, ut ala ſeu velum, quam proxime fieri poteſt, ſit ſuperficies perfecte plana ac lævis, absque ulla extuberatione, ſinuoſitate aut curvitate in extima ſui facie,

cui motio ſeu vis venti imprimitur. Secundo, ut aeri tot pateant transitus inter partes alæ aut veli, quot poſſunt, quo commotus aer ad illa appellere quam liberrime valeat, nec intercipiatur ab alio aere ante illa ſtagnante, qui iſtius vim impediret aut diverteret. Tertio, ut planum alæ ſeu veli ponatur in media inclinatione inter viam venti & viam brachii molaris, aut carinæ. Quodlibet horum principiorum facile demonſtrari poteſt eſſe optimum, & aliis quibusvis anteferendum, dummodo alia incommoda in effectione ejus mechanica non præponderent realibus commodis ipſius principii: cujusmodi eſſe poſſent ponderoſitas & intractabilitas in facienda tam expanſa, rigida ac lævi ſuperficie pro navium velis: quanquam in his etiam incommodum iſtud magna ex parte præcaveri valeat ope compendiorum quorundam mechanicorum, ſicut alio loco oſtendam. At vero hic moleſtia ponderoſitatis in velis ſeu alis ex aſſere factis, ac ſuper centrali cardine erecti axis in mola ſtantibus, tanta non eſt, ut comparari mereatur cum commodis inde accreſcentibus.



Jam ut ad Machinam ipſam deveniamus: Sit A B directio ſeu via aeris ſive venti, moventis ab A verſus B; ac C repræſentet centrum Axis ſive Fuſi, perpendiculariter ad Horizontem ſtantis: cujus ſummitati ad angulos rectos affixum ſit tigillum D H, duo brachia formans, CD & CH ſuper quorum extremitatibus vela MN fuſis infixa, moveantur; ita quidem, ut planum Veli nunquam non tranſeat per punctum D: Dico Alas ſic adaptatas nullo non tempore in ſitu maxime convenienti poſitum iri, pro brachiis circulariter movendis ſuper dicto fuſo cujus

cujus centrum eſt C, ſecundum D E F G H I K L D. Primum enim quod attinet alas poſitas in D & H, eas ajo in duobus hiſce punctis ſitum, quantum unquam fieri poteſt, convenientiſſimum obtinere: nimirum ex una parte, velum MN prope D dum directe contra ventum moveri debet, ſitus ejus maxime congruus eſt, ut aciem ſuam recta obvertat vento, ac per hoc minimam, quam poteſt, reſiſtentiam præbeat: cum unicum hoc punctum ſit, in quo velum, quod modo ſuperficies eſſe ſupponitur, ventum non capiat. Ex altera vero parte ala MN in H poſita, pariter ſitu maxime commodo gaudet: etenim dum motio ejus directo ante ventum eſt, & in plagam ei oppoſitam vergit, plene etiam ipſius motui transverſim opponitur. Secundo, Vela in E F G & I K L opportuno maxime ſitu ſtant: quandoquidem angulum inter Viam venti & brachiorum punctis iſtis in duas partes æquales dividunt, & conſequenter Ventus ſummam iis vim in via maxime directa imprimit. Facile enim demonſtratu eſt, vim a vento alæ impreſſam, perpendicularem eſſe ad ſuperficiem; & per conſequens potentiæ obliquitatem ad viam brachiorum, adauctam ex ſitu velorum plenius contra ventum directo, minorem roboris proportionem habere ad promovendam eorum motionem, quam in ſitu quo hic poſita ſunt. Et viciſſim ſi ponamus, vela acutius verſus ventum ſtatui, diminutio potentiæ a vento impreſſæ ſuperficiei, major erit, quam augmentum robori ejus accedens ex eo, quod directe magis ad viam brachiorum ſic moveantur. Atque hæc quidem facili ſatis negotio geometrice demonſtrare licet: adeo ut opus non habeam ea hic loci inſerere.

Nil itaque ſupereſt, quam ut oſtendam, cujusnam machinæ adminiculo velum ſeu ala ſic ordinari queat, ut deſideratum ſemper ſervet poſitum. Et id quidem permultis modis effici poteſt; unicum tamen nunc ſolum allegabo, qui licet pro praxi non optimus omnino ſit, intellectu nihilominus ac demonſtratu facillimus eſt. Nimirum fiat ala ab utroque axis ſui latere æqualiter expanſa: quo ipſo nempe preſſio ejus extremorum nunquam non in æquilibrio manet; porro infimæ illius extremitati affigatur rota, diametro adæquans dimidiam circiter longitudinem brachiorum, ab uno foramine ad alterum computatam; tum alia rota ſuper pegmate, in quo fuſus brachiorum movetur, ſtatuenda eſt, quæ prioris modo ſemidiametrum magnitudine adæquet, nec niſi dimidium dentium numerum contineat; denique auxilio tertiæ alicujus

rotulæ ſub brachiis adfixæ & congruam latitudinem habentis, alterius motio alteri communicetur. Quolibet jam velo hac ratione conſtructo, ipſa, ſi ſemel rite diſpoſita ſint, omni tempore in genuino iſto ac deſiderato ſitu moveri pergent.

Cæterum inventio hæc non modo utilis eſſe poteſt pro omni molarum genere, ſive ad conterendum, ſive ad ſecandum aſſeres, poliendum, contundendum, trahendum aut elevandum aquas, folles agitandum, &c. inſerviant: eodem modo, uti vulgares molæ pneumaticæ, quæ nunc in uſu ſunt; ſed & magnam præterea utilitatem præſtare poterit molis aquaticis tali in flumine ſitis, ubi cataracta nulla extrui valet: ut & Alis perpendicularibus aliorum molendinorum: quorum hic obiter mentionem facere, haud inconſultum putavi, cum neutrum horum ab ullo hactenus, quod quidem ego audiverim, vel leviter tactum fuerit. Nec aliam hujus rei explicationem addere juvat: ſufficiet enim oſtendiſſe principium, cujus ope ſumma perfectio hiſce velorum generibus conciliari queat; ac indicaſſe, quodnam ſit genuinum principium, juxta quod examinari ac dijudicari valeat, quodnam præſtantiſſimum ſit genus velorum ac velificationis, quæ nunc uſu vigent, & quibus fundamentis inſiſtendum ſit, ad conſequendum modum optimum, vela navium & conficiendi & adhibendi.

RELATIO DE ANATOME STRUTHIOCAMELI, facta a D. Eduardo Brown, Societatis Regiæ nec non Collegii Medicorum Socio.

Ex Collect. Philoſ. Angl. M. Febr. 1682. N. 5. pag. 147.

INter aves alatas ſeu pennatas maxima & proceriſſima æſtimatur Struthiocamelus, quippe octo quandoque pedes altus: quæ quidem moles ſi comparetur cum *Tominejo* ſeu Paſſere Mosquito, *(Humbird)* ut qui tantum duodecim circiter grana pondere adæquat, facile patet, quantum intra ambitum & latitudinem avium creatio fuerit ordinata.

Nomen Alitis hujuſce quod attinet, derivatum quidem id a paſſere (στρουθίω) videtur; caput tamen ejus anſerino magis accedit. Et noſtri quidem *Collum* tres pedes ſeu *Virgam* Anglicam *(a Yard)* longum erat, non computato tamen inſimul capite. Pes integer, *a calcaneo ad extremum digitum*, tres Virgæ quadrantes efficiebat: cui ipſi nempe, dum

quie-

quietem capit, inſidet. Aſt *Pes* proprie ita dictus, ſive digitus longior, non niſi quadrantem Virgæ adæquabat; minor vero digitus dimidium quadrantem ſuperaddita $\frac{1}{32}$. *Ungvis*, qui in longiori digito eſt, $\frac{1}{16}$ Virgæ habebat: ſupra eum vero ſtabant ſexaginta tres ſquamæ latæ, alia ſuper aliam, aſcendentes per totam partis in pede anterioris, ſeu oſſium, quæ *Metatarſo* reſpondent, altitudinem: minor autem digitus penitus ungue caret, nec niſi octo aut novem ſquamas habet, quarum itidem una alteri incumbit; ſed quæ non altius, quam digitus ipſe aſcendunt. *Planta* pedis conformatio ſeu ſubſtantia non abſimilis ei eſt, quæ in cute Elephanti conſpicitur, utut non ita prædura ſit; mobilis inſuper eſt, ac preſſioni cedens, ut in pede Cameli, dum pinguedo ſubtus latet, unde fit, ut molliter & ſine ſtrepitu incedat: cæterum cutis, altius binis illis digitis ſita, ſquamoſa apparet. Quælibet vero harum ſquamularum irregulare quoddam pentagonum, terragonum, & quandoque hexagonum conſtituit. Porro a calcaneo usque ad *genu*, ſeu eam partem, quæ hominis *tibiæ* reſpondet, ſpacium $\frac{5}{8}$ Virgæ intercedit; *Femur* plusquam quadrantem Virgæ efficit, ac perquam craſſum eſt. In *pectore* obſcura quædam ſubſtantia comparet, dura & calloſa, figuræ ovalis, $\frac{3}{32}$ Virgæ longa, ei non abſimilis, quæ in Camelo conſpicitur: ſuper hac quietem ſedens capeſſit avis hæc, capite ſimul erecto; ac hoc in ſitu eam dormire puto, non enim unquam ipſam aliter poſitam videre potuimus. *Ala* ejus minor eſt, quam ut totum contegere collum queat. Præterea pars quædam calloſa obſervatur ſuper *oſſe pubis*, longior ea, cujus antea mentionem fecimus, ſed anguſtior: ſuper qua ſimul, præter calloſam illam pectoris partem, quieſcere adſolet. Corporis longitudo ab ima parte colli usque ad finem uropygii erat unius Virgæ. Os maximum alæ $\frac{3}{8}$ dictæ menſuræ adæquabat. Summum caput planum erat, $\frac{3}{16}$ longum, metiendo a fine occipitis, usque ad extremum roſtri. Caput porro piloſum potius videtur, quam plumis obſitum; collum tamen candidas habet pennas perpulchras: utut alii contrarium affirmarint. In vertice capitis locus quidam eſt planus & ovalis, $\frac{1}{16}$ Virgæ longitudine, calloſus, pilis etiam plumisque deſtitutus; non abſimilis callo iſti pectoris, licet non ita craſſus; deſtinatus forte ad præſervandum cerebrum a noxiis illis vaporibus, *(Serenes)* qui in regionibus calidioribus ſubinde cadunt, aliisque aëris injuriis, nocturnis præſertim: quæ quidem tanto magis hic conſiderandæ veniunt, quod avis hæc erecto capite, & non ſub alas abdito dormit.

Gula admodum larga eſt pariter ac longa: ampliſſima tamen in ſummitate prope caput, ubi $\frac{3}{32}$ Virgæ lata eſt. *Os Hyoides* ſemet ab utroque colli latere deorſum extendit, longitudine $\frac{5}{32}$ menſuræ ſæpius nominatæ. Præter varios in collo muſculos, motioni numeroſarum iſtarum vertebrarum & capitis inſervientes, ſpeciatim duo ibi occurrunt muſculi perquam elegantes, qui ab interna thoracis parte prodeunt, intra pectoris cavitatem circa ſecundam coſtam orti, qui utrinque in arteriam aſperam ſemet inſerunt: licebitque eos appellare *Directores aſperæ arteriæ*. Circa primam porro aſperæ hujus arteriæ diviſionem ſeu divaricationem ex utroque pulmonum latere annulus eſt, craſſior ac fortior, quam ullus e reliquis tracheæ annulis. Diverſæ in collo prope Gulam reperiuntur *glandulæ*, eæque coloris pallidi, & quaſi cinerei: verum duæ præterea glandulæ pulcherrimæ iſtic ſunt, arteriis carotidibus adhærentes, uti hæ e pectore utrinque emergunt; atque iſtæ ſubcærulæ ſunt. *Peritonæum* ſuccingit & laxe circumcludit ſtomachum.

Septem avis hæcce nacta eſt *coſtas*; nec non muſculos intercoſtales latos, planos & nitidos. *Sternum* non habet prominulum, velut aliæ volucres, nec anguſtam pectoris cavitatem, uti plures quadrupedum: ſed pectus amplum, ac ſternum latum atque firmum, figura clypei, & latius adhuc ſterno hominis: ac certe, quando ales hic demittit caput & collum rotunde incurvat, per portam aliquam intrare parans, pectus ejus adeo latum eſt, ac greſſus tam diverſus ab inceſſu aliarum avium tamque inſolitus, ut Camelum prope æmuletur: cum hac tamen prærogativa, quod, dum ſtruthiocamelus pondere ſuo non niſi duobus cruribus innititur, greſſus ejus inde liberior & magis decorus apparet. Struthiocamelus porro noſter maſculini generis erat, ſed junior adhuc: *penem* habebat longitudine unius unciæ, cui exigua quædam ſubſtantia cartilaginea inerat. *Teſtes* alte ſatis, prope renes & ſpinam dorſi, ſiti erant, perquam exiles ac tenues, coloris flavi. *Aures* rotundæ ſunt, earumque orificium hominis digitum admittit. *Oculi* lati & ſubcæruli, magnitudine humanis fere pares. Mirum eſt, quod *Cardanus* exiſtimarit, *plumas* ſtruthiocameli coloratas atque tinctas a natura eſſe, rubras puta, cæruleas, luteas, virides; cum tamen naturales hujus alitis colores modo ſint albus, griſeus ac fuſcus: nimirum pennæ interioris alæ lateris, nec non in pectore, ventre & collo erant candidæ, ut & plumæ in cauda: ſed reliquæ ad cinereum aut fuſcum colorem accedebant. Certe

tamen ales hic e pulcherrimis utique animantibus eſt, quas Barbaria alit, ubi præterea calidum regionis clima pennas ejus univerſas contorquet ac criſpat. Perhibet *Bellonius*, ſe vidiſſe Alexandriæ in unica taberna ad ducentas ſtruthiocamelorum pelles; indeque ſi contingeret plumarum geſtationem uſu iterum frequentari, mercaturam hanc e Barbaria non parum incrementi capturam. Rimula *Laryngis* longa eſt & cartilagines circa eam validæ: nulla tamen omnino epiglottis, nec ſimilitudo cum larynge humana: utut ii, qui *vocem* ejus audivere, eandem comparandam velint cùm clamore aut ejulatu infantis rauci, magis tamen lamentabilem atque tetricam: id quod confirmat relationem datam a Dn. *Sandys* in itinerario ſuo, quod nimirum ingens ſtruthiocamelorum numerus in deſertis iſtis locis detur, qui gregatim degant, ac ſæpius peregrinos atque viatores horridis ſuis clamoribus territent. *Pulmones* coloris elegantis ac floridi ſunt, exiguæ tamen molis, proportione habita ad arteriam aſperam: cæterum firmiter adhærent dorſo, ac perforati ſunt, perinde ut in aliis avibus, inflando autem follium ope in tracheam, efficere non potuimus, ut ſemet extollerent, aut implerentur. *Cor* duos ventriculos habet, magnitudine iis, qui in humano corde ſunt, prope æquales; dexter tamen ventriculus multo tenuior eſt, ac valvulæ magis carnoſæ. *Duos* avis hæc habet *ſtomachos*, quales in granivoris volucribus inveniuntur, Ingluviem nempe, & Ventriculum verum; *ingluvies* tamen ſeu primus ſtomachus multum ab eo differt, quem reliquæ aves habent: in hoc nempe, quod non ut in illis extra pectus, verum intra ſternum ſitum ſuum nanciſcitur; item quod non rotundus eſt, ſed oblongus velut ſacculus & vaſtæ ſatis amplitudinis, ſecundum longitudinem in cavo corporis jacens. Id vero, quod in tota hac diſſectione optime nobis ſatisfecit, fuerunt *glandulæ*, quas in tunicis hujuſce ſtomachi invenimus; extenſas in poſtica ejus parte ab una fere extremitate ad alteram, numero prope mille, dum denæ circiter in latum, ac centenæ in longum jacebant. Hæ ipſæ vero ſitæ ſunt inter tunicas ſtomachi, & quælibet particularis glandula ſemet exonerat mediante peculiari orificio per interiorem ſtomachi tunicam intra ejus cavitatem. Harum vero glandularum aliquas quidem invenimus rotundas & globulares, alias ovales, alias denique planiores & figuræ irregularis: ſpeciatim eæ, quæ inter reliquas altiſſimum obtinent ſitum, maxime rotundæ & craſſæ ſunt, quæ autem magis accedunt ad hujus ſtomachi fundum, ſeu ubi cum

vero

vero ventriculo unitur, latiores ſunt & planiores. Hæ ipſæ vero ſuccum quendam ingerunt, qui juvat ad digerendum varium iſtud pabulum, quo avis hæc uti conſuevit. Porro *Ventriculus* genuinus, ſeu ingluviei contradiſtinctus, permagnæ erat amplitudinis: tunica ejus interior non ita firmiter adhærebat, ut in aliis volucribus ſolet, eratque perquam craſſa & panno molliori (*Flannel*) non abſimilis: unde per ingluviem ſeu primum illum ſtomachum inſpicientibus nobis in huncce ventriculum, apparuit veluti ſegmentum talis panni aut mappæ, quod a Struthiocamelo deglutitum iſthic deliteſceret. Tranſitus ex poſteriore hoc ventriculo in tenuia inteſtina perquam anguſtus eſt. Ipſa *inteſtina* viginti circiter Virgas longa ſunt; tenuia nimirum a ſtomacho incipientia decem Virgas emetiuntur: & dehinc craſſa inteſtina usque ad anum fere totidem. Prope initium craſſorum inteſtinorum *duo* ſunt inteſtina *cæca*, quorum quodlibet Virgam unam longum eſt, habentque intra ſe cochleam ſeu ſpiralem valvulam, qualis in Cuniculi Cœco inteſtino obſervatur; ſpira vero hæc in utroque inteſtino viginti prope gyros agit. Cæterum extremitas Cœci exilis eſt, a Cœco hominis inteſtino non multum diſcrepans. *Excrementa*, quæ per inteſtina ejiciuntur, duorum ſunt generum: alterum albidum, tenue & glutinoſum, quod avis hæc ejaculatur more accipitris; poſt hoc dein ſequitur aliud excrementi genus, fimo ovino non abſimile, ſed grandius. Porro *meſenterium*, utut tantum numerum inteſtinorum tenuium & craſſorum complectatur, non tamen denſum eſt ſed membrana tantum translucida, uti generatim in pennatis ſolet; admodum nihilominus amplum eſt, & nonnullis in locis plusquam $\frac{3}{8}$ Virgæ profundum ſeu latum, metiendo a centro ad inteſtina usque. *Hepar* quatuor conſtat lobis, & colorem habet non multum ab humano diſcrepantem: veſiculam tamen fellis nullam reperire potuimus. Præterea Glandula quædam ſuberat ſtomacho, quæ pro *Splene* haberi potuiſſet, niſi pennata & inſecta ſplene carere dicerentur. *Pancreas* gracile erat & ultra pedem longum. *Renes* magni, & manum meam adæquantes longitudine, uti conjuncti jacent: cæterum figura citharam repræſentant. *Ureteres* firmi ſunt, validi, albicantes & longi. Pone renes duæ jacent glandulæ nonnihil ovales, ſesqui pollicem circiter longæ, & ſpinæ dorſi inſtratæ. Caput eſt minuſculum pro portione totius corporis, ac idcirco Julius Scaliger, quando aves recenſet capite largiori pollen-

lentes comparatione habita ad corpus earum, nominat Paſſerem, Bubonem, & Picum; at viciſſim volucres minoribus capitibus enumerans, adducit Gallinam, Pavonem & Struthiocamelum. De cætero in Africa, ubi & nonnulli Elephantibus veſcuntur, non mirum eſt, ſi aliqui ſunt, qui & Struthiocamelos in cibum adhibent. Galenus tamen aliique eorum carnem tanquam difficilis digeſtionis damnant.

JACOBI ALTINGII SS. THEOL. ET LINGVARUM Oriental. Prof. Verbique Divini Miniſtri in Academia Groning-Omlandica Opera omnia Theologica, Analytica, Exegetica, Problematica, Practica & Philologica, in tomos V. diſtributa.

Amſtelodami excudit Gerardus Borſtius. 1687. fol.
Conſtant plagulis 121.

JAcobus Altingius *Heinrici* Theologi Heidelbergenſis & poſtea Groningenſis Filius Anno 1618. d. 27. Sept. natus eſt Heidelbergæ, quo tempore ipſius Parens cum Sculteto & Toſſano ad Dordracenam Synodum profectus fuerat. Cum in Academia Groningenſi Philoſophiæ, Linguarum & Theologiæ fundamenta egregia jeciſſet, Anno 1639 peragrato Belgio in Angliam quoque trajecit, ubi, cum Johanni Prideaux Vigornienſi Epiſcopo profectus ſuos probaſſet, ab eodem Diaconus Vigornienſis & poſtea Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter ordinatus eſt. Verum poſt Gomari Præceptoris quondam ſui obitum, communi Ordinum Groningæ & Omlandiæ ſuffragio, ad Hebrææ & affinium Linguarum Profeſſionem ſub finem Anni 1642. ex Anglia revocatus eſt, ad quam dignitatem quadriennio poſt munus Eccleſiaſtæ Academici, & Anno 1666 profeſſio Theologica acceſſit, quibus officiis ad Annum usque 1679. functus eſt, quo diem ſuum ſupremum obiit.

De ſcriptis ejus edendis *D. Balthaſar Bekkerus* Eccleſiaſtes Amſtelodamenſiis cum *Gerardo Altingio* Jacobi Filio & Hærede, & præcipuis Defuncti diſcipulis, quorum nomina in ſingulorum tomorum præfationibus commendantur, conſilia contulit, quæ optato ſucceſſu minime caruerunt. Et *primus* quidem *tomus*, cui vita Autoris præfigitur, analyſin exegeticam in Geneſin, Exodum, Leviticum & Numeros, & pleniſſimum commentarium in priora Deuteronomii capita usque ad cap.

19. v. 11. nec non analyſin exegeticam in Pſalm. 24. priores, & prælectiones in totum Jeremiam continet. *Tomus ſecundus* commentarium theoretico-practicum in loca quædam e Pentateucho, libris Samuelis, Regum, Paralipomenon, Eſthere, Jobo, Pſalmis, Proverbiis, Cantico, & Prophetis ſelecta, cum parallelismo teſtimoniorum Veter. Teſtamenti, quæ in Evangelio ſuo Matthæus allegavit, complectitur. *Tertius tomus* exhibet commentarium locupletiſſimum theoretico-practicum in decem priora capita epiſtolæ ad Romanos. *Quartus tomus* incipit a commentario in caput undecimum epiſtolæ ad Romanos, qui jam olim ſub titulo: *Spes Iſraelis*: editus fuerat. Hunc ſequitur commentarius in reliqua Paulinæ hujus epiſtolæ capita, cum analyſi totius epiſtolæ, item analyſis exegetica in epiſtolam ad Coloſſenſes, prælectiones in epiſtolam ad Hebræos a cap. 1. usque ad cap. 9. v. 10. & conciones in loca ſelecta Novi Teſtamenti. *Quintus* denique isque ultimus *tomus* varia opuſcula Theologica & Philologica comprehendit, nempe libros ſex de ſabbatho, tractatum de Schilo quinque libris conſtantem, analyſin exegeticam catecheſeos Palatinæ, methodum Theologiæ didacticæ, diſſertationum Academicarum heptadas ſeptem, & orationum heptadas duas, ſciagraphiam biblicam, catecheſeos Palatinæ & Synodi Dordracenæ doctrinam de Sabbatho, orationes duas ſub initium & finem Rectoratus Academici habitas, varias epiſtolas & ex epiſtolis excerpta, mantiſſam miſcellaneam, in qua præter alia epiſtola de reconciliatione Mareſiana, & ſcriptum Curatoribus exhibitum de propoſitionibus 31. a Mareſio Autori tributis continetur, ac poſtremo loco fundamenta punctationis Linguæ Sanctæ cum Synopſi Inſtitutionum Chaldæarum & Aramæarum, ut de adjectis indicibus taceamus.

ANALECTA GRÆCA, SIVE VARIA OPUSCULA Græca, hactenus non edita, ex MSc. codicibus eruerunt, Latine verterunt & notis illuſtrarunt Monachi Benedictini, Congregationis S. Mauri

Tomus. I.

Pariſ. apud viduam Edmundi Martini, Johannem Boudot & Stephanum Martin, Anno 1688. in 4to.

Plag. 72.

De

DE tomis veterum analectorum e variisLatinis ſcriptoribus collectorum,quos *Johannes Mabillon* Ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri Monachus in lucem publicam emiſit, a nobis in Actis Anno 1684. p. 65. & Anno 1686. p. 17. dictum meminimus. Nunc græcorum Analectorum, quæ ſub totius illius Congregationis nomine prodire cœperunt, tomum primum paucis recenſebimus. Operam huic tomo ſuam imprimis impenderunt Dominus *Jacobus Loppin*,qui vitam S. Euthymii,& Stephani junioris Latine interpretatus eſt, Dominus *Antonius Pouget*, qui vitam S. Cyriaci Latine reddidit, & Dominus *Bernbardus de Montfaucon*, qui typicum Irenes Auguſtæ, excerpta ex Heronis Geometria,antiquum rationarium Auguſti Cæſaris & novum Alexii Comneni, & breviſſimum tractatum de ponderibus & menſuris latina verſione donavit.

Et hæc ipſa ſunt Græca illa opuſcula, quæ hoc primo tomo continentur. Agmen ducit *vita Euthymii a Cyrillo Scythopolitano* ſexti ſeculi ſcriptore concinnata, quæ non paucis in locis ab ea multum diſcrepat, quam *Johannes Baptiſta Cotelerius* tom. 2. Eccleſ. Græc. monum. p.200.publicavit.Nec ipſeCotelerius in notis ad iſtam vitam diſſimulavit, videri eam a Simeone Metaphraſte interpolatam. Cum autem Cotelerius tertium eccleſiæGrææ monumentorum tomum ederet,& jam illius tomi index typis mandaretur, contigit, ut Colbertina bibliotheca plurimisGræcis codicibus augeretur,quos perluſtrans reperit vitasSabæ & Euthymii a Cyrillo Scythopolitano ſcriptas,& Euthymii quidem vitam ſic inchoari annotavit: *Πρόλογος τȣ̃ βίȣ τȣ̃ ἁγίȣ Πατρός ἡμῶν Εὐθυμίȣ. Τῷ τιμιωτάτῳ καὶ ἀληθῶς ἐναρέτῳ Πατρὶ Ἀββᾷ Γεωργίῳ*,&c.Nec dubitamus,quin ex hoc ipſo codiceEuthymii vitam doctiſſimi Benedictini ediderint. Nam ex Colbertina bibliotheca opuſculum hoc ſibi a *Stephano Baluzio* communicatum fatentur, & neque in Colbertina neq; in aliis Galliæ bibliothecis aliud exemplar præter hoc unicum invenire potuerunt, & ipſa quoque verba congruunt, quibus Cyrillus vitam Euthymii, ſeu potius prologum hujus vitæ auſpicatus eſt. Vitam Euthymii excipit *vitaS.Cyriaci* anachoretæ,quam cum apud *Simeonem Metaphraſten* ſine Autoris alterius nomine reperiſſent doctiſſimi Editores, ipſi Metaphraſtæ adſcribendum cenſuerunt. Sequitur *Typicum ſeu regula monaſterii Gratiaplenæ*,ab Imperatrice Irene Ducæna, Alexii Comneni uxore,quæ monaſterium illud ædificaverat, moniali-

bus præſcripta, quam noſtris Benedictinis ex Regia bibliotheca *Thevenotius* ſuppeditavit, ab ipſa Imperatrice rubris characteribus, ut Imperatoribus eorumque Uxoribus moris fuit, ſubſcriptam, unde autographum eſſe illum codicem Editores minime dubitant. Subjectæ ſunt typico *tabellæ* aliquot, partem redituum illius monaſterii plurimis perplexis & minus uſitatis characteribus exprimentes, in quibus legendis & explicandis ſe multum deſudaſſe dicunt. *Heronis Geometriam*, cum ſola integro volumini ſufficiat, integram ex codice Regio edere noluerunt, interim operæ pretium facturos ſe exiſtimarunt, ſi quædam de menſuris inde excerperent, quæ intelligendis typici tabellis inſervire poſſint. Luce quoque publica digniſſimum cenſuerunt *antiquum rationarium Augusti Cæſaris, & novum Alexii Comneni*, cum in eo de variis vectigalibus & monetis plurima legantur, quæ hactenus vel minus nota vel penitus ignota extiterunt; unde non exiguum emolumentum ab hujus operis editione ad rem literariam acceſſurum confidunt. Præfixi ſunt huic rationario varii characteres monetarum, quorum explicationem haud exiguo labore ſibi conſtitiſſe, ex ipſa codicis inſpectione ſatis fore manifeſtum arbitrantur. Sub finem autem rationarii illius antiqui & novi annectitur breviſſimus *tractatus de menſuris & ponderibus*, notisque ea ſignificantibus. Ultimus hujus tomi tractatus eſt *vita Stephani junioris*, ſub Conſtantini Copronymi imperio ob imaginum cultum interfecti, a *Stephano eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono* quadraginta poſt Stephani mortem annis conſcripta, in quo multa referuntur, quibus Iconoclaſtarum, ſeu ut hujus vitæ autor loqui amat, iconocauſtarum *hiſtoria* illuſtrari poteſt. Hanc vitam Stephani a cognomine Conſtantinopol. eccleſiæ Diacono contextam non minus, ac aliam ejuſdem Stephani vitam a Simeone Metaphraſte compoſitam, quam *Jacobus Billius* olim latine redditam juris publici fecerat, in lucem emittere data occaſione voluit *Stephanus Baluzius*. Verum cum Benedictinos noſtros Græcorum quorundam opuſculorum editionem parare cognoviſſet, lubens iis conceſſit, quæ in ſuos uſus transſcribi e Regia bibliotheca curaverat. Neque tamen hi utramque Stephani vitam primo analectorum tomo inſerere voluerunt, ſed alteram a Metaphraſte elaboratam cum Billii verſione omittendam hac vice cenſuerunt, ne duæ ejuſdem hominis vitæ in eodem volumine conjunctæ lectori faſtidium crearent.

Sub-

Subjectæ ſunt his opuſculis notæ parcæ quidem nec prolixæ, minime tamen aſpernandæ, e quibus unam alteramve recenſere placet. In vita Euthymii p. 25. ad verba: ἐκ τῶν εὑρισκομένων βοτανῶν καὶ τοῦ μαλωᾶ διαιτώμενοι, obſervant, vocem μαλωᾶ ortam ex Hebraica מַלּוּחַ quæ legitur Job. XXX, 4. LXX. ibi vocem ἅλιμα uſurpant, qua Olympiodorus indicari dicit herbam, quæ cito ſatietatem affert, Herbam autem illam malvam eſſe, ex eo colligunt, quod & latina vox malva & græca μαλάχη cum hebraica illa voce haud exiguam cognationem habeat. Nec mirum eſſe putant, quod Cyrillus hujus vitæ Scriptor, cum Syrus fuerit, hebraicum aliquod vocabulum uſurpaverit. In eadem Euthymii vita p. 56. obſervatur, in definitione Concilii Chalcedonenſis non legendum eſſe ἐκ δύο φύσεων ex duabus naturis, ut edita Græce concilia vulgo legunt, ſed ἐν δύο φύσεσιν in duabus naturis, cum & Cyrillus in vita Euthymii conſtanter ita legat, & hæc lectio meliorem ſenſum reddat. In typico Irenes p. 187. ad vocem ἀρχονταρικίου refutatur Vir quidam eruditiſſimus, qui eſt Dn. Cangius, quod ἀρχονταρίκια idem eſſe dixerit, quod δεσποτικὰ οἰκήματα, quorum in eodem typico c. 79. mentio occurrit. Ab hac ſententia propterea ſibi recedendum putant, quod ἀρχονταρίκιον prope oſtium fuerit, deſpoticæ autem domus 150. cubitis ab oſtio diſtarent. Accedit ad alias rationes, quod ἀρχονταρίκιον diminutivum videatur, atque ampliſſimis illis domibus convenire nequeat. Exiſtimant igitur, ἀρχονταρίκιον eſſe cellam quandam prope oſtium, ſive primum monaſterii ingreſſum intra ſeptum monaſterii. Cur autem ſic appellatum fuerit, ignorare ſe fatentur. In eodem typico p. 264. disquiritur, cur Irene Nicephori Bryennii & Annæ Comnenæ filia Ducæna appelletur, cum tamen e Bryenniorum familia ortum duxerit. Arbitrantur autem, quod Irene Auguſta ex ſingulari amore nepti huic ſuæ, quam præ aliis amavit, non modo nomen ſuum proprium, ſed cognomen quoque indiderit. Clauditur hic tomus onomaſtico ſingularium vocum græcarum, quæ in his opuſculis occurrunt, & indice nominum & rerum memorabilium.

TRACTATUS MORALIS DE JURAMENTIS, EDITUS a Joh. Wolffgango Jägero, Moral. Prof. Tubingenſi.

Stutgardiæ typis Pauli Trew, 1687. in 8vo.
Conſtat plagulis 23.

DOlendum prorſus eſt, eo cum morum diſciplina, quam ſanctam utique & intemeratam ſervare oportebat, rem deveniſſe, ut qui formare eos regereque debeant, viam aditumque turpiſſimis quibusque facinoribus methodo ſua hypotheſibusque aperiant: quam perverſorum, in cœtu Romanenſium, Caſuiſtarum moralia tradendi rationem, haud paucos ex eadem eccleſia reprehendiſſe non ſolum, ſed & condemnaſſe in ſuiſmet fratribus, recenſitum non ſemel oſtenſumque in Actis eſt: inprimis autem cum Caſſianum a S. Elia percenſeremus A. 1685. p. 253. Quare quum indigne adeo haberi ſanctiſſimam diſciplinarum adverteret Autor celeberrimus, arma potiſſimum viresque adverſum illos direxit, & præter Diſſertationes de Conſcientia, de quib9 alio tempore dicturi ſumus, præſentem iis Tractatum non oppoſuit ſolum, ſed & monſtrare veriora de argumento iſto ſategit. Certis autem articulis rem omnem ita perſequitur, ut primo de natura juramenti agat, & an jurare licitum
53 ſit, quæque eo requirantur, imprimis autem, *an & per creaturas jurare liceat*, prolixe exponat. Secundus articulus cauſas juramenti evolvit, materiam p. 56, formam p. 81; quo etiam jurandi formulæ referuntur
p. 105 p. 95, & perſonæ, quæ jurare poſſint, expenduntur: ubi pene omnes in Papatu Moraliſtas ſtatuere ait, quod DEus jurare *formaliter ac proprie*
p. 109 non poſſit, quibus non Scripturæ tantum loca, ſed & effectus divini juramenti opponit, ab Apoſtolo Hebr. VI, 17. indicatos. Ubi etiam decidit, juramentum ex iis non eſſe, quæ neceſſario peccatum ſupponunt;
128 ſtatumque adeo innocentiæ capacem juramenti, *promiſſorii ad minimum* p. 129. fuiſſe arbitratur. Tertius articulus de virtute Juramenti promiſſorii & obligatione disquirit, variasque de juramento vi metuve
172, 173 aut dolo extorto quæſtiones reſolvit. Quartus extenſionem juramenti
207 quoad obligationem expendit; quintus autem modos auferendi obligationem deſcribit & examinat, ubi multa etiam de irritatione, diſpenſa-
269 tione, condonatione, relaxatione juramenti reperias. In ſexto deni-
293 que articulo *de perjurio* agit, & poſt plures alias, eam quæſtionem diſcutit, *an utens æquivocatione perjurus* ſit, immaniaque nonnullorum
342 monſtra debellat ac proſternit.

TRACTATUS DE LEGIBUS TUM IN GENERE, tum in ſpecie, autore Eodem.

Tubingæ apud G. F. & Ph. Bliſers 1688. in 8vo.

Conſtat plagulis 20.

Agit

AGit hic tractatus, ceu in frontiſpicio promittitur, de Legibus primum generatim conſideratis, more in ſcholis recepto: de earum nempe ſubjecto, eſſentia, poteſtate etiam legislatoria, promulgatione & aliis.(Ubi inter alia obſervatur, non neceſſariam eſſe Dn. Puſendorfii ſubtilitatem, qui *male directivam coactivamq. vim legi tribui* arbitretur: qua opinione enervari Autor putat totam efficaciam legis; ut nihil illi
remaneat niſi exilis ratio ſigni; ut alia quæ ab eodem reponuntur, taceamus.)Poſtea ad ſpecies legis deſcenditur, & primum lex *æterna*, dein naturæ conſideratur. Ubi operoſus inprimis Autor eſt in vindicanda ſoceri ſui Dn. Joan. Adami Oſiandri ſententia, qui *legem Naturæ in ſtatu integritatis non eſſe eandem cum illa, quæ eſt in ſtatu lapſus*, aſſeruit in Typo Legis Nat. p. 168. idq; præeunte B. Hülſemanno noſtro p. 348. dicente, legem naturæ & ſenſum bonitatis & æquitatis poſt lapſum reliquum, tam dici legem naturæ, *ut virgo deflorata, virgo.* Argumentorum, quibus
Oſiander utitur, ſumma eo redit, quod L. N. in ſtatu integritatis dictitaverit rectitudinem omnium facultatum, cum qua non poterat conſiſtere ulla obliquitas; econtra vero lex naturæ in ſtatu lapſus umbra ſaltem ſit primævæ rectitudinis, quæ conſiſtat cum corruptiſſima omnium facultatum conditione. Quod inſuper lex Naturæ in ſtatu integro omnem
excluſerit concupiſcentiam; hæc vero neutiquam excludat, neque oſtendat profundum illud malum & fibris intime inhærens, adeo ut ipſe Apoſtol. Rom. VII, 7. pronunciet, peccatum non cognoviſſe ſe, niſi per legem ſc. Moſaicam. Quod denique Lex naturæ in primo homine complexa ſit dilectionem DEI & proximi ſinceram, & perfectam importaverit facultatem, cujus beneficio producere potuerit opera perfecte bona, & ex aſſe DEO placentia: lex econtra naturalis in ſtatu corruptionis illam Veri Numinis proximique ſinceram ac perfectam, quam DEus requirit, dilectionem ignoret, nec opera ex ſe gignat vere bona, ſed ſi ad interiora reſpiciatur, mala, *quæque ſimulacra tantum virtutum appareant.* Cæterum confidenter hoc ab Oſiandro aſſertum eſſe, eiq; *ita excidiſſe* pro-
nunciabat Dn. Rachelius, *quod legem naturæ per habitum definiiſſet.*
Proteſtatur autem Autor, Oſiandro in mentem nunquam veniſſe, ut aſſereret LegemNat. *ſecundum ſe & in abſtracto* eſſe mutabilem; quin potius ejus immutabilitat. ſummis viribus adſtruxiſſe, & argument. non minus validisquam ipſeRachel. Deinde falſam eſſe dicitRach. hypotheſin, *quod non*

41 114 115 116 117

non detur L. N. per modum habitus, quippe cui Rom. II, 14. 16. tam clare contradicatur. Argumentum quoque a providentia contra Oſiandri ſententiam deſumtum, non ſtringere dicit: quid enim magis ad Providentiam divinam pertinuerit, quid magis Juſtitiam & ſanctitatem DEI expreſſerit, quam imago Divina concreata? & tamen mutationem eam ſubiiſſe talem, ut ſi in ſenſu biblico loquamur, *totaliter ſit deperdita.* Dixerat quoque Rachelius, quod jus naturæ ſit a Providentia divina juxta ideam legis æternæ profectum: quam tamen ſententiam nec accuratam eſſe, nec cum Autoris ſui principiis convenire Autor cenſet, quia
124 providentia ſit poſterior creaturis, lex autem naturæ, *ſi in concreto* accipiatur, cum ipſa creatione cœperit, in abſtracto autem ſpectata, teſte ipſomet Rachelio, non creatione tantum, ſed ipſa quoque voluntate divina prior ſit. Quibus ulterius diductis, *illorum tandem ſententiæ* ſubſcribit, qui radicem fontemque juris naturæ, reſpectu DEI, in ipſa ejus ſanctitate & juſtitia ponunt, eamque ex Scriptura & ratione ſtabilitum it. His tractatio de legibus humanis, earumque neceſſitate, & obligati-
249 one, lege item irritatoria aliisque ſubjungitur, tandemque *de Conſuetu-*
291 *dine* ampla diſquiſitio inſtituitur.

DIATRIBE HISTORICA DE XERXE NEBUCADNEzare, ac Cyro Minore Liberatore Judæorum: ad Juſtini Epit. Trogi L. XXXVI. c. 3. n. 8. Autore Joh. Chriſtophoro Artopæo, Eloq. Profeſſore in Academia Argentoratenſi.

Argentorati 1689. in 4to. ap. Joh. Welperum. Plag. 7.

CUm chronologiam biblicam deductum inde ab exordio mundi ad Chriſtum, difficultatibus non paucis impeditam, rationesque chronologicas admodum perturbatas videret Clariſſimus Autor, non mali tantum hujus monſtrare cauſas, verum & remedia eidem quærere hoc ſcripto ſuo voluit, cavereque modis omnibus, ne majeſtate & perfectione Scripturarum indignum quid uſpiam admitteretur. Eſt vero in ea
p. 3 ſententia, Nabuchodonoſorem qui captivum abduxit populum Judaicum, ipſum Xerxem eſſe: Cyrum autem Minorem, Darii Nothi filium, fratrem Artaxerxis Mnemonis, autorem edicti, quo & reditus, & templi pariter atque urbis reſtauratio, populo jam dicto eſt conceſſa. Disqui-

quiſiturus jam, qua ratione verificari de Xerxe poſſint,quæ in ſacris literis de Nabuchodonoſore ſunt prodita,oſtendit primo,ante priorem Cyrum neminem,in quem iſta conveniant,reperiri;&,niſi Xerxes proNebucadnezare habeatur,tantiRegis hujus nec abHerodoto,nec a Cteſia,nec a p. 4.
Xenophonte, qui tamen proximi iſtis temporibus fuerint Scriptores atq; diligentiſſimi, mentionem ullam vel verbulo fuiſſe factam: neque Æ- 6.
gyptiacorumRegum ſeriem,ſive ſacram ſequamur, ſive profanam chronologiam, permittere, ut Nebucadnezar ante priorem Cyrum collocetur: nec ullam Ægyptiorum ſervitutem ante tempora Cyri Majoris extitiſſe: In Beroſi teſtimonio,quod Joſephus habet,nihil eſſe,quod non de 9.
Xerxe æque ac alio quovis poſſit intelligi: Beroſum non modo tempora diverſa confudiſſe, ſed e diverſis præterea Cyris, Majore atque Minore, 12. ſeq.
feciſſe unum: Majorem, ipſum eſſe Nabonaſſarum a Chaldæis, Syris, Ægyptiis ita nominatum: Succeſſores hujus, Cambyſen, Smerdin, Oropaſten, Darium, Xerxem, aliis apud Chaldæos quam dictis, jam nominibus fuiſſe inſignitos; cumque hi ipſi Perſicis denuo, Medicisve nominibus (quæ &Græci receperunt) nova repeterentur ſerie,annorum quoque novam ſeriem eſſe conditam, indeque rationes chronologicas immane quantum perturbatas. Simile quid Ægyptiorum Dynaſtiis accidiſſe, cum nempe ſimultaneæ pro ſuccedaneis, errore non levi, a nonullis haberentur. Non mirandum itaque, quod integram epocham e chronologorum computo eximendam prorſus & eliminandam noſter duxerit, quodque olympiadum initia plus quam centum & viginti annis, quam 14.
communiter ſtatui ſolent, antiquiora fecerit.

Nec debile fundamentum cauſæ hujus ponit inſomniorum, quæ Xerxi &Nebucadnezari viſa leguntur,ſimilitudine.Danielis quippe ſecundo cap. relatum,& Xerxi contigiſſe,libro ſeptimo Herodoti; virumque ma- 16.
gnum & ſpecioſumXerxi viſum,nihil niſi coloſſum eſſeNebucadnezaris: rurſus de arboris univerſam terram obumbrantis ſpecie quæ memorantur,ad tertiam viſionem Xerxis accommodat. Porro cum ad agnitionem veriNuminis perveniſſe Nebucadnezar dicatur Dan.II,47.III,95.ſq.100. 18.
IV,ult idem oſtendit in Xerxe deprehendi,&Babyloniæ ſacraria,teſteArriano,ſubvertente,& idolum Beli prorſus abolente.Nec enimCambyſen, ſed Xerxem debellaſſeÆgyptios,templa eorum evertiſſe,Apin occidiſſe, omnesq; eorum religiones vaſtaviſſe, quod eventorum horum tempora ab Ezechiele prædicta ferant nullatenus, ut Cambyſi ea tribuantur. Imo

mentionem & furoris aliquam a profanis fuiſſe docet injectam. Succeſſores dein Xerxis cum Nebucadnezaris ſucceſſorib9 ſic componit, ut & inde quodammodo appareat, Xerxem non differre a Nabuchodonoſore. Ahasverum tamen maritum Eſtheris pro ſingulari habendum rege putat, qui
19. poſtquam ſub Artaxerxe Longimano magnam nactus potentiam ab eo defeciſſet, novum regnum ſit exorſus, Monarchiam, quam Babylonii hactenus toti Aſiæ intendiſſent ad Perſas transferendo. Et quamvis regna, Babylonicum atque Perſicum, teſtante ſecundo, quinto, & ſeptimo Danielis capite, diverſa fuerint; in utroque tamen, pari cum alteris & dignitate, & jure fuiſſe Medos: Chaldæosque ſub Nebucadnezare, ac proinde ſub Xerxe (vi hypotheſeos) Perſis ipſis fuiſſe dominatos: neque alio
21. modo Xerxem Perſarum regem appellari, quam Carolus Magnus Alemannorum Rex nominetur, vel Saxonum, quos ſub ſuo, id eſt, Francorum imperio continuerit. Poſt cœptam Perſarum monarchiam ſcripſiſſe Græcos, de rebus ante eam geſtis, & a Perſis accepiſſe pleraque: factum inde, ut Cyrum majorem ejusve poſteros *Perſarum* reges nominarint per errorem: & cum Perſicæ originis ex altero parente Cambyſe idem eſſet Cyrus, (quemadmodum Carolus V. & Ferdinandus ex altero parente erant Hiſpani) deſtructa monarchia Aſſyriaca, Medorum Imperio adjeciſſe eum iſtam Aſiæ partem quæ Aſſyriis paruerat, & regnum, Ahasveri demum tempore, Medo-Perſicum factum eſſe, quod pridem Medo-Babylonicum fuiſſet. Primam denique diatribæ partem
22. concluſurus hunc in modum arguit: Si minor Cyrus is eſt, qui Judæos captivitate liberavit, Xerxes erit is, qui captivos eosdem abduxit: cujus quidem pronunciati veritatem definitio temporis numero, qui ſeptuaginta annorum eſt, roborari ſatis formarique cenſet.

In altera ejusdem partæ aſſumendæ jam propoſitionis, quæ videbatur μέγα λίαν αἴτημα, certitudinem exinde confirmat, quod a Cyro mi-
23. nore non plures quam 490. anni, ad Judaicæ politiæ finem præterierint: a Majori autem Cyro multo plures. Septuaginta hebdomades annorum ab edicto Darii ſive Hiſtaſpidis, ſive Nothi, vel etiam ab edicto Artaxerxis Mnemonis, quod 123. annis edicto Cyri eſt recentius, auſpicandas eſſe negat ideo, quod iisdem verbis angeli c. IX, v. 25. advertere jubeatur Daniel & obſervare iſtum terminum, a quo dictæ LXX. hebdomades veniant numerandæ. Præſtare autem hoc prophetam minus potuiſſe, niſi de edicto Cyri ſermo ſit, quippe qui annum Cyri primum

(Impe-

(Imperii cum Dario Medo ſocialiter exerciti tertium,)vitæ ſuæ poſtremum habuerit,c.I,v.ult. & c.X,1. Ab Eccleſia illius temporis excludi non oportereDanielem,utpote cujus cumprimis deſiderio revelatione iſta ſatisfacere,precesque exaudire Deus voluerit. Fruſtra hoc etiam loco reſtaurationem urbis a reſtauratione templi ſeparari, quod edicto Cyri utrumque contineatur: a Cyro autem primo ſi promulgatum illud ſupponamus,integro pene ſeculo ante Chriſtum paſſum hebdomadum harum periodum ad calcem decurriſſe. Chronologiam ergo biblicam cum hæc de Cyro Majore ſententia mancam facere videatur & incertam, improbari eam merito,multoque rectius aſſumi alteram de Cyro minore liberatore populi Judaici,quæ hiatum nullum inducat in Scripturam,nihil indignum majeſtate ejus atque perfectione involvat, cogatque neminem ab extraneis & profanis ſcriptoribus, pro ejusdem ſubſidio & complemento quidquam aſſumere. Rurſus Cyrum Majorem adhuc viventem non habuiſſe aliquem ſucceſſorem, eundemque adverſarium, qui irrita pronunciare acta ejus potuiſſet: qualem tamen habuiſſe Cyrus, qui populi captivitatem ſolvit, Eſræ IV, 5, 6, 7. perhibeatur. Minori ex adverſo fratrem Artaxerxem Mnemonem omnino contigiſſe adverſarium & ſucceſſorum, Xenophonte, Cteſia, cæterisque Scriptoribus Græcis pariter ac Latinis teſtibus. Quæ in Eſtheris volumine deſcribuntur, eſſe ante reditum populi, ſolutamque captivitatem geſta ſine dubio, eoque cum in confeſſio ſit,quod poſt Majorem Cyrum Ahaſverus Eſtheris maritus,imperio Perſico 127. Satrapiis jam conſtante,vixerit,fieri non poſſe, ut Cyrus prior habeatur pro eo, qui captivo populo reditum ab exilio in patriam, per edictum, quod II. Paral. ult. & Eſræ I. legitur, indulſerit. Ab Eſtheris hiſtoria ad Danielem revertitur, ex quo urget potiſſimum, quod Major Cyrus Darium neque prædeceſſorem nactus fuerit,neque in regno ſocium: habuerit eum vero Minor; eoque non illum, ſed hunc ſolutæ captivitatis autorem videri. Item,quod a Cyro minore reges adhuc tres,Mnemon,Ochus,& Arſames ſteterint in Perſia,juxta vaticinium Daniel. c. XI,3. a Cyro autem Majore non tres, ſed novem ſtetiſſe memorentur. Tandem nec ætatem Nehemiæ ait concedere,ut per Cyrum, qui Nehemiam cum Serubabele Hieroſolymam remiſit, intelligatur Major: omnem enim fidem excedere quod ducenteſimum & viceſimum ætatis annum vivendo is attigerit,

24. 26. 32. 33. 35. 36.

Expoſitis hunc ad modum propriæ ſententiæ fundamentis, in iis,
37. ſeq. quæ opponi eidem poſſint, diluendis ſic verſatur, ut doceat ex Xeno-
phonte, Cteſia, Trogo, Plutarcho, Diodoro Siculo, (Ciceronem, & Juſti-
num omittimus) tantam utique Minori Cyro fuiſſe autoritatem, ut edi-
ctum Eſræ I. expreſſum promulgare potuerit, præſertim cum a Patre ad-
40. huc vivo Rex & ſucceſſor eſſet declaratus: & nihil obſtare, quo minus
eidem vaticinium applicetur Eſaiæ, quo liberator populi futurus, Deum-
que verum agniturus prænunciatur. Majorem Cyrum vero nullum de ſe
indicum veri Dei agnitionis præbuiſſe.

In *appendice* Diſſertationis hujus rationem reddit, quare ex chro-
nologorum calculo totam illam ſeriem removerit Babyloniorum Re-
gum, quam Ptolomæus a Nabonaſſare in *Canone temporum* deducit.
Nempe non factum id ait temere, neque ut ſerviret hypotheſi; ſed quod
41. aliter Scripturæ Chronologia & autoritas ſalva nequeat ſubſiſtere, quod-
42. que non capiat, quibusnam monumentis Ptolemæus poſt tot ſecula,
quam vixerunt dicti Reges, tantam eorum ſeriem, diſtinctam a ſerie
Perſicorum Regum referat acceptam. Græcis certe, Herodoto & Cte-
ſiæ ignotos eſſe eos prorſus: neque hauriri ex Ægyptiorum monumen-
tis ea potuiſſe, quod Ægyptiorum ſacerdotes de hiſce Regibus nihil
Herodoti ætate cognitum habuerint, idque non obſcuro eſſe argumen-
43. to, quod Aſſyriacæ poſterioris Dynaſtiæ Reges confuderit hic chronolo-
gus cum Medobabylonicis, quibuscum fuerint ſimultanei: ipſos inte-
rim Medobabylonios eosdem cum his fuiſſe, qui *Perſæ* appellati ſint a
Græcis.

Parte tractatus poſteriore, quæ peculiarem diſſertationem *de In-
certitudine notationis temporum per olympiadas* complectitur, id erit
denique, ut oſtendat, Olympiadas male certum characterem eſſe tempo-
rum, *primo* quidem ob incertum, a quo cœperunt illæ, terminum, imo a
quo cœpiſſe feruntur, palam falſum. 2. propter multiplicem earundem
in progreſſu interpolationem mutationemque. 3. propter defectum au-
toritatis publicæ. 4. propter novitatem eorum, qui primi alligarunt
quoslibet eventus ad Olympiadas, & 5. propter ſuſpectam chronologo-
rum ex multis cauſis ſive fidem, ſive ſufficientem notitiam, ortumque in-
de in ſupputandis iis diſſenſum varium. Facere itaque indigne
56. admodum concludit, qui propter diſſenſum olympiadici characte-
ris Scripturæ chronologiam pronunciare mancam & mutilam non ve-
rean-

reantur, aut ulla ejusdem clara loca detorquere, ne quid decedat forte gentilium Scriptorum autoritati: qua quidem in re fuiſſe Eccleſiæ doctores veteres, Clementem Alexandrinum, Euſebium &c. una cum Joſepho hallucinatos, ſit extra dubium.

D. GREGORII ROSIGNOLI NOVARIENSIS EX Clericis Regularibus Congregationis S. Pauli Theoremata Theologico-Juridica DE RESTITUTIONE.

Mediolani typis Caroli Antonii Malateſtæ 1688. in fol. Conſtat plag. 130.

EX titulo libri præſentis cuilibet facile conſtrare arbitramur, Reſtitutionis negotium haud quaquam coercere Autorem intra Juris Romani circulos anguſtiores & ſatis arduos ſubinde; ſed eum potius ad ſpatioſiſſima Jurisprudentiæ Moralis jugera reſpicere, & latiores multo ſibi ponere limites. Ut ergo ambitum hujus materiæ certius definiret, tres libros diſtincte formare inſtituit; in quibus ſingulis Prænotiones ſeu præſuppoſita quædam ſuccincte prius declarantur, ſectionibus pro re nata factis, ubi paulo generaliora videntur; poſtmodum ad Prænotionum iſtarum ſeriem diſquiſitiones ſeu quæſtiones ſpecialiores non quidem adeo adſtricta methodo ſe ſiſtunt. In lib. 1. Prænotionum loco terminus, indoles ac natura Reſtitutionis primum declaratur; ſuccedit actionum injurioſarum recenſio, quæ, prout aut bona fortunæ, famam & honorem, corpus & vitam, aut res ſpirituales afficiunt, varias ſectiones patiuntur, quoties vel ſingularis perſonarum reſpectus, vel diverſus cooperandi modus, aut negotiorum & contractuum varietas intervenit. His rite declaratis, Diſquiſitiones ſeu quæſtiones ſpecialiores longo agmine ſubſequuntur. Aliquas ſaltim recenſere vacat. An quis teneatur damnum, quod præter intentionem dedit, reſarcire, *p. 209.* An ebrius & dormiens, ſi aliquem occiderint, teneantur reſtituere, *p. 212.* An religioſus ludens ſine licentia poſſit retinere, lucrum, *p. 258.* An peccet contra juſtitiam, qui dicit de altero, quod ſit ſuperbus, avarus, *p. 288.* An temere & voluntarie quid grave de proximo ſuſpicari ex levibus indiciis, ſit peccatum mortale, *p. 291.* An homicida teneatur ad intereſſe animæ occiſi, *p. 311.* Utrum Clericus non recitans horas canonicas peccet contra juſtitiam, & teneatur ad reſtitutio-

nem,*p.313.In lib.* 2. eodem ſub habitu referuntur, quæ circa Reſtitutionis actum obſervanda veniunt; ubi perſonarum conditio, rei reſtituendæ qualitas, modus, tempus, ordo & locus reſtitutionis ſeorſim explorantur. Contraria Reſtitutionis colophonem *lib. 3.* addunt, quæ ab impotentia debitoris, bonorum ceſſione, rei interitu, judicis autoritate, ingreſſu in Religionem, bonorum incertitudine, compenſatione, creditoris excommunicatione & remiſſione, & ex aliis cauſis non æquali licet ſucceſſu deduci ſolent. De cætero ſuperſedemus ſingulare apponere elogium, ſiquidem primo ſtatim intuitu titulus libri Lectorem ſufficienter inſtruit, *Opus* hoc *omnibus tum Moralis tum Sacræ Theologiæ, & Juriſprudentiæ Profeſſoribus nedum utile, ſed pene neceſſarium eſſe.*

HISTOIRE DU CALVINISME PAR MONSIEUR SOULIER,
i. e.
Hiſtoria Calviniſmi Auctore Domino Souliero.
Pariſiis apud Couterotium 1686. in 4.
Conſtat 4. Alphabetis.

QUantumvis jam anno *octogeſimo ſecundo* ſeculi ad finem inclinantis *Ludovicus Maimburgius*, non infrequens in Actis noſtris nomen, ſcriptam a ſe *Calviniſmi hiſtoriam*, tanquam primum fœtum, poſtquam ex *Jeſuitarum ordine* vel *emiſſus* vel *ejectus* erat, in publicum evulgaverit, quæ & a nobis *anno inſequenti octogeſimo tertio menſe Martio* p. 89. in *Acta* hæc relata, & adeo quidem de cætero diverſimode a diverſarum hominibus partium accepta fuit, ut Romanæ addicti Sectæ multis eandem cumulaverint encomiis; illis viciſſim non unis operibus, a nobis etiam pari ſinceritate recenſitis, eandem caſtigantibus, qui *reformatam* profitentur *religionem*: Haud quaquam tamen hac ipſa abſterreri ſe paſſus eſt operis præſentis *Auctor*, ut novam *Calviniſmi* hiſtoriam a ſe conditam quatuor poſt annos in lucem publicam non exponeret. Cum enim, uti memorat, *Edictorum hiſtoriam* jam emiſiſſet, plauſibus *Romano-Catholicorum* & elogiis exceptam; *Reformatis* quamlibet multum indignantibus, ut pote quem veluti prodromum aſpexerint illius ruinæ, quæ illis partibus non ita multo poſt incubuerit: contineri ſe non potuiſſe ait, quin ad juſtam de Calviniſmo hiſtoriam concinnandam ſe accingeret. Confidit tamen, tam ſedulo in hoc Opere ſe etiam litaſſe veritati, ut non amplius locus adverſariis ſit relictus, malæ ſe fidei, & ex-

 aſperati

aſperati in eos odii atque indignationis regiæ ulterius accuſandi. Quod ut magis veriſimile faciat, documentis, quibus uſus eſt, & quæ ex Bibliotheca regia patuiſſe ſibi ſcribit, autoritatem adſtruere nititur, quippe quæ *Lomenius* SecretariusStatus, Vir & in patria & apud exteros fidei probatæ; magna cura collegerit, viginti voluminibus ex iis compoſitis, quæ ab anno *vigeſimo tertio* ſuperioris ſeculi, ad annum hujus ſeculi *trigeſimum quartum*, pro *Proteſtantibus*, tum & contra eos actitata ſunt; quæ cum antea in BibliothecaMazariniana delituiſſent, ex hac demum in regiam, *duobus Commiſſariis* Pariſienſibus huic negotio præfectis, illata fuerint. Neque rationem ſupereſſe, cur in ſuſpicionem aliquis deſcendere velit, quaſi *Acta* iſta, vel a *Lomenio* falſis narrationibus interpolata, vel ficta etiam a ſe fuerint, cum fraudem facile detegere poſſint adverſarii, quippe qui archetypa ipſa Rupellæ aſſervata in actis publicis, quæ anno ſexageſimo nono adhuc extiterint, inſpicere poſſint.

Totum opus in duodecim diſpertivit libros, in quibus ita perſequitur inſtitutum ſuum, ut Calviniſmi *nativitatem* ad tempora *Franciſci I* & *Henrici II* referat; *progreſſum Franciſco II.* imperante apparuiſſe ſcribat, qui tamen ſub *Caroli IX, Henrici III & IV.* regimine incrementa maxime ſumſerit; *decrementum* ſenſiſſe regnante *Ludovico XIII* memoret; usque dum ad incitas fere redactus *evanuerit* demum ſub *Ludovico XIV*, quem *magnum* dicit, qui & *Calviniſtas* ſine bello & ſanguine ad ſinum Eccleſiæ Romanæ reduxerit.

Cum igitur expoſuiſſet, quæ cauſæ ipſum ad ſcribendam hiſtoriam impulerint, altius de reformatione religionis repetit originem; injurius quam maxime, pro indole ex iſta parte ſcribentium, in *beatum Lutherum noſtrum*, quaſi qui irritatus injuria ad tantum proceſſerit negotium. Sed quæ cauſæ fuerint *Luthero*, ut eccleſiam ceremoniis inanibus obrutam, & craſſa ſuperſtitione defœdatam repurgaret, pluribus atque magis ex vero deduxit Vir literarum gloria & meritis in rem publicam illuſtris, *Dn. Vitus Ludovicus a Seckendorff, in Commentario Hiſtorico atque Apologetico de Lutheraniſmo;* quod accuratiſſimum opus nunc ad annum *Lutheri* emortualem perductum, brevi ſubjicietur prælo, cujus rei *Index* rerum in eo contentarum, quæ notabiles admodum atque rariſſimæ ſunt, & ex parte nulli fere innotuerunt huc usque, nuper vulgatus ſpem facit indubiam. Statim tamen adfuiſſe dicit *Autor*, qui *Lutheri* partes amplecterentur, & hos primos inter

ter, vicinos Helvetios, Bernates cumprimis atque Tigurinos, cum ibi
1523. *Zwinglius*, ſtrenue rem urgeret, cumq; Genevæ lites inter Epiſcopum atq;
cives exortæ eſſent, *Guilhelmum Farellum*, ob novam religionem ex Gal-
lia exulem, adeo convenienter iſtis fuiſſe uſum, ut urbe epiſcopus exce-
1533. dere coactus fuerit, nunquam rediturus. Interea id egiſſe Sectæ Capita, ut
quam latiſſime religionem novam diſpergerent, eoq; conſilio & magnam
Prædicatorum numerum immiſiſſe Galliæ, qui etiam progreſſiones ibi
fecerint ingentes. Præcipue iſtam in curam incubuiſſe *Joannem Calvi-
num*, ex indignatione ob negatum ſibi *Lutetiæ* beneficium eccleſiaſticum,
& prælatum ſibi cognatum rei bellicæ Præfecti ſupremi *Mommorancii*, ad
iſtas partes transgreſſum, qui tamen mox ob edictum *Franciſci I.* con-
tra *Lutheranos* promulgatum, *Argentoratum* & abhinc *Baſileam* diſces-
1535. ſerit, ubi & *Inſtitutiones ſuas* primum ediderit. Verum ipſum mox re-
1538. diiſſe in Galliam, ſed iterum coactum remigraviſſe in Germaniam, ac
in itinere ad tempus Genevæ ſubſtitiſſe, ſed ortis in hac urbe ob religio-
nem diſſenſionibus, Argentoratum iterum abiiſſe, donec paulo poſt
compoſitis Genevæ turbis, eam urbem repetierit. Nullis interim *Fran-
ciſcum* curis, nullis laboribus Sectam hanc ſuis quidem adhuc in initiis
ſubſiſtentem, ſed tamen magis magisque adoleſcentem potuiſſe ſup-
primere, Nam & *Meldis* eam, quæ urbs *Campaniæ* eſt, per carmina-
tores, fullones aliosque illius generis homines valde increviſſe, poſt-
quam ipſi *Petrum Clericum*, & ipſum carminandæ lanæ artificem, conci-
onatorem ſibi conſtituerint, tam ſcite eo perfunctum officio, iisque di-
cteriis Romanam Eccleſiam inſectatum, ut mox magnus ſectariorum
1546. ejusmodi exurgeret numerus. Quamvis cum interciperetur *iſta* urbs,
infelix concionator Lutetiam abreptus & igni addictus fuerit. Inter
1547. hæc deceſſiſſe *Franciſcum Regem*, cui ſucceſſerit *Henricus II*, non
minore zelo inflammatus ad renovanda contra *Lutheranos* edicta, imo
& ad nova promulganda; ſi modo increſcenti *doctrinæ Lutheranæ*
peſſulum opponere iisdem potuiſſet, quod adeo fieri non potuerit,
ut in ipſa Pariſiorum urbe latius latiusque graſſata fuerit. Qua occaſio-
ne ex *Theodoro Beza*, uti annotat, refert, qua ratione primus Lutetiæ
1555. miniſter conſtitutus ſit. Cum enim *Nobilis* quidam ob religionem ſe
Lutetiam contuliſſet, & ibi magnus ob idem religionis ſtudium ad
ipſum identidem fieret concurſus, uxorem ejus partum enixam eſſe,
de quo baptizando cum ſuſcepta eſſet deliberatio, noluiſſe parentes ſacro
fonte

ſonte ablui infantem ſuum a Pontificiis, ob nimiam, quam ſectarentur, ſuperſtitionem, & conventum adeo de conſtituendo Miniſtro ſubmonuiſſe, cui cum non niſi laici, ut loquuntur, intereſſent, ipſos ſe excuſaſſe, ſuæ id eſſe poteſtatis inficiantes. Sed parentes inſtitiſſe precibus ſuis, minis additis, ſe apud Deum eos eſſe accuſaturos, ſi filiolus ſuus tam ſalutari aqua non tinctus decederet; quod quidem eo valuerit, ut ſorte Miniſtrum eligere conſtituerint, quæ hunc ipſum *la Raviere* tetigerit, qui & hunc actum baptiſmalem, & cæteras deinde ſacri officii partes illic executus ſit. Cum vero porro *Henricus II* rigidiſſimum contra Vallenſes puriorem religionem profeſſos edidiſſet edictum, nequaquam id datum fuiſſe executioni, quia & *Proteſtantes* in Germania pro ipſis interceſſerint, & Rex bello cum Hiſpanis involveretur, quod a curis iſtis ipſum retraxerit; quo bello etiam cum pace commutato, non tamen minꝰ novæ religioni addictos clam conveniſſe, quin tam audaces eſſe redditos, ut ipſis Pariſiis in ſuburbio S. Germani *primam omnium Synodum nationalem* celebraverint, jactis ibi inſuper primis fidei confeſſionis fundamentis, & conſtituta diſciplina eccleſiaſtica; quæ Synodus tam ſecreta fuerit habita, ut neque Regi, neque magiſtratui vel minimum ea de re innotuerit. 1556

Verum poſt fata *Henrici II.* manifeſtiſſime ſectæ hujus apparuiſſe *progreſſus*, malisque inſecutis patentiſſimam apertam fuiſſe portam, quod & filius adoleſcens & corpore & mente imbecillis Patri ſuccederet, nec *Rex Navarræ* in partem adminiſtrandæ reipublicæ admitteretur, cum autoritatem mater *Catharina de Medicis* quacunque ratione retinere vellet. Quod etiam cum viderent *Principes ſanguinis*, non potuiſſe ipſos æquo ſufferre animo iſtam, qua ſpernebantur, injuriam, nec enormem *Guiſiorum*, qua in aula eminebant, autoritatem; quapropter ad Principem *Burbonium* ſe recepiſſe, ut Lotharingios iſtos nimia evolverent potentia, quamvis cum jactura antiquæ religionis quietisque publicæ id fieri debuerit. Sic iſtis partibus maximum acceſſiſſe robur atque momentum, accedentibus ad *reformatos* Thalaſſiarcho *Colinio* & fratre Cardinali *Chatillonio*. Nam id cum comperiſſent novæ religioni addicti, undiq; tumultuari cœpiſſe, quæ res dederit occaſionem *Franciſco II.* publicandi *Declarationem*, qua prohibita ſint *conventus nocturni, quibus ſub prætextu religionis, res tam fœdæ dictu, infames atque deteſtandæ peragerentur, ut de iis ne quidem cogita-* 1559 1559

gitare aliquis ſine offenſione poſſet. Parum tamen abſuiſſe, quin anno
1560 ſequenti (quo primum tempore *anno a Menſe Januario initium* datum fuerit, cum antea non niſi cum Paſchate incepiſſet) & Rex, & Monarchia & religio Catholica in Gallia fuiſſet ſublata, cum e nobilitate *Renaudius* ſub ſpecie contrahendarum nuptiarum *Nannetum* præcipuos *Reformatorum* convocaſſet; tum enim conſtitutum eſſe, ut Rex, qui tunc Bleſis egerit, interciperetur; qui vero, cum Abaſiam Rex ſe nimis cito contuliſſet, priusquam expedire conſilium potuerint, mutare locum conventus neceſſe habuerint; ſed conſpiratione detecta ejus Autores captos, & ob meditatum facinus fœde mulctatos eſſe. Qua occaſione annotat *Autor*, cum antea novæ religioni addicti *Lutherani* appellarentur, nunc demum incepiſſe famoſo *Hugonottarum* inſigniri nomine, a *turre* vel *porta Regis Hugonis* apud *Turones*, ad quam nocturno tempore ad preces fundendas crebrius conveniſſent. Nam ſic & *Bezam* arceſſere illud nominis a Rege quopiam *Hugone*, qui *Turonibus* noctu per urbem circum ambularit, & quo terriculamento cives pueros perterrefacere in uſu habuerint. Cui ſententiæ ſubſcribit etiam *Autor*; quamvis ſint ex recentioribus hiſtoricis, qui hanc appellationem ex ipſa *Geneva* velint hauſiſſe originem, & alii ex *libello aliquo ſupplici*, cujus initium fuerit: *Huc nos.* Nam uti nullis fundamentis hæ conjecturæ ſuffulciantur; ita illis potius fidem habendam eſſe, qui tum temporis & in vicinia quidem Turonenſium ſubſtiterint, quam qui demum centum poſt annos mundum intraverint. Uti vero hujus religionis homines vocabulum hoc velut contumolioſum ſibi ſemper reſpuerint; ita ſurrexiſſe nuper *Autorem*, (*Jurium* innuit) qui ſcripta de *Papiſmo* hiſtoria, id in ſe probandum ſuſceperit, Hiſtoricos ejus temporis nec ſciviſſe accurate, unde nominis hujus origo extiterit; & tantum abeſſe, ut Reformati ad ſuam id interpretari debeant injuriam, quod huc usque factum ſit, ut illud potius honori ſibi debeant ducere: *Nam eſſe Autores, qui credant, Hugonottarum nomen originem traxiſſe inde, quod Proteſtantes Galliæ* Principes Burbonii *ad poſteritatem Hugonis Capeti referendi eſſent, contra prætenſionem Guiſiorum, qui ex jure per Carolum M. ad ſe derivato coronæ imminuerint,* Sed illum quidem egregie ſe aliosque fallere, vel inde pateſcere, quod de ſucceſſore Regis, qui & juvenis adhuc fuerit, & tot fratres habuerit, tum nondum actum ſit,

cum

cum id nominis primum reformatis tribueretur. Cæterum Principem *Condæum* tentati veluti in Regem facinoris autorem, in cuſtodiam datum, mortisque ſententiam in ipſum pronuntiatam quidem, ſed tamen executioni datam non eſſe, ob mortem *Franciſci II*, poſt quam & libertati ſuæ redditus & innocens declaratus fuerit. Quo facto *Reginam* cum *Burboniis* adminiſtrationem regni diviſam obtinuiſſe, maximo religionis novæ cum incremento. Verum id male habuiſſe *Mommorancium*, qui cum Guiſio & *Mareſchallo Sanct-Andreano* contra ipſos fœdus iniverit, inventa ratione, qua *Navarræ* etiam *Regem* a partibus iſtis abſtraheret. Non ita multo poſt de *colloquio* inter adverſarum partium Theologos inſtituendo fuiſſe concluſum, cui Poſſiaci habito præſtantiſſimi omnium ex *reformatorum* miniſtris interfuerint; 1561
loco omnium verba faciente *Theodoro Beza*. Ubi nec ipſe diffitetur *Autor*, Papiſtas nondum ejus religionis capitibus profundius excuſſis, nimis laxos diſputationi indulſiſſe terminos, *Cardinali Lotharingio* multum quamvis Theodorum Bezam doctrina atque eloquentia exſuperante. Inde igitur ferociores factos *reformatos*, quod ipſo præſente Rege, totaque Aula, religioni ſuæ patrocinari permiſſum ipſis fuerit, & triumphum ſibi eapropter imaginatos. Sicuti & facto veluti impetu in locis quam plurimis, non obſtantibus prohibitionibus regiis tam ſæpe repetitis, religio nova fuerit recepta, monachis vel ei ſubſcribentibus, vel in exilium dimiſſis: maxime cum *edictum Januarii* promulgatum fuerit, quo revocatum *interdictum* nuperum, & prima omnium vice poteſtas *reformatis* facta publice habendi conciones in oppidorum ſuburbiis, ne ipſa quidem capitali urbe regni excepta; de quo tamen conquerendi cauſam ſumſerint reformati, indignati, ſibi non licere in ipſis urbibus repurgatis a ſe operari ſacris. Inde magis magisque exacerbatis animis, præcipue cum *Dux Guiſius* in oppidulo *Vaſſy* interturbaſſet reformatorum ſacra, multis inſuper ex iſta parte 1562
occiſis, provolatum demum ad arma eſſe, edito primo veluti civilium motuum ſpecimine. Ubi, quæ porro inſecuta ſunt, cum hinc inde captis ereptisque urbibus, interverſis utrinque ſacris, acceptis illatisque ab utraque parte cladibus, pace nunc ſancita, mox interrupta, tota Gallia per tot annorum decurſum mirum in modum concuteretur, quæ ab hoc quoque Autore pro inſtituti ratione expo-

nuntur, & ab aliis etiam enarrata jam leguntur, vix nos, qui jam dum paulo prolixiores fuimus, percenſere ſuſtinemus. Itaque ex iis, quæ ſuperſunt, ſtrictim aliqua delibaſſe ſufficiat.

Notatu vero imprimis illa digna ducimus, quæ ex diſcurſu *Henrici III.* tum Regis Poloniæ de nuptiis *S. Bartholomæanis* e manuſcripto aliquo Bibliothecæ regiæ afferuntur. Cum enim *Henricus* illo ad regimen capeſſendum a Polonis vocatus, per Germaniam iter faceret, a variis Principibus ſplendido conviviorum apparatu ipſum fuiſſe exceptum, ſed ſæpius nimis aſpera dicteria in funeſtam illarum nuptiarum celebrationem fuiſſe conjecta, non ſine Regis offenſa; ipſa etiam cœnacula tabulis fuiſſe inſtructa & exornata, non alias figuras exhibentibus, quam ad vivum expreſſas cædes cujuscunque generis illa nocte perpetratas, & vultus aliquorum, tam obtruncantium, quam interfectorum, ad nativam quam maxime ſpeciem delineatos. Qui ingratiſſimus aſpectus tam alte infixus hæſerit memoriæ *Principis*, ut, cum non multo poſt Cracoviam acceſſiſſet, tam vario cogitationum æſtu, tantaque ſollicitudine exagitaretur, ut ne quidem ad breviſſimum temporis ſpatium quietus agere potuerit. Quapropter temporis fallendi ergo & levando inſomnii tædio, accerſito uni ex miniſtris intimiori prolixius, quæ in nocte iſta fatali acciderant, narraſſe. Reginam ſcilicet matrem ſæpius ſecum obſervaſſe, Regem cum remotis arbitris cum *Colinio Admiralio* ſermones feciſſet, ipſique colloquium forte interpellaſſent, in moroſiorem iracundiam præfervidum ſemper apparuiſſe; quapropter ſtatuiſſe demum ſe cum Matre, inviſum hunc a ſe removere hominem, idque negotium injunxiſſe *Montravelio* cædibus dextre faciendis exercito, & multis a ſe promiſſis, tum præmii ob facinus, tum defenſionis, ſi exitus falleret, obruto, qui tamen minus concinne eo perſunctus ſit munere, diſploſa quidem in *Admiralium* bombarda, ſed brachiis ejus ſolum vulneratis. Nihilominus inviſiſſe ſecum Matre atque Rege *Colinium*, ac ſecurum ipſum & de ſanitate ſua, & de ſupplicio in ſontes ſtatuendo eſſe, juſſiſſe; ſed *Colinium* ſoli ſe Regi velle colloqui nutu ſignificaſſe; quod cum non ſine indignatione ſua & Matris per aliquod tempus factum eſſet, interrupiſſe demum Reginam colloquium iſtud, non conducere ægroto dictitando, ut ſermonibus ſe defatigaret. Quæ tamen in abitu multis precibus Regem expugnaverit, ut quæ ab *Admiralio* dicta ſint, eorum ſe exper-

1672
1673

expertes non ſineret. Dixiſſe igitur Regem, hæc ſibi a *Colinio* inſuſurrata eſſe: *Franciæ Reges conſcios ſibi regiæ autoritatis non eſſe, niſi viribus polleant ſubditos atq; miniſtros ſuos beneficiô aut malo afficiendi: eam vero potentiam & rerum adminiſtrandarum arbitrium in ipſos*, (Reginam atq; Henricum) *derivatam eſſe, quæ tamen nimia autoritatis ſibi* (Regi) *totique regno aliquando fraudi eſſe poſſit, quamque exinde ſuſpectare quam maxime, & obſervare deberet. Ea de re fideliſſimum ſe ejus ſubditum & ſervum monere eum* (Regem) *antequam moreretur, voluiſſe.* Idq; dixiſſe Regem magna cum indignatione; Se vero utrumque exquiſitiſſime, ut potuerint, excuſaſſe, in magnas autem adverſus *Colinium* abiiſſe iras, cumprimis, quod deſtinata ſua interverſa eſſe conſpexiſſent. Tandem decreviſſe ſe aperte contra ipſum inſurgere, & Regem adeo adiiſſe, multis ex miniſtris fidelioribus huc accitis, qui conſiliis ſuis ſuo aſſenſu pondus adderent. Ubi cum *Regina* multis demonſtraſſet Regi, *Hugonotas* arma contra ipſum ob *Admiralium* vulneratum expedire, ipſumque *Colinium* jam decem millia æquitum in Germania, totidemque peditum millia apud Helvetios conſcribi curare; cogitaret ipſe, adjeciſſe etiam; quantas conjunctæ hæ vires Regi regnoque minitentur clades. Quo accederet, *Catholicos* tam diuturnum bellum pertæſos, finem imponere calamitatibus ſuis decreviſſe, quorum ſi conſiliis uti nollet, non minus & ſtatuiſſe ipſos, ſibi conſtituere belli Ducem, atque ita Regem ſolum ſine potentia atque auctoritate tot circumvallandum eſſe periculis, quæ evitare poſſet quam facile in vitalia *Colinii* adacto gladio; qui partium Dux ſi ſubverſus eſſet, ſtatim *Hugonotarum* deſtinata interceptum iri, Catholicis unius hominis internecione ſatisfactum ſibi gaudentibus. Quæ & plura alia muliebri eloquentia cum exaggeraſſet Regina, ſtatim Regem ingenti quidem correptum fuiſſe furore, ut nondum tamen in mortem *Admiralii* conſentire voluerit, popoſciſſe tamen, ut ſuper evitandis periculis quisq; præſentium ſuam exprômeret ſententiam. Quorum quum, qui priores dixiſſent, in Reginæ partes conceſſiſſent omnes, ſolum *Mareſchallum* de *Rets* ſenſiſſe aliter; quamvis ſibi non deeſſent rationes dictitantem, ſuccenſendi *Colinio*, nolle ſe tamen cum damno Regis & regni vindictam de inimico ſumere; cum illud ad maximum Regis totiusque Galliæ dedecus ſit redundaturum, ob inuſtam ſibi hoc ipſo perfidiæ & injuſtitiæ notam; quin hac actione omnem ſpem in fidem publicam tam fœde violatam, abruptum, regnum vero ma-

lis inteſtinis graviſſimis oppreſſum iri, quorum nec ipſi, nec eorum poſteri viſuri ſint finem. Quæ viri cordati oratio magnos in animis ipſorum excitaverit motus, usque dum refutatis a ſe ejus argumentis, & Regis derepente immutatus ſit animus, qui & *Colinium* & omnes in Gallia *Hugonotas* ex vita tollendos ſtatuerit, ne eſſet, qui exprobrare hoc ſibi factum poſſet; quapropter juſſiſſe, ut quam promtiſſime omnia deducerentur in actum; matrem etiam Reginam perſonas inſtituto ſuo inſervientes ſibi conciliaſſe, & aliquibus peculiariter negotium hunc & illum interficiendi injunxiſſe, & inter hos *Guiſio*, ut *Admiralio* extrema arceſſeret. Tum primo ſtatim mane tres regias perſonas in propylæum palatii regii ſe recepiſſe, cruentam tragœdiam ſpectaturas. Ubi cum non ita diu fuerint, pila interim ludentes, tum demum rei eventum & quæ hunc conſequi poſſent ſeria æſtimatione penſitaſſe, ſed hoc ipſo in momento ſclopum exonerari audiviſſe; quæ quamvis neſciviſſent, qua in parte diſploſus, & utrum in aliquem conjectus fuerit, hoc ipſo tamen ſono tam alte in animo ſuo vulneratæ fuerint, tantopere quoad ſenſus pariter ac judicandi vim perturbatæ, ut continuo miſerint ad *Guiſium* mandatum, ut domum ſe reciperet, nec contra *Admiralium* conaretur aliquid: ſic enim inceptum ſiſti poſſe ſperaviſſe, quod ipſum ante omnia obtruncari conveniſſet, priusquam cædibus in alias urbis partes graſſari inciperent; ſed iſtum reſpondiſſe, ſerius ſibi advenire hoc mandatum, nam & *Admiralium* jam occiſum eſſe, & in urbe jam
1566 ſtringi ubique gladios, quo ipſo illas ſævitiæ curſum permiſiſſe liberum. Ex his conficere vult *Autor*, fabulam eſſe a *Calvinianis* concinnatam, ſaltem ut tumultibus ſuis patrocinari poſſent, jam pluribus ante annis Bajonæ, cum Regia mater cum Regina Hiſpaniæ conveniſſet, decretam fuisſe iſtam lanienam. Ruptam autem hac ratione iterum fuiſſe pacem memorat, & *Calviniſtas* externis auxiliis ſubnixos ſæpius fuiſſe victores,
1585 nonnunquam & victos, ut plus tamen ex cladibus profecerint. Quæ res anſam dederit *Ligæ ſanctæ* ab iis initæ, qui a *Guiſiorum* partibus ſtabant, ut antiqua religio defenderetur, *Calvini* Secta ex Gallia penitus eliminata. Licet vero ipſa multis modis *Henrico III.* tunc *Galliæ* Regi ingrata fuiſſet, tanquam ſuæ autoritati noxia, ipſum tamen viribus deſtitutum illis permiſiſſe omnia, præcipue cum *Sixtus V* Papa, quod *Gregorius XIII.* facere ſemper renuerat, partes iſtas amplexus Navarræ Regem *Henricum* excommunicaſſet, ipſumque inidoneum pronuntiaſſet, qui

Regi

Regi ſuccederet. Hanc tamen bullam adeo diſplicuiſſe *Parlamento*, in præjudicium quippe autoritatis regiæ adornatam, ut flammis eam abſumi 1586
juſſerit; & Navarræ Regem reſponſionem ad eandem ſuam in ipſa Roma affigi curaſſe, qua lecta *Pontificem* admiratum hanc animi firmitatem, ſingularem de iſto Rege concepiſſe opinionem, veluti de Principe mundi maximo; unde & creditum ſit, Papam veneno ſublatum fuiſſe, quod ea revocaturus viſus eſſet, quæ contra Principem egiſſet, cujus morti & ipſum *Henricum* maximòpere indoluiſſe, fama fuerit. Verum hunc 1587 1594
Principem ſub nomine *Henrici IV.* poſt varias difficultates coronam adeptum & ad ſacra Papiſtarum transgreſſum, Calviniſtis *edicto* illo *Nannetico* ſuper religione ampliſſime caviſſe, poſt quod libertatem laxiorem nacti, in Synodo Nationali *Vapinci*, *Papam Anti-Chriſtum magnum eſſe* declamaverint. Regem tamen ipſos eo perduxiſſe, ut iſtud decretum in *Confeſſione ſua* omitterent, ſuppreſſis, quæ ſupereſſent, exemplaribus. 1596 1603 1607

Ad interitum ſe *Calviniſmum* inclinaſſe refert Autor poſt mortem *Henrici IV*, ſub regimine *Ludovici XIII.* filii. Ubi, cum per decretum 1610
Conſilium Status, Rege crebris cleri flagitationibus victo, conſtituiſſet, 1617
ut obventuum eccleſiaſticorum & rituum Catholicorum in *Bearnia* fieret reſtitutio; *Bearnenſes* huic ſe decreto obdurata fronte oppoſuiſſe, *Commiſſario* regio ferociter inſultantes; cumque Reformati *Loduni* 1619
conventum celebraſſent, ad impediendam decreti iſtius executionem, Regem ipſos læſæ majeſtatis reos declaraſſe, ni intra certum tempus 1621
digrederentur; ipſum ſe poſtea inermem & ſua tantum Majeſtate terribilem, in *Bearniam* contuliſſe, urbium præſidia mutaſſe, religionem catholicam poſtliminio introduxiſſe. Quod ut *reformatos* male uſſerit; ita novam inde rebellionem ſumſiſſe initium, quæ tamen calviniſtis, externam, ſed fruſtra circumſpicientibus opem, ſæpius devictis, & fortalitiis omnibus exutis, captaque demum *Rupella*, compo- 1628
ſita magno cum Reformatorum detrimento fuerit. 1629

Sed ultima fata accerſiſſe denique Calviniſmo *Ludovicum XIV.* magnum. Et illum quidem, ſtatim ac poſt Patris obitum in regium evectus eſſet thronum, duas diverſo tempore declarationes edidiſſe *Calviniſtis* faventiſſimas, quas vero *Majorennis* factus inſtante clero ſuſtulerit. Inde Synodum inferioris *Guiennæ* habitam, in qua ſatis apparuerit, *reformatos* clandeſtinas molitiones cum *Anglis* antiquo 1643 1652 1656 1659

1672 quo ex more fovere; qui & in eadem provincia, cum adverſus Batavos Rex ducere vellet, tumultuari inceperint. Demum Regem pace cum 1683 hoſtibus externis ſancita, conſilium cepiſſe *Calviniſtarum* Sectam ſuo in regno funditus extirpandi. Quapropter & academias & ſcholas ſuppreſſiſſe, templa diruiſſe, *Cameram edictorum* ſuſtuliſſe, *edictum Nanneticum* revocaſſe, & omne religionis exercitium reformatis prohibuiſſe, hac ſcilicet ſpe, ut ſponte aberrantes oviculæ in gremium matris Eccleſiæ ſe reciperent; quod cum pro pervicaciſſima indole ſectæ factum non eſſet, mediis uſum fuiſſe durioribus, idque ad antiquorum Imperatorum exemplum, qui obſtinationem *Donatiſtarum* contundere hac ratione neceſſe habuerint, factum ipſum approbante S. *Auguſtino.*

HISTORIEN ONSES TYDS, BEHELZENDE SAKEN *van Staat en Oorlogh &c. i. e.*

Hiſtoria noſtrorum temporum, res civiles atque bellicas ab A. 1668, usque ad A. 1687, in Fœderato Belgio ac per Europam univerſam geſtas complexa.

Amſtelodami apud Joh. ten Hoorn 1685. & 1688. in fol.
Conſtat Alphabetis circiter 30. & tabulis æneis 17.

Inter Fœderati Belgii Hiſtoriographos ſeculo hoc noſtro eminuit *Leo ab Aizema*, Friſius, Hanſeaticarum urbium, dum viveret, Conſiliarius & Hagæ Comitum Reſidens. Is enim præter Hiſtoriam Tractatuum Pacis Belgicæ Latino ſermone compoſitam & Lugd. Bat. A. 1654 editam, nec non peculiarem commentarium, quo ſub titulo *Leonis reſtituti* (Herſtelde Leeuw) Belgico idiomate deſcripſit, quæ ordinandis Fœderati Belgii rebus publicis A. 1650. & 1651 geſta fuere: vaſtum nobis opus reliquit, quo quæcunque in Fœderato Belgio, tum in vicinis, imo & remotioribus provinciis, ab anno noſtri ſeculi vigeſimo primo ad annum usque ſexageſimum nonum memoratu digna contigerunt, Belgice ſic enarrantur, ut diligenti ubique ſtudio Acta ac Inſtrumenta publica, non Batavico tantum, ſed & eo, quo quæque compoſita fuere, idiomate inſerantur. Ac primum quidem particulatim illud prodiit, in quamplurima volumina in quarto, ut loquuntur, digeſtum; aſt denique A. 1669. typis denuo Hagæ Comitum deſcriptum fuit, atque ſex ſpiſſis tomis in folio, ut vocant, comprehenſum. Illud vero cum in pretio a quamplurimis haberetur, multique eſſent, qui continuari interruptam morte Autoris, quæ d. 23. Febr. A. 1669. contigit, Hiſtoriam deſiderarent, inventi in Hollandia fuere, qui Leonis induſtriam, ut liquit, æmulati, pertexendam in ſe telam illam ſuſceperunt. Ita in lucem prodierunt duo tomi, itidem in folio: quorum primo A. 1685 evulgato, res geſtæ ab A. 1668 in quo Aizema deſierat, ad A. 1679; altero, qui A. 1688 editus eſt, ab A. 1678 usque ad A. 1687 deſcribuntur. Eos vero indicaſſe Lectori Benevolo nobis ſuffecerit, cum, quæ iſto temporis intervallo publice acta ſunt, recenti plerique memoria teneant.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio VI.

THE WORKS OF SIR THOMAS BROWN Kt. Doctor of Phyſick late of Norwich.

i. e.

Opera Thomæ Brownii, Equitis, Doctoris Medici, dum viveret, Norvicenſis.

Londini, impenſis Tho. Baſſet, Rich. Chiſwel, Thomæ Sawbridge, Caroli Mearn & Caroli Brome; 1686. fol.

Conſtant plag. 154.

VOlumen hoc quadripartitum primo loco exhibet PSEUDODOXIAM EPIDEMICAM. Hanc Illuſtris Vir, *Chriſtianus Knorrius, Baro a Roſenroth*, merito dignam habuit, quam in Germanicam linguam transferret ac Norimbergenſibus typis anno 1680. publici juris faceret. Argumentum, quod ingenioſiſſimus Autor ſeptem libris pertractat, ſunt *errores populares*. Ac *priori* quidem *libro* inquirit in eorum *cauſſas*, quas generis humani fragilitatem, pravamque diſpoſitionem vulgi, tot varii generis impoſtoribus, & impoſturis circumſepti, ſtatuit; acrius hac occaſione in Medicos animadvertens, qui e vaſe urinario, ceu Fati libro, aut *Urim* quodam tantum non Aaronico, oracula petant de virginitate, conceptione, fœcunditate aut inperſcrutabilibus quibusvis corporis humani infirmitatibus. Obſervat dein, errori magis viam ſterni, quando res auditu perceptæ non recte intelliguntur, aut poriſmata illinc perperam deducuntur. Accedere credulitatem ſupinamque negligentiam, ut & nimiam autoritatis humanæ, cumprimis vero antiquitatis, venerationem. Hæc ubi exemplis non unis illuſtraſſet Noſter, Scriptores enumerat, qui traditionibus ſuis errores populares aut progenuerunt, aut foverunt & aluerunt. Sunt

ii *Herodotus*, *Cteſias Cnidius*, *Phlegon Trallianus*, (quem æque ac *Philoſtratum* Apollonii Thyanæi biographum, *Paulum Venetum*, *Jovium*, *Olaum Magnum*, *Nierembergium*, caute & cum formidine deceptionis legendos monet;) item *Dioſcorides*, *Plinius Secundus*, *Ælianus*, *Solinus*, *Athenæus*; porro *Nicander* & *Phile* Poëtæ, *Baſilius Ambroſius*que in Haxaëmero, *Epiphanius* in Phyſiologo, *Iſidorus Hiſpalenſis* in de Originibus, *Albertus* denique *Magnus*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Bartholomæus Anglicus*, Kiranides, *Hieron. Cardanus*, *Alexand. Pedimontanus*, *Antonius Mizaldus* & *Joh. Bapt. Porta*. His accenſet etiam *Theologos* quosdam, experimentis phyſicis phraſium biblicarum, ſed popularium, autoritatem opponentes, *Oratores* & *Ethicos* ex vulgi traditionibus ſimilia petentes, *Pictores* tandem atque *Poetas*. Extrema vero in hoc recenſu occupat *Satan*, primarius omnium errorum parens.

Libro II. diverſæ opiniones de *mineralibus* & *vegetabilibus* ſub examen revocantur; ſtatuiturque a vero aberrare, quotquot e. c. putent, vitrum eſſe veneni genus, ſuccinum non attrahere corpora oleo inuncta, ex auro cordialia medicamenta parari, dari pulverem pyrium *album*, qui *absque ſonitu* diſplodi & *lethalem* plagam inferre queat, corallium ſub aquis molle eſſe, nec niſi in liberum aërem protractum obdureſcere, amygdalas amaras ebrietatem arcere, camphora impotentiam in Venere effici, &c. Dum de magnete bene multa notatu digna in medium affert Brovvnius, ſententiam quoque ſuam exponit de emplaſtris magneticis, qualia ſunt emplaſtrum *divinum* Nicolai, *nigrum* Auguſtanum, *Opodeldoch* & *attractivum* Paracelſi, in primis autem iſtud, quo uſus eſt Daniel *Beckerus*, cum, opera Danielis Suevi (Schwabens) chirurgi, e ventriculo ruſtici viventis *Andreæ Grunheidii* cultrum deglutitum die 9. Julii A. 1635 Regiomonti exſecari curaret; qua de re toto paſſim orbe celebratiſſima videndus eſt *C. Hartknochi* Tom. II. Pruſſiæ c. II. fol. 349---355. Utut enim *Libavius* aliique ejusmodi emplaſtra ulli uſui fore perſuaderi ſibi haudquaquam paſſi fuerint, urſerintque, magnetem in pulverem redactum amittere polares reſpectus ac conſequenter vim attractivam; Brovvnius tamen in *emplaſtro de minio*, magnetis contuſi drachmam unam maſſæ reliquæ, (eique ſemiunciali,) admiſcuit, ac *magdaleonem* (ſive volumen emplaſtri) admovit acubus, quæ abs eo commotæ fuerunt, adeo-

que

que experimento hoc comprobarunt, etiam particulas quasvis reſpectus polares & vim attractivam ſervare, quanquam hæc in integro magnete luculentius ſeſe conſpiciendam præbeat, quam in minutis fragminibus. Ideoque non improbat penitus emplaſtrum Beckerianum; mallet tamen, ut, ſi forte ſimilis caſus in poſterum contingat, pulvis magnetis craſſiuſculus ſit, aut potius loco emplaſtri integer magnes diſſecto ventriculo admoveatur.

Libro III. exploduntur Veterum errores circa *animalia* bruta: e. l. equum & columbam felle carere; dari amphisbænam, gryphum aut phœnicem; viperas, dum partu eduntur, perrumpere matris inteſtina; ſtruthiocamelum ferro veſci, &c. Inſtar omnium eſto exemplum caſtoris, *qui ſe* (Juvenali dicente,)

Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum, adeo medicatum intelligit inguen.

Verum ex antiquis *Seſtius*, e recentioribus *Rondeletius* animadverterunt, impoſſibile eſſe, ut fiber teſticulos ſuos decerpat abjiciatque, cum intra corpus lateant; illa vero membra, quæ teſticulos eſſe credidit vulgus, folliculi tantummodo ſunt membrana contecti, & humore illo turgidi, quem *caſtoreum* vocamus, quemque ipſe caſtor exſugere ac corporis ſui partes eo oblinere quandoque deprehenditur. Neque enim teſticulis illis ſpuriis via ad mentulam; neque in ſolis maribus exiſtunt. Imo nec ſperma continent, ſed excrementa, quæ cum e piſcibus comeſtis oriantur, non poſſunt non graveolentia eſſe, alias perquam ſimilia futura zibetho, a felibus Indicis excerni ſolito, ſi fibri paribus alimentis fruerentur.

Acceſſus *libri ſequenti* fit ad *hominem*, ac præter alia id genus, refellitur, quod cor ſub læva mammilla, pleuritis nonniſi in ſiniſtro latere ſedem habeat; quod mortui pondere ſuperent viventes, & jejuni probe cœnatos; quod Judæi vitio naturali ac hæreditario fœteant; quod annus ſexageſimus tertius ceu climactericus magnus magnum vitæ noſtræ periculum portendat; quod in diebus canicularibus medicina uti periculoſum ſit.

Libro V. virgula ſtringitur in *Pictores*, qui Adamo ac Evæ umbilicos, Iſaaco immolando vultum ſtaturamque puerilem, aſpides duas easque non adeo magnas Cleopatræ Ægypti Reginæ morienti, Cajo Julio Cæſari equitanti ſtapedas, divo Hieronymo campanam appin-

gunt, aut, quod Brovvnius mavult, affingunt. Nec mitius agit cum illis, qui filiam Jephtæ a patre immolandam, non autem perpetuo cælibatui addicendam; vel Hamanem e collo in patibulo ſuſpenſum, non manibus pedibusque cruci affixum, in tabulis ſuis repræſentant. Mox vapulant quamplurimæ Chriſtianorum conſuetudines, ſuperſtitionem ethnicam redolentes. Huc pertinet, quod multi ovorum calices ſtatim diffringant, aut cochleari contundant, quamprimum eos exſorbuerint, impedituri hac ratione, ne ſagæ illis abutantur, id quod ipſismet Gentilibus more receptum fuiſſe, vel ex Plinio conſtat. Item quod, ſi quis aures ſuas tinnire ſentiat, aliquem de ſe loqui autumet, ea forſan de cauſſa, quoniam pagani a Mercurio ſeſe vellicatis auribus moneri perſuaſi fuere; porro, quod non pauci, ethices Chriſtianæ præcepta aphoriſmis gentilium medicorum poſthabentes, ſanitatem ſuam menſtrua ebrietate ſartam tectam conſervare nitantur. Erronea quoque Brovvnio audit opinio, quod embryo pallidus evadat, ſi mater gravida mortui corpus intuita fuerit. Nec religio quorundam ſeſe ei approbat, qui hirundines, utut moleſtiſſimas, occidere verentur, fortasſis, quia apud Ethnicos Dis Penatibus ſacræ fuerunt. Fontes, aquæductus, ciſternas capitibus leoninis exornare, moris eſt. Hunc Autor non improbat, ejus tamen origines ex Ægypto repetere non dubitat, utpote ubi idem fieri aſſolebat, eo quod, Sole in Leonis ſigno exiſtente, Nilus fluxus ſui ἀκμὴν attingit, ac in univerſas regionis partes diffunditur.

Liber VI. verſatur circa dubia geographica & hiſtorica, de tempore orbis conditi, de incremento generis humani antediluviani, de Nili inundatione & pluviis in Ægypto cadentibus, de rubedine maris Erythræi, de Æthiopum nigredine, quam nec ex Solis fervore, nec Noachi imprecatione, oriundam dictitat Noſter, adjecta digreſſione de vera naturalis nigredinis cauſa, quam cauſis nigredinis artificialis analogam eſſe contendit. Quamvis enim corporum colores ortum ſuum debeant diverſæ receptioni, refractioni aut modificationi lucis; dantur tamen variæ res, quæ illa diſponant ac præparent, ut colorem aliquem recipiant. Nigredinem autem Brovvnius aut e *fuligine*, aut e *vitriolo* derivat. Quod *fuliginem* concernit, voce hac latius utitur, ut & *fumum* & *nidorem* ſuo ambitu complectatur. Obſervat dein nigreſcere aliquid per materiam fuliginoſam, procedentem e ſulphure corporum aduſtorum, h. e. oleo, pinguedine & partibus unctuoſis, utpote in qui-

bus

bus inflammabilitatis principia ſedem habent. Non enim loquitur de ſulphure puro, quale in ſpiritu vini ſæpius rectificato offendere eſt, ſed continente adhuc particulas terreſtres atque ſal volatile, quale in communi fuligine guſtu experiri licet. Cave tamen ſulphur vulgare ſive uſuale intelligas; id enim aut plane non, aut parum denigrabit, niſi forte corpus metallicum exhalationem ejus excipiat. Cæterum opus eſt, ut ſi aliquid caſu aut arte furvum reddi debet, ab igne aduratur & torreatur. Hoc enim ſi factum fuerit, res contraria complexione præditæ facili negotio nigrorem acquirent. Sic carbones lignei proprio ſuo ſuffitu nigreſcunt, canonemque comprobant: *Aduſta nigra*, (ob tincturam fuliginoſam;) *Peruſta alba*, (uti videre eſt in cineribus, e quibus tinctura illa exhalatione jamjam in aerem abiit.) Hac ratione ſolet ignis corpora, quæ aqua mundare nequit, purificare, dum nimirum ſulphureas conſumit partes, quibus ea prius fœdabantur. Sic camphora (ſubſtantia alba) objectum aliquod fuligine ſua maximopere denigrat. Pix & reſina ex eadem arbore proveniunt. Verum illa nigra, hæc alba eſt, eo quod illa igne cogatur, hæc ſponte ſoleat fluere. Ita cholera aduſta in febribus ardentibus nigritiem linguæ, dentibus & excrementis conciliat. Qua igitur ratione ignis culinaris in id genus materiam vim ſuam exſerit; eadem ratione Brovvnius cenſet, non tantum bitumen, gagatem, ſtibium, variasque terras minerales abs elementari igne atro colore tingi, ſed & Æthiopum corpora fuliginoſis efflorescentiis abundare poſſe, quæ per poros emiſſæ cutem denigrent. Altera via, quam Noſter inſiſtit, deducit nos ad *conditionem* quandam atramentoſam, quo nomine Autor intelligit qualitatem vitriolarem, conjunctam cum humiditate terreſtri ac adſtringente. Ita enim atramentum ſcriptorium conſtat vitriolo ſive chalcantho projecto ſuper decoctum gallarum. Ac ſolum quidem vitriolum, (non cætera ſalia, v. g. alumen, ſal gemmæ, nitrum, ſal armeniacum,) principem ſibi locum in compoſitione atramenti bonæ notæ vindicare poteſt. Terreſtri vero ac adſtringente humore omnino heic opus eſt. Vitriolum enim decocto lactucæ vel malvæ nigredinem inducere nequit, id quod ei in mixtura aliqua adſtringente facillimum eſt, utut eam oleum ingrediatur, quale quid in atramento pictorio & typographico uſu venit. Quod autem gallæ tantum hanc in rem vulgo adhibentur, minus neceſſe eſt, cum quælibet planta, quæ partibus auſteris & ſtypticis con-

ſtat, ſufficiat; cujus experimentum Brovvnius cepit in biſtorta, myrobalano, myrto Brabantica, balauſtio & roſa rubra. Pleraque enim decocta plantarum adſtringentium, cujuscunque ſint coloris, liquorem miniſtrant rubrum ſaturum, moſchatumve, qui, addito vitriolo, in atrum abibit. Vis autem denigratoria iſthæc, quam in chalcantho deprehendimus, reſidere videtur in ejus ſale fixiori, non item in phlegmate, neque in ſpiritu, qui volatile ſal ſecum defert. Id quod Brovvnius fuſius probat, monſtratque dein exemplo nõn uno, atramentariam illam qualitatem ferro ac vitriolo ineſſe, ac his mediantibus, variis corporibus metallicis; maxime tamen ferro, utpote cujus limatura aceto indita, una cum decocto gallarum, optimo átramento conficiendo inſervit. Sic limonium aut cydonium malum cultro diſſectum nigreſcit, corium cortice quercus ſubactum atrum fit ſola vitrioli ſolutione. Mercurius dulcis & vitriolum vomitivum ejectionibus eundem colorem inducunt. Aqua fortis, quam vitriolum quoque ingreditur, corpora alba denigrat. Contendit cum his inanimatis animata quædam Brovvnius, ſepiam nempe, cujus humor θολὸς Latine *atramentum* nuncupatur; porro vaccinia, ceraſa nigra, cortices juglandium, quæ omnia inflammationes extingvunt, ſtomachum corroborant, ac pro ſpecificis in epilepſia habentur. Sicque tandem & Æthiopes evaſiſſe nigros, conjicit Auctor. Ne enim alicui abſurdum videatur, vitrioloſas partes & qualitates, imo quadantenus ipſummet vitriolum in corpore animato ſtatui, Brovvnius monet, ſal quoddam auſterum atque ſtypticum per tellurem diffundi, ac ubi in plantis concoctum fuerit, dulcius palatoque noſtro gratius evadere. Hoc vocat vitriolum vegetabile, cujus beneficio limonia, malogranata, ceras aque acrimoniam pergratam, pruna autem ſylveſtria, meſpili & cydonia mala auſterum ſaporem nanciſcantur. Tale quoque in animalibus exiſtere, non dubitat. Porro, quod ſalia coloribus augendis atque ſaturandis apta nata ſint, notat conſtare, tum tinctorum praxi, tum experimentis chymicorum. Sic enim cinnabaris maneret alba, niſi acida ſulphuris exhalatione in rubrum pulcherrimum transmutaretur; ſicque ſpiritus ſalini papyro cyaneo ruborem ſaturum inducunt, &c. Quærenti autem, qui factum, quod Æthiopum gens aut fuligine aut vitriolo id genus denigrante prædita eſſe cœperit, reſpondet Brovvnius: potuiſſe id fortaſſis fieri ob aquarum certarum, ejusmodi qualitate conſpicuarum,

inter-

internum uſum, primis Nigritis frequentatum, quemadmodum fontes duos in Bœotia memoravit Plinius, quorum alter dealbabat, alter denigrabat oves. Imo aqua Siberitana non tantum boum, ſed & hominum cutem nigram reddebat. Quod ſi hæc Ariſtobuli conjectura lectori ſeſe minus approbaverit, ſuccenturiatam habeat aliam, ab imaginatione primæ Æthiopum genetricis deſumptam. Quemadmodum ex adverſo olim accipitres, milvos, urſos aliaque animalia in orbe ſeptentrionali æternas, quas ibi in montibus cernas, nives frequenter adſpicientia albam ſobolem edidiſſe, hinc vero ſimilem progeniem ad noſtra usque tempora derivatam eſſe, multis perquam veriſimile eſt. Ulterius expendere jubet, numne ater Æthiopis primi color cum nigro ictero (ex atræ bilis ſuffuſione exoriri ſolito) easdem origines habuerit, ac æque facile cum ſemine propagari potuerit, ſicuti ex calvis calvos, ex cæſiis cæſios, ex diſtortis diſtortos, ex macrocephalis macrocephalos gigni, Hippocrates obſervavit. Facilius autem longe eſt, colorem, quam membra ἄμετρα monſtroſaque, a patre ad filium generatione naturali transmitti. Nigritæ artificiales, Cingari nempe, lardo variisque unguentis corpora ſua fricant, oblinunt, incraſſant, Solisque dein radiis exponunt. Utrum & priſcis Æthiopibus tale quid uſu venerit, decidere non auſus eſt Noſter, ſuſpicari tamen non veretur. Fatemur, nos Benevole Lector, juſto (moreve ſaltem noſtro) prolixius Te in hac Brovvnii de Æthiopum colore hæreditario diſſertatione detinuiſſe. Sed nondum pœnitet, quum opus lectu jucundiſſimum, utut Germanice tralatum, in paucorum e civibus noſtris, nedum Italorum, Gallorum, Belgarum, Danorum, Suecorumve manibus verſetur; ex prolixiori autem hoc ſpecimine clarius Tibi conſtare queat, quid e cæteris capitibus expectandum ſit, quæ nonniſi ſuſpenſo quaſi pede pertranſire integrum fuit.

Libro denique ultimo variæ ex hiſtoria, tam ſacra, quam profana, enatæ controverſiæ ventilantur, negaturque e. c. turrim Babylonicam metu diluvii alterius extructam eſſe; Ariſtotelem in Euripum ſeſe præcipitem dediſſe, cum fluxum illius ac refluxum explicare non poſſet; Tamerlanem paſtoritii generis fuiſſe; Beliſarium ad eam egeſtatem redactum, ut obolum oſtiatim petere opus haberet; Fabios univerſos, excepto uno nondum adulto, in pugna ad Cremeram occubuiſſe; Æſchylum mortuum, cum aquila (avium pene perſpicaciſſima) calvum

ejus

ejus caput pro rupe habens, teſtudinem, quam fractam cupiebat, in illud dejeciſſet. Sed & in eam fere propendet ſententiam Brovvnius, Hiſtoriam de Johanne VIII. Papa ſequioris ſexus, fabularum numero adſerendam eſſe, eo quod ejus autores phraſibus AJUNT, FERUNT ut plurimum utantur, Leo etiam Allatius teſtetur, veteres Martini Poloni codices pericopam illam famoſiſſimam non habere; Photius denique, Metrophanes Smyrnæus cæterique Græci exoſiſſimis Latinis hanc ſedis Romanæ labem exprobrare neglexerint. Non equidem fert animus, controverſiam illam curatius excutere, cum id ab aliis dudum factum ſit. Non incongruum tamen erit paucis commemorare, quid Clariſſimus Fellerus noſter in Bibliotheca Paulina hanc in rem obſervarit. Nimirum tria ibi extant MSCta Chronicorum Martini Poloni; unum membraneum in 4to, & duo chartacea in Folio. In horum uno tota narratio iisdem fere verbis ac in editionibus impreſſis, prolixe recenſetur. In altero chartaceo iſthæc tantum, Leonis & Benedicti vitis interjecta, legas: *Huic* (Leoni) *ſucceſſit Johannes mulier Papa; de hoc in Cronica Ratiſponenſi.* At in membranaceo nulla plane Johannæ mentio injecta deprehenditur.

Alteram voluminis partem abſolvit *RELIGIO MEDICI*, octavum edita, cum commentario gemino, altero a *Kenelmo Digbæo* an. 1642, altero ab *Anonymo* an. 1654 exarato. Plura de opere hoc multis præclare monitis, ſed & non paucis paradoxis referto dicere haberemus, niſi *Joh. Merryvveather*, M. A. Cantabrigienſis an. 1644. Latine id convertiſſet, ejusque verſionem L. N. M. E. N. Germanus cum notis ſuis an. 1652. Argentorati recudi curaſſet. Ut vero Lectori aliquatenus conjectu facile ſit, quid rerum in commentaria ſua contulerint bini illi Brovvniani interpretes Angli, lubet alterius, *Digbæi* puta, ſententiam de *reſurrectione corporis* excerptam ſpeciminis vice heic adferre. Ea huc fere redit: Corporis humani individuum ſemper manet, utut particulæ illud componentes perpetuo fluxu & refluxu mutentur, abeant per inſenſibilem tranſpirationem redeantque per nova alimenta in ſuccum & ſanguinem converſa. Non enim aliud habere corpus cenſetur Petrus ſenex, quam quod in pueritia habuit, quamvis non minorem mutationem ſubierit, ac navis illa Athenienſis, toties novis aſſeribus reparata, ut tandem e veteribus ne unus quidem ſupereſſet. Ratio identitatis eſt forma informans, quæ uti unica, ita non niſi unicum

corpus

Pari modo ſe res habebit cum corpore, quod in reſurrectione nanciſcemur, quoniam eadem anima id informabit, quæ præſens noſtrum animat, adeoque idem cum præſenti putandum erit, etiamſi ex plane nova materia, v. g. e monte aliquo Americano, divino nutu componatur. Quemadmodum & guttæ quæ hodie circa Withehall in Tameſi defluunt & in mare deinceps deferuntur, cras illic non aderunt amplius, plane aliis in earum locum ſuccedentibus; nihilominus eodem jure fluvius pone Whitehall craſtina luce Tameſis nomine veniet, ac hodie, aut aliquot retro ſeculis. Numerica individuatio corporis a ſola forma ſubſtantiali dependet. Materia enim absque illa non diſtincta ſubſiſtit, ſed in chaos quaſi primævum redit, donec forma illa, (ſi ſuperſtes fuerit, quod in ſolis hominibus contingit,) ex communi materiæ promptuario tantum decerpat, ſibique in corpus aptet, quantum informare voluerit. Hæc Philoſophus ille, qui an κενῆς ἀπάτης hoc nomine reus ſit, Theologi viderint.

Nos ad tertiam Voluminis partem pedem promovemus. Geminam ibi diſſertationem offendas. Priori nomen eſt *HYDRIOTAPHIA.* Agitur in ea de urnis ſepulchralibus quadraginta quinque, in Norfolcia effoſſis, quæ a Brovvnio non tantum deſcribuntur, ſed & in effigie repræſentantur. Hinc anſa arripitur, omnia illa, quæ de ritu comburendi mortuos, apud Romanos, Britones, Saxones, Danosque uſitato Noſter unquam legerat, longa ſerie, ſtrictim tamen, commemorandi. Poſterior hoc titulo inſignitur: *HORTUS CYRI.* Argumentum nempe primarium ſuppeditavit locus Xenophontis de Cyri Minoris horto Sardicenſi, ubi fuiſſe dicuntur *arbores pari intervallo ſitæ, recti ordines, & omnia perpulchre in quincuncem directa.* Hinc non modo quincunx arborum, adjecta ænea tabula, depingitur; verum etiam, ne nimium ſterilis evaderet hæc Autoris commentatio, catalogus conficitur rerum artificialium, naturalium & myſticarum, in quibus quincunx aut ſaltem ῥομβοειδὲς aliquid, numerusve quinarius conſpicuus eſt.

Quarta voluminis pars nonniſi poſthumos Brovvnii fœtus complectitur, obſtetricante *ThomaTeniſonio* in lucem editos. Numerum illi decimum tertium non excedunt, & *diſſertationum epiſtolicarum* nomine non incongrue inſigniri poterunt. Familiam merito ducunt obſervationes de *plantis* in *Scriptura Sacra* memoratis. Sequens

epiſtola *plantas coronarias* enumerat. Tertia diſquiritur, qualis *piſcium* genera intelligantur *Joh. XXI, 11*, probabilique conjectura aſſeritur, truttas, lucios, capitones, tincasve ſignari, eo quod hi in lacu Tiberiados, Bellonio teſte, frequentes ſint, non item alii grandiores. Excutitur (4) quid *halec, mugil, halcyon, niſus, ciris, nycticorax* atque *cicada* ſint. Mox (5) nonnulla de *re accipitraria* in medium afferuntur; pauciora vero (6) de *cymbalis*. Hinc (7) verſus *ropalici* ſive *graduales* inter ſemieruditorum nugas relegantur. Schediaſmate octavo harmonia veteris *Saxonicæ* & modernæ *Anglicæ* linguæ ad oculum pateſcit. Nonum de *collibus factitiis*, ſive tumulis veterum heroum in Britannia hic illic reperiundis agit. Decimum de *Troade*, per quam Paulus tranſiit. Undecimum de oraculo Delphici Apollinis Croeſo dato Reliqua non niſi luſus ingenii ſunt.

THE HISTORY OF THE CHURCH OF PEterburgh.

i. e.

Hiſtoria Eccleſiæ Petroburgenſis, autore *Simone Gunton*; cum ſupplemento *Simonis Patricii*.

Londini, imp. Rich. Chiſvvell. 1686. in fol.

Conſtat plagulis 88. & æn. fig. 4.

PEtroburgum, notiſſima Northamptoniæ urbs ad fluvium Ninum, jam Heptarchiæ tempore ſtetit; ſed nomine *Medeshamſted* tum appellabatur, nec niſi vicus erat. Hoc igitur loco Merciorum Rex Peada, ad Chriſtianam fidem converſus, templi monaſteriique fundamenta jecit. Sed operi immortuus, illud exigendi atque abſolvendi gloriam ceſſit fratribus ac hæredibus Wolfero & Æthelredo, qui utrumque opimis reditibus inſtruxerunt anno DCLXIIII. Cum dein Dani, irruptione facta, Medeshamſtedum miſerum in modum vaſtaſſent, Edgarus id non tantum priſtino nitori reſtituit an. 970, verum & mœnibus circumdedit, unde eo abhinc tempore *Burgum, Burgum Sancti Petri, Petroburgum* vocitari conſuevit.

Eccleſiæ illi olim præfuerunt *Abbates*, quorum primus *Saxulphus* ſeptimo ſeculo celebris; ultimus, isque (ſi numerum requiras,) quadrageſſimus quintus, *Johannes Chamberius*, Henrici VIII Regis beneficio ex Abbate in *Epiſcopum* Petroburgenſium transmutatus. Hunc excepit *David Polus*, Mariæ autoritate in iſtum dignitatis gradum

evectus, hac tamen mortua, ab Elizabetha *Edmundo Scamblero* cedere juſſus. Succeſſit *Richardus Hovvland*, cujus tempore corpus Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ in caſtello Fotheringhay capite plexæ, non ſine pompa regia, Petroburgi in æde cathedrali terræ mandari juſſit Elizabetha. Unde Guntonus noſter indignatur, quod Cardinalis Barbarinus (poſtmodum *Urbanus IIX.* dictus) ſupremos illos honores Mariæ exuviis habitos aut plane ignoraverit, aut ſaltem ceu meritis ejus inferiores ſilentio prætereundos ac contemnendos cenſuerit. In poemate enim, quo Reginæ mortem cecinit, hic quoque verſus legitur:

Regalique tuum funus honore caret.

Jacobus tamen *Primus* materna oſſa cineresque d. 11. Octobr. an. 1612. Petroburgo Weſtmonaſterium transferri curavit. Hovvlandum ſecutus eſt *Thomas Dove*, cujus eloquentiam tantopere Elizabetha admirata eſt, ut ad Viri nomen reſpiciens, dixerit, Spiritum Sanctum iterum in columbam deſcendiſſe. Huic ſucceſſores obtigerunt *Guilielmus Peirſe*, *Auguſtinus Lindſell*, (Theophylacti editione famam nunquam intermorituram conſecutus,) *Franciſcus Dee*, *Johannes Tovvers*, (Caroli I. Stuarti cauſſa multa perpeſſus ab Independentibus, ægritudineque tum animi, tum corporis confectus 10. Januar. 1648.) *Benjamin Lany*, (electus 20. Nov. 1660. biennio poſt ad Lincolnienſium ſedem promotus,) *Joſephus Henshavv*, electus 15. Apr. 1663. Hunc poſt Guntonum, & forte paucos ante annos mortalitatis legem expleviſſe, collectu inde nobis facile videtur, quod ille iſtius mortem non memoret, & Patricius, qui ſupplementis ſuis die 20. Jun. 1685. ultimam manum impoſuit, obitum quidem *Joſephi Henshavv* innuat non obſcure, de ejus autem ſucceſſore altum ſileat. Cæterum e catalogo Epiſcoporum Anglicanorum, quem Eduardus *Chamberlayne* recentiſſimæ editioni *Status Angliæ* inſeruit, novimus, diœceſi Petroburgenſi an. 1686. epiſcopum præfectum fuiſſe, cui nomen Doctori *White*. pag. 331.

Cum igitur Petroburgenſis eccleſia tantæ antiquitatis ſit, totque præſtantes viros inter Abbates Epiſcoposque ſuos numeret, *SIMON GUNTON*, M. A. & Præbendarius, dum viveret, illius loci, ac *SIMON PATRICIUS*, Theol. Doctor & Petroburgenſium Decanus, dignam eam habuerunt, cujus hiſtoriam ſingulari ſtudio conderent, & a *Peada* & *Saxulphi* temporibus ad noſtra usque pertexerent. Non diffitendum eſt, opus hoc laborioſiſſimum non parum lucis conferre poſſe ad

univerſalem hiſtoriam Eccleſiæ Anglicanæ; ſterilitate tamen rerum præclare geſtarum aliquantulum laborare. Vitæ enim Abbatum, quæ potiorem ejus partem conſtituunt, nihil fere aliud continent, quam qua ratione illi monaſterium ſuum novis ſubinde fundis ac reditibus, ut & pag. 12. reliquiis Sanctorum, (quas inter Oſvvaldi brachium familiam duxit,) auxerint, ac ſi non eruditionis ſolidioris, ſaltem vitæ integræ & devotionis ad ſeculorum iſtorum morem compoſitæ famam, comparatum ſibi iverint. Fuerunt tamen ex illis ipſis non uni & hujus rei ſatis incurioſi, qualis eſt *Johannes de Says* (i. e. *Sagienſis*, notante *Patricio*, non *Saliſburienſis*, ut cum vulgo *Guntonus*,) Abbas decimus octavus. Hic enim cum videret quendam e piſtoribus ſuis, ignem accendere volentem, non exiguo temporis ſpatio operam perdere, ira ſuccenſus exclamavit: *Veniat ergo Diabolus & accendat!* Vix dixerat, cum extemplo ignis emicaret, domumque citiſſime pervagatus totum oppidum corriperet ac in cineres redigeret. Autor eſt *Gualterus de VVittleſey*, Gerhardo Johanni *Voſſio* ne nomine quidem notus, ſæpius autem Noſtris laudatus, queis tamen *liber Svvapham* omnium maxime uſui fuit, de quo aliqua *Voſſio* ac *Seldeno* ignorata excerpſiſſe, non dividiæ erit. HUGO præfat. CANDIDUS, vernacule *WHITE*, Monachus Petroburgenſis, ob frequentes hæmoptoſes pallorem in vultu & apud ſuos *Candidi* cognomen adeptus, vixit A. 1113, mortuus ſub Wilhelmo de Watervile, qui Martino de Vecti, A. 1155 defuncto, ſucceſſit ac anno circiter 1177. ſede dejectus fuit. Hic ergo, quem diximus, *Hugo* hiſtoriam Petroburgenſem conſcripſit. Ejus tamen codicem vulgus, ipſeque adeo *Guntonus*, nomine *libri Svvapham* appellarunt, eo quod *Robertus Svvapham* monachus, a. 1271. denatus, ſeptem Abbatum geſta Hugonis commentario adjeciſſet. Unde factum eſt, ut nemo ante *Patricium*, qui ſumma diligentia codicem excuſſit, animadverteret, Hugoni potius id gloriæ deberi, ut codex ab ejus nomine inſcriptionem ſuam reciperet. Dubio autem procul biga hæc hiſtoricorum Eccleſiaſticorum interiiſſet anno 1643, cum Independentes, *Cromvvello* filio duce, immani ac imprudentiſſimo zelo, quicquid in templo, bibliotheca & archivo epiſcopali a Pontificiis profectum credidere, diſcerperent comburerentque, niſi *Humphredus Auguſtinus* Zelotarum cuidam perſuaſiſſet, codicem illum, quem rogo jamjam deſtinaverat, non niſi ſacra biblia Latina complecti, pretioque decem ſolidorum ab interitu redemiſſet.

Præter

Præter alia MSCta, *Chronico* etiam quodam Patricius uſus eſt, e Bibliotheca Cottoniana accepto, ac, ut titulus codicis habet, *per Johannem Abbatem Burgi Sancti Petri* compilato. *Johannes* is, cognomine *de Caleto* inſignitus, obiit an. 1262; unde emendare licet, quæ de *Johannis Burgenſis* ætate memoriæ prodidit Gerh. Joh. Voſſius.

Abſolutis Abbatum Epiſcoporumque vitis, varia *epitaphia* exhibet Guntonus, a ſe, dum puer eſſet, deſcripta; quæ omnia cum altari, organis muſicis, ſtatuis, ſculpturis, feneſtris elegantiſſime pictis, ornamentisque univerſis Ædis Petroburgenſis, a barbaris illis 18. Apr. 1643. confracta, contuſa, diſſipata aut combuſta fuere; quemadmodum id latius in opuſculo Hiſtoriæ huic annexo commemoravit Cantor Petroburgenſis, *Franciſcus Standish* αὐτόπτης. pag. 93. p. 333.

Multum decoris Guntono-Patriciano Operi accedit ex *aneis figuris*, quibus templum Petroburgenſe, cum veteri altari, delineatur, ut & ex *chartis* ſive diplomatibus *VVolferi*, *Æthelredi*, *Edgari*, *Berthvvulfi*, *VVilhelmi Rufi*, *Henrici II.* ſequentiumque Regum, non temnendis ſane antiquitatis monumentis, modo univerſa eam habent ætatem, quam præ ſe ferunt. Adjecit etiam Guntonus *Matricularium libraria monaſterii Burgi Sancti Petri*, incerto tempore exaratum, notisque marginalibus e Trithemio, Pitſeo ac Bellarmino illuſtravit. Hæremus tamen dubii, utrum luce adeo dignum fuerit, cum bibliotheca dudum perierit, nec catalogum a viro admodum docto concinnatum eſſe appareat, & quod caput eſt, *Patricium* hac ratione multa melioris notæ a ſupplementis ſuis reſecare oportuerit, ne volumen in majorem molem, quam Bibliopola voluit, excreſceret. p. 115-172. p. 173-224. Præfat. fin. & p. 332.

JOHANNIS DECKHERRI, DOCTORIS ET IMperialis Cameræ Judicii Spirenſis Advocati & Procuratoris, de ſcriptis adeſpotis, pſeudepigraphis & ſuppoſititiis conjecturæ; cum additionibus variorum. Editio tertia altera parte auctior.

Amſtelædami apud Isbrandum Haring, 1686. 12.

Plag. 19.

Libri tertium jam editi hoc loco non meminiſſemus, niſi adjecta fuiſſet *PETRI BÆLII* Profeſſoris Philoſophiæ Roterodamenſis, (*Ex-*

cerptis Reipubl. literariæ perennem famam meriti,) *epiſtola de ſcriptis adeſpotis ad Theodorum Janſſonium ab Almeloveen* ipſis Nonis Martiis MDCLXXXVI. data. Hac enim corrigitur ſententia olim maxime pervulgata (ipſique *Deckherro*, ac, quem nuper in Actis 1690, p. 363. recenſuimus, P. J. Villanio non improbata,) *Marcum Velſerum* Augu-
ſtanum *Scrutinium libertatis Venetæ* conſcripſiſſe, quod *Scipio Herricus*, *Theodorus Grasvvinckelius*, *Raphael de la Torre* ſub examen revo-
p. 376. carunt; in confeſſo tamen hodie eſt apud omnes, autorem eſſe *Alphonſum de la Cueva*, Marchionem de Bedmar, Regis Hiſpaniarum apud Venetos Legatum & vertente tempore Eccleſiæ Romanæ Cardinalem. Conferantur *Acta Erudit. 1682. p. 170. & 1689* pag. 243. lin. 4.

Idem *Bælius* anſam commodam dare poteſt, benevolo Lectori indicandi, qua ratione variis Autoribus anonymis, a nobis in Erudito-
p. 406. rum Actis memoratis, reſtituere queat nomina nobis tunc ignorata. Ad marginem igitur p. 452. Actorum 1684. lin. 7. notare licebit, literas
p. 407. *D. L.* ſignificare *de Larroque*. Anonymus ibidem pag. 454. lin. 22. memoratus, Bælio dicitur *Dominus L'Enfant, V. D. Miniſter Heidel-*
p. 408. *bergenſis*. Autor *Apologiæ pro Reformatis* ad Acta 1685. p. 68. relatæ, (dicente Bælio) eſt D. *Fetizon, tunc V. D. Miniſter in finibus Campaniæ, apud nobiliſſimum & ſtrenuiſſimum virum Dominum de Briquemau, nomen Reformatis jure merito chariſſimum, nunc eandem provinciam ſtrenue obiens Lipſtadii, cujus urbis præfectura data eſt a Seren. Elect. Brandeburgico eidem Dom. de Briquemau.*

p. 399. *Conſiderationum ad epiſtolam Circularem Cleri Gallicani*, nobis a 1683. p. 255. memoratarum, *Johannes Claudius*, Reformatorum noſtri ævi celeberrimus; *obſervationum* autem *in defenſionem verſionis N.*
p. 409. *T. Montenſis*, a nobis a. 1686 p. 201. recenſitarum, Jeſuita *Le Tellier* autor eſt. Sed miſſis Anonymis, ad alios nunc convertamur, qui fœtuum ſuorum parentes ſeſe profiteri haudquaquam veriti ſunt.

HERM. ALEXANDRI ROELL DISSERTATIO de Religione Rationali. Editio ſecunda.

Franequeræ apud Joh. Gyſelaar, 1689. in 8.
Conſtat plagulis 17.

ORatio inauguralis, quam Autor recitavit, cum officium eccleſiaſticum in Eccleſia Daventrienſi relinquens, profeſſionem Theologiæ

logiæ

logiæ & Philoſophiæ Franeckeræ auſpicaturus eſſet, iterato edita, ſed aucta, & in paragraphos diſtincta, ſcriptis ad ſingulos ſummis capitum, ſub hac forma apparet, ut ad ordinem iſtum delineatum explicaret diſcipulis in ſcholis privatis Theologiam naturalem.

Præfatus, mentem hominis ſapientiæ deſiderio excitatam, ex contemplatione hujus univerſi cognoſcere primam quandam cauſam, eamque Deum eſſe, eundem etiam finem, in cujus poſſeſſione ſumma ſua felicitas conſiſtat, quam etiam religione conſequatur, indeque merito inter tot de cultu Dei opiniones ſollicitum eſſe hominem de religione vera; argumentum Orationis ponit περὶ λογικῆς λατρείας, ſeu *de religione rationali*, illudque ita partitur, ut primo *de* illius *nomine*, tum *de genere & forma, atque membris*, tandem *de opibus ac divitiis* dicere recipiat.

Primo itaque nomina explicat. Religionis voce ait ſignificari ſtudium hominum, quo pro ſenſu quisque ſuo, mentis corporisque facultates in Entis ſummi, quod Deum vocamus, contemplatione, amore, cultuque, ut eo fruatur propitio, tenet occupatas. Rationem, a qua rationalis dicitur, tria ſignificare docet, & mentem ipſam, & facultatem ratiocinandi, & ideas rerum communesque notiones. Juxta hæc rationale appellari, (1) quod ad mentis eſſentiam pertinet, ut cogitare; (2) ideas rerum, communesque notiones; (3) ratiocinationes ex iis deductas, ſub quibus comprehendantur (4) & ea, quæ ex notionibus primis mens non quidem deducere, ſed tamen vera eſſe ratiocinando invenire poteſt. Harum rerum cauſas primas ab origine deducturus, ſupponit hic (quod mox probabit) Deum eſſe, qui ſit ens perfectiſſimum, omnium cauſa, ac ſoli ſibi ſufficiens. Quæ ergo fecerit, libere feciſſe, & ad ſe in operibus repræſentandum; res etiam iſtas ita prodire debuiſſe, uti Deus eas prodituras apud ſe conceperat, & ut de Dei virtutibus teſtari poſſent. Quare mentem creari oportuiſſe, quæ Deum & opera ejus cognoſcere, & amare, atque ita beata eſſe poſſet, quæque libertate agendi gauderet; quæ omnia in ſe invenire queat homo. Atque hæc eſſe fundamenta omnis religionis naturalis, nunc oſtendere aggreditur. Initio cum religio Deum pro objecto habeat, evincit Deum eſſe, & quam naturam, quasque perfectiones poſſideat, demonſtrat.

Exiſtentiam Dei probat (1) ex idea Dei menti inſita; (2) ex mirabili vi quadam formandi alias multas ideas, intelligendi, volendi & ratio-

ratiocinandi, quam mens in ſe experitur; (3) ex mentis & corporis ſtupenda conjunctione; (4) ex ordine atque ornatu totius univerſi. *Naturam & perfectiones divinas* ſummatim complexurus, Deum dicit eſſe mentem perfectiſſimam. Sic enim innuitur, Dei eſſentiam conſiſtere in cogitatione, adeoque repugnare illi extenſum aut compoſitum eſſe ullo modo, Hobbeſiumque & Spinoſam, dum Deum corpus eſſe perſuadere volunt, omnis religionis fundamenta convellere; Deum exiſtentiam ſuam a ſe ſolo habere neceſſario, ab æterno, immutabilemque eſſe; intellectum Dei eſſe omniſcium, voluntatem potentiſſimam; ex quarum perfectionum naturali nexu ſequatur ſimplicitas, vita beatiſſima, unitas. Poſt quas perfectiones Dei naturales, expendit relativas; quarum prima eſt, eſſe Creatorem, deinde Conſervatorem & Rectorem omnium, & omnipræſentem; i. e. (ut explicat,) de rebus cogitantem. In iſtis cæteras omnes Dei perfectiones videri poſſe, & *Bonitatem* præcipue in hominis creatione manifeſtam; & *Sanctitatem* ortam ex amore erga ſeipſum, cum quo conjunctus neceſſario ſit amor erga eos, qui perfectiones ejus agnoſcunt, & adverſus illos odium, qui eum non glorificant; & *Sapientiam*, ex qua omnia optime ordinaverit ad finem ſummum, gloriam ſuam; & *Juſtitiam*, quæ bonis, quibus in hac vita male eſt, poſt eam benefaciat, malos vero, quibus bene hic eſt, ibi affligat; & *Veracitatem*, per quam res uti ſunt, concipiat, nec aliis aliter concipiendi cauſa ſit. Repugnare ergo, vel rationem vel revelationem fallere poſſe, cum utriusque autor Deus ſit; tum etiam repugnare, hæc duo principia ſibi poſſe adverſari. Ultimo loco addit *Conſtantiam*, ex qua probari quidem non poſſit, nullas ſubſtantias interituras eſſe; mentes tamen immortales eſſe ex eo conſtare, quod DEUS eis æternitatis & notionem & cupiditatem ipſe indiderit. Ex quibus omnibus ſatis intelligi poſſe docet divinæ gloriæ magnitudinem, ad quam admirandam & celebrandam religione ſit opus.

Nunc, poſtquam quod Deus ſit, & qualis ſit, rationem ſecutus monſtravit, poſtulante inſtituti ratione, dehinc oſtendit, quis qualisque ſit Rationalis ille, qui DEO debeatur cultus. Hic cum vero de DEO ſenſu, recto erga DEUM affectu, & compoſitæ ad divinæ voluntatis normam vitæ ſanctitate, atque ita legitimo mentis & corporis uſu contineatur, ejus ratio ac modus omnis ex conſideratione tum DEI, tum hominis, tum cognationis ac σχέσεως, quæ ſit inter utrumque, petendus

tendus videtur. Etenim, ſi DEUS dignus non ſit qui colatur, nec homo ad colendum DEUM ſit aptus, nec a DEO dependeat, eoque indigeat, nullam apparere cultus divini neceſſitatem; & contra maximam illam eſſe, ſi & DEUS coli mereatur, & homo tum colere DEUM poſſit, tum felicitatem omnem ab ipſo ſolo exſpectet. Jam vero & DEUM cultu dignum, & hominem ad colendum eum idoneum eſſe, ab eoque in totum dependere. Velle DEUM coli, quia eſt ſanctus & ſapiens. Hinc enim ad eas operationes feciſſe mentem, quæ præſtantiſſimæ ſunt, & in quibus mens cum facultatibus ſuis quam maxime perfici poſſit. At intellectum nulla in re magis poſſe perfici, quam in DEI cognitione, neque voluntatem, niſi in ejusdem ut ſummi boni amore. Incitare ad cultum impreſſam nobis ideam DEI, & deſiderium felicitatis noſtræ; ad obſequium potentiam ejus & dependentiam noſtram ab eodem. DEUM vero coli, eique obſecundari non poſſe, niſi de voluntate ejus nobis conſtet: de ea vero conſtare nobis per alios non poſſe, ſed per aliquid, quod in nobis ipſis ſit. At in nobis omnis ſcientiæ fundamentum eſſe ideas innatas & notiones primas. Rationem ergo ſive conſcientiam, quæ conſiſtat in ideis illis innatis, primisque notionibus, atque in vi ex iis argumentandi, oportere eſſe divinæ voluntatis interpretem, & unicam actionum noſtrarum normam, eamque infallibilem, tum quod ipſius DEI vox ſit, *non ſolum in homine integro, ſed etiam in lapſo*, tum quod ſi fallere poſſet, nulla foret ullius rei certitudo. Errores autem a plerisque committi, & quia ad longos rerum nexus attendere difficile eſt, & quia præjudicia multa a ſenſibus omnes ab ætatis primæ doctoribus plerique hauſimus, denique quia juſto DEI judicio rationis lumen obſcuratur. In genere errorum cauſam eſſe, quod voluntas latius pateat, quam intellectus.

Cum igitur Religionis fundamentum ſit ratio, ipſam religionem ſive pietatem eſſe DEI ex rationis præſcripto cultum. Ad eum rite præſtandum in genere requiri 1. *diligentiam*, ut quomodo DEUS ſit colendus, inquiramus. 2. *obſequium*, ut quæ ratio fieri oportere dictat, exequamur. 3. *juſtitiam*, ne plus minusve faciamus, quam ratio præcipit. 4. *humilitatem*, ne nobis noſtrisque affectibus quid tribuamus, ſed ſoli rationi omnia. In ſpecie religionis officia diſtingui in officia circa DEUM & res DEI. Officiorum circa DEUM primum, maxime neceſſarium & reliquorum fundamentum eſſe recte eum cogno-

ſcere ejusque voluntatem, quod eſt intellectus: voluntatis vero eſſe rationi parere, adverſanteſque ei affectus compeſcere, & in eligendo bona minora, etſi præſentia, majoribus quamvis futuris poſthabere. Verſari autem circa DEUM voluntatem, vel in ſe ſpectatum, vel in relatione ad nos. Quatenus in ſe ſpectatur DEUS, voluntatis eſſe de ipſo recte judicare, ipſum æſtimare, venerari, atque in ipſo gaudere: at in relatione ad nos, virtutibus DEI omnia conformare. Primum *bonitati*, beneficia ejus recte æſtimando, in quo vera erga DEUM gratitudo conſiſtat, quoniam rependere illi nihil poſſumus; tum vero humiliter ab eo ex animo, ſive ſolo mentis deſiderio, ſive verbis precando ea, quibus indigemus bona, tam ſummum, quam in juſto ordine ad ſummum reliqua. Quæ preces ut gratæ ſint, deſideria & vitam noſtram ſanctam, & DEI Sanctitati, h. e. amori, quo in ſe & gloriam ſuam fertur, conformia eſſe debere. Porro *ſapientiæ* DEI nosmet ipſos conformare, finem, ordinem, & uſum rerum cognoſcendo, & ad DEI gloriam noſtramque felicitatem omnia ſapienter prudenterque dirigendo: *providentiæ*, ita illam in omnibus ſuſpiciendo, probando ac ſequendo, ut nec ſecunda nec adverſa nos a virtutis via deflectant: *juſtitiæ*, ſecundum leges ejus, & ex rationis præſcripto bonum ac malum diſcernendo, ſuum cuique tribuendo, & pro bene aut male factis præmia aut pœnas ſperando, aut metuendo; *veracitati*, præceptis, promiſſionibus ac comminationibus fidem adhibendo, & nonniſi vera, inprimis de ipſo DEO, cogitando ac loquendo: *conſtantiæ*, in pietatis ac virtutis via eodem tenore perſeverando, & ad ſummum finem, DEI communionem beatam contendendo. Officia hæc neceſſaria facere DEI *auctoritatem*, voluntaria amorem, qui eſt religionis anima. Corporis membris ac ſenſibus utendum ad DEI gloriam, & noſtram aliorumque felicitatem ac perfectionem, DEIque circa ejus natales, vitam ac mortem probandam providentiam. Creaturis irrationalibus cum gratitudine & precibus utendum in eo ordine atque in eos fines, quos DEUS conſtituit, ſervata juſta earum proportione, tum ad ſe invicem, tum ad ſenſus, valetudinem & mentem, idque in ordine ad DEUM, ut vel interdicente vel ſubtrahente eas DEO, iisdem carere velimus: in quibus conſpicua ſit temperantia, humilitas, fortitudo ac patientia. Alios homines ob eandem nobiscum naturam, eandemque ad DEUM σχέσιν in DEO & ad DEUM, amandos eſſe omnes, quod fiat imprimis, ſi verbis factisque

ad DE-

ad DEUM ſummum, bonum recte cognoſcendum, amandum, eoque fruendum doctores iis ducesque ſumus: tum ſi corpori etiam beneficimus; quosdam tamen amandos ſingulariter. Amoris illius vinculo contineri etiam hominum ſocietates debere. Unde neceſſarium eſſe cultum DEI publicum, ordinem docentium ac diſcentium, templa, conciones &c. a quibus tamen abeſſe debeat omnis tyrannis & vis, meramque obtinere charitatis ac veritatis ad conſcientiam demonſtrationem, meramque adeo θεοκρατίαν. Neceſſariam quoque eſſe bonorum juſtam diſtributionem & quietam poſſeſſionem, ne cuiquam, quod ſuum fecit legitimis modis, eripiatur vi vel furto. Eo fine requiri leges & magiſtratus, eorumque legitimam auctoritatem, & mutua magiſtratuum & ſubditorum officia, quorum finis ſit ſalus, tum publica omnium, tum privata ſingulorum, norma leges, principium amor, qui quemque aliis pro virili ſua ſuccurrere, eosque juvare, jubet. Pietatis atque impietatis exitum eſſe, ut illa ad præmia ac felicitatem, hæc ad pœnas & miſeriam ducat, quod ipſos gentiles conſcientia docuerit. Atque hæc omnia rationem docere, neque tamen a gentilibus agnita fuiſſe, ob defectum recti uſus rationis & excitationis per revelatum verbum: inde impietatis & erroris apud eos regnum, & nil niſi mentis corruptæ imaginem obtinuiſſe. Inde errores *circa DEI exiſtentiam*, ſive atheiſmum tum ſingularium hominum, tum integrorum populorum: *circa DEI eſſentiam*, unde polytheiſmum & idololatriam, atque ἀποθέωσιν rerum bonarum ac malarum; *circa* DEI virtutes, *ſcientiam, potentiam, operationem ac providentiam* in rebus creandis, conſervandis ac gubernandis; circa futurum hominis poſt hanc vitam felicem aut infelicem ſtatum, mentis immortalitatem, & corporis reſurrectionem; circa religionem & cultum DEI rationalem, amorem DEI & proximi, humilitatem veram, reconciliationem peccatoris cum DEO, ſummum bonum, & viam ad illud &c. Hæc totidem eſſe argumenta nativæ corruptioni atque impotentiæ hominis ortæ ex culpa hominis & liberi arbitrii abuſu. Nullam ergo ſupereſſe poſt naufragium illud tabulam, præter DEI bonitatem ac miſericordiam, qua eum uti poſſe ratio doceat, velle ſola ſpecialis revelatio. Hanc talem eſſe debere, ut ipſius divinitas ſe notis ac characteribus probet conſcientiæ, cum alias illi homo nec fidem debeat nec obſequium. Requiri ergo, ut conſcientia habeat intra ſe judicii certam normam, ſine qua nec nobis quicquam probari poſſet, nec nos

aliis probare poſſemus, nec certi eſſent veri & falſi, boni & mali fines; neque diſtingui ab opinione & credulitate vana atque obſtinata divina fides poſſet. Revelationem itaque nullam poſſe intelligi ſine ideis rerum revelatarum, neque revelationem rerum plane novarum, quarum ne ſimplices quidem ideæ in homine reperiantur, niſi novæ quoque in illo ideæ creentur. Revelationis divinitatem de rebus, quarum ſimplices homo ideas habet, per rationem ſive conſcientiam dijudicari debere. Judicium conſcientiæ niti argumentis debere & inſtitui ſecundum ideas rerum. Illud enim demum verbum, illudque opus pro divino habendum eſſe, cujus nulla præter entis primi omniſcientiam atque omnipotentiam aſſignari idonea cauſa poſſit; eadem opera certos nos eſſe, nihil verum, nedum divinum eſſe poſſe, quod cum innatis & communibus notionibus, atque adeo rationis dictamine adverſa fronte pugnet. Poſſe quidem revelari, quod rationis captum ſuperet, ſed tamen an & quid revelatum ſit a DEO, ratione dijudicari, atque a leo eo ſenſu fidem ipſius Trinitatis aliorumque myſteriorum rationis judicio niti, & rationalem eſſe debere. Atque hinc conſtare rationis in Theologia uſum & auctoritatem, tum ex ipſa experientia, tum exemplis Prophetarum aliorumque, quibus a DEO facta revelatio; quod in ſpecie oſtenditur exemplo Abrahami, qui niſi omni exceptione majoribus argumentis perſuaſus fuiſſet, mandatum quod filium immolare jubebat, divinum eſſe, enormiter contra ipſum legis opus cordi inſcriptum peccaſſet. Quare ut & a nobis aliisque ſcripta revelata certa fide pro divinis recipiantur, juſta rationis lance librari atque examinari oportere ſcriptores, ſtylum, doctrinam, facta, hiſtoriam, & quæcunque præterea ad cauſam hanc pertinent. Sed non ſatis eſſe, Scripturæ divinitatem & ſenſum noſſe: totam etiam vitam ad ejus normam per cultum DEI rationalem conformandam; eoque fine DEI & Spiritus ejus opem precibus rogandam. Fructum cultus rationalis dicit pacem bonæ conſcientiæ, & æternæ beatitudinis ſpem, ac Spiritus S. de adoptione noſtra teſtimonium, quæ omnia rationalia eſſe debeant. Ita deſinere eum in ſolidum ac æternum gaudium.

In peroratione promittit laborem ſuum fore in docenda religione hac rationali; adhortatur juventutem ad ejus ſtudium; alloquitur Profeſſores Collegas, Academiæ Curatores Patronos, & tandem precibus ad DEUM finit.

Agnoſci-

Agnoſcimus Theologum in ſchola Carteſii informatum, ac jam notum nobis ex Actis An. 1687. pag. 406. Ad rem ipſam pertinet Supplementorum Sect. II. pag. 88.

IL CLERO SECOLARE NEL SUO SPLENDORE.

i. e.

Clerus ſecularis in ſuo ſplendore; ſive, de vita communi clericorum tractatus Pompeji Sarnelli Theol. & Legum Doctoris, Protonotarii Apoſtolici, Abbatis S. Homoboni Cæſenæ.

Romæ, ex typographia Cameræ Apoſtolicæ, 1688. in 4.

Conſtat plagulis 12.

Conatur Auctor clariſſimus ſplendori priſtino reſtituere Clerum ſecularem, quod eſt, perſuadere clericis ſecularibus, ut communi domicilio, menſa & dormitorio utantur, nec quicquam bonorum ſive patrimonialium, ſive eccleſiaſticorum, ſibi ſoli vindicent, quin & dominium & uſumfructum, utrorumque cedant eccleſiæ, cujus reditibus aluntur atque ſuſtentantur Hoc fine, (capite præſertim XVI,) enarrat, qua ratione communio bonorum tempore Apoſtolorum frequentata, ævo Cypriani a.253. reſtaurata, ac dein variorum Pontificum conciliorumque auctoritate, utut non ubique, in multis tamen canonicorum collegiis, ſtabilita, & quamvis vertente tempore tantum non toto paſſim Chriſtiano orbe in deſuetudinem abierit, inde tamen ab an. 1640. pluribus locis in Germania, Hungaria, Hiſpania & Polonia poſtliminio in clericorum conventus reducta fuerit; id quod *Innocentius XI. P. R.* 7. Jun. 1680. ſuo calculo probavit in Bulla Latina, quam Sarnellus Italice vertit & tractatui ſuo p. 47 -- 73. coronidis vice adjecit.

MEMORIE DELL' INSIGNE COLLEGIO DI S. Spirito della Citta di Benevento.

i. e.

Hypomnemata de inſigni Collegio Spiritus Sancti Beneventano, auctore *Pompejo Sarnello* Collegii illius Abbate.

Neapoli imprimebat Joſephus Roſellius, 1688. in 4.

Conſtant plag. $14\frac{1}{2}$. cum fig. æneis,

COlegium illud fundatum eſt an. 1177. ab Abbate *Abdenago*, mortuo 6. Aug. 1183, miſere deſtructum ab Imperatore *Friderico II.* cum tota Beneventanorum urbe an. 1239, exeunte autem ſeculo XIII. reſtauratum. Alit Abbatem, Præpoſitum, Primicerium, Decanum cum novem Canonicis. Subeſt hodie regimini *Vincentii Mariæ* Cardinalis *Urſini* Archiepiſcopi Beneventani, & inde ab 11. d. Apr. 1688. *Sarnello* noſtro Abbate gaudet, qui ea propter hiſtoriam ejus libello hoc lectu ſane jucundo condidit; ſubjuncta prolixa epiſtola ad illuſtrem virum *Antonium Magliabecchium* (cujus liberalitati & hunc & præcedentem tractatum debemus) de terribili illo terræ motu, qui 5. Jun. 1688. Beneventi 1367. hominibus vitam abſtulit, quibus accedunt in Parochiis extra urbem, ad Diœceſin Beneventanam ſpectantibus, mortui ſeptingenti triginta novem. Inter octo, quos ſuſtinuit Beneventum, terræ motus, hic omnium maxime urbem illam miſeratione digniſſimam, horrendum in modum devaſtavit, & tantum non funditus evertit.

THE WHOLE ART OF NAVIGATION, &c.

ſive

Univerſa Ars Nautica, autore Dan. Nevv-houſe, Capitaneo.

Londini, apud Thom. Paſſinger & E. Playford, 1686. in 4to, Plag. 61.

EXhibemus hic, quem nuper in *Actis Menſ. Aug. p. 389.* nominavimus librum, cujusque tum recenſionem in Supplementis hiſce dare promiſimus. Dedicatus is eſt Jacobo II, tunc temporis adhuc Britannica ſceptra moderanti; cujus inſignem hac in arte peritiam, quamplurimis glorioſis æque ac periculoſis in expeditionibus comprobatam, mire deprædicat Autor. Propoſitum vero ei eſt hoc in opere, naviculariæ cognitionem ita facilem reddere, ut vel tyronis intellectui expoſita eſſe queat: quem in finem non ſolum difficiliores demonſtrationes mathematicas omiſit, & in explicandis phænomenis Aſtronomicis Ptolemaicum, quam Copernicanum ſyſtema ſequi maluit; ſed & talem elegit methodum, quæ omnium pene conſenſu pro facillima habetur; proponendo videlicet artem hanc per modum Dialogi inter tyronem ejusque magiſtrum habiti. Spem tamen ſimul fecit de edendo propediem

alio

alio quodam libro, provectioribus in hac ſcientia & artificibus deſtinato. Præſens ſcriptum quod attinet, placuit illud Autori in quinque libros diſpeſcere, quorum ſingulis quid pertractetur, pauciſſimis indicabimus.

In *Libri I.* parte priori exponuntur communia quædam principia, cum navigationem concernentia, tum annorum temporumque diviſiones, eas præſertim, quæ Lunæ curſum reſpiciunt eique ſupputando adminiculantur: utpote quem in numerato habere boni naucleri maxime intereſt, ob dependentes inde fluxus refluxusve marini viciſſitudines: quem in finem etiam *p. 24.* Tabula communicatur, oſtendens, quænam Lunæ ætas in ſingulis Europæ aliorumque locorum portubus potioribus æſtum maris maximum afferat. Poſterior hujus libri pars explicat vulgata quædam problemata Geometrica, ad conſtructionem figurarum, navales operationes ſpectantium & in ſequentibus libris contentarum, facientia. *Liber II.* totus in Sphærica tradenda occupatus eſt, explanatque principia Geographica partim, partim Aſtronomica, quatenus uſum in arte nautica præſtare queunt: quorum quidem, cum vulgata ſint, ſpeciali recenſione non erit opus. Id tamen obiter annotare lubet, in ultima hujus libri Propoſitione, ubi ſingulæ cæleſtis globi conſtellationes recenſentur, etiam commemorari aſteriſmum peculiarem, *Cor Caroli*, ſub hac quidem appellatione forte non omnibus noſtratium notum: dicitur vero conſtare ex tribus ſtellis, (quarum una ſecundæ magnitudinis eo imprimis nomine veniat,) inter urſam majorem & comam Berenices ſitis, olim informibus, quæ a Dn. *Carolo Scarbrough* primum eo titulo in Regis Caroli I, Martyris, quem vocant, honorem & memoriam inſignitæ fuerint. *Liber III.* partem practicam navigationis complectitur: ubi primo agitur de pyxidis nauticæ accurata conſtructione & uſu, ejusque cum erroribus emendandis, tum variatione diverſis modis detegenda: deinde docetur ratio mapparum hydrographicarum tum componendarum, tum rite adhibendarum, & quomodo earum adminiculo quovis tempore navis ſtatio inveniri, ejusque curſus ad debitum rhombum dirigi queat: porro explicatur, quomodo velificationis celeritatem indagare oporteat, indeque colligere, quot milliaria ſingulis horis navis confecerit. Hoc ipſum vero potiſſimum cognoſcitur ope vulgati cujusdam inſtrumenti, quod nautæ *the Log* vocitant, conſtante ex aſſerculo, cui filum certis nodis interſtinctum

anne-

annexum eſt; aſſerculo iſto ſcilicet, qui ob affixum in altero margine plumbum arrectus natat, e puppi in aquam demiſſo, vertitur clepſydra, dimidia minuta diſtinguens, ſimulque filo libertas relinquitur ſemet a fuſo verſatili devolvendi: elapſo ſic dimidio horæ minuto ſiſtitur filum, & computantur nodi in parte interea temporis decurſa, atque ſic pro ſingulis nodis ſingula milliaria Anglica ſubſtituendo, horum numerus facile habetur; crediturque navis intra horam tot decurriſſe milliaria, quot nodos intra dimidium minutum devolutos filum oſtendit: quæ operatio ſingulis bihoriis repetitur, & numerus qualibet vice inventus ſollicite conſignatur. Nodorum vero in filo inter ſe diſtantia eſt 7. orgyiarum ſeu 42 pedum Anglicorum: ex eo quidem fundamento, quod 5 ejusmodi pedes faciant paſſum geometricum, 1000 paſſus unum milliare, quorum 60 conſtituant unum gradum; ut adeo unum milliare contineat pedes 5000: cum itaq; dimidium minutum ſit $\frac{1}{120}$ pars horæ, pariter adſumitur $\frac{1}{120}$ unius milliaris, nempe $41\frac{2}{3}$ pedes, ſive ad rotundationem numeri 42 pedes. Annotat tamen Autor, erroneam quodammodo hanc diviſionem eſſe: utut enim certum ſit, 5 pedes paſſum Geometricum & 5000 pedes milliare efficere: id tamen de pede *Bononienſi*, quem vocent, ſubaudiendum eſſe, non de Anglico, qui $\frac{1}{10}$ parte iſto brevior ſit: adeoque interſtitia nodorum illorum non 42, ſed 50 pedum eſſe debere: id quod confirmat teſtimonio Dn. *Norwood*, qui in Libro, cui titulus *Sea-mans Practice*, ex propria experientia adſerat, gradum circumferentiæ telluris non eſſe, ut vulgo ſupputetur, 300000, ſed 367200 pedum Anglicorum. Ulterius in hoc Lib. III. perhibetur, quomodo ope dictorum hactenus adminiculorum diaria nautica conſignari, & ad eorum normam dein itineris tam decurſi, quam reſtantis ratio iniri, iſtaque conjecturalis ſupputatio, quam *Dead Reckoning* nominant, ex aſtrorum diligenti obſervatione corrigi ſubinde debeat. Denique ſub finem termini nautici & voces technicæ explicantur, duplici quoque hunc in finem ſchemate ad majorem perſpicuitatem l. 3. p. 201. & l. 5. p. 130. adjecto, id quod non ita pridem in *Nath. Boteleri* Dialogis Nauticis, *Supplem. Act. Sect. III. pag. 127.* deſiderabamus: pro addiſcendo etiam modo, navem ejusque ſingulas partes per celeuſmata uſitata & navarchis familiaria rite moderandi & gubernandi, commendatur ſcriptum, cui rubrica *Capt. Sturmy's Mariners Magazine*: e quo etiam ſpeciminis loco diverſa exempla, lectu ſane jucunda, adducuntur.

Liber

Liber IV. impenditur deſcriptioni inſtrumentorum mathematicorum nautis familiarium, in metiendis diſtantiis locorum, aut capienda altitudine Solis & aſtrorum; commodis æque ac incommodis ſingulorum una commemoratis. Speciatim occupatus eſt Autor in oſtendenda utilitate novi alicujus *Quadrantis Sinuum:* cujus ope omnia quæſita in navigatione occurrentia ſolvi poſſe autumat, tanta quidem cum facilitate, ut tenuioris etiam captus ingenia ei uſurpando ſufficiant: uſus autem ejus præcipuus traditur in ſupputandis milliaribus, longitudine item ac latitudine locorum, nec non corrigendo navis curſu. Sub finem libri hujus Autor proprio ſui exemplo commonſtrat, quomodo ephemerides in itineribus maritimis conſignandæ ſint, annotatis in ſingula bihoria navis velocitate, proræ directione, ventique viciſſitudinibus, & exinde computato ſingulorum dierum itinere: quo nomine communicat diarium a ſe conſcriptum in expeditione anno 1684 ex Anglia ad inſulam *Barbados* ſuſcepta: unde non obſcure apparet, ipſum in praxi nautica non minus, quam in theoria verſatum & exercitatum eſſe. In *Libro V.* & ultimo exhibetur primo Calendarium perpetuum, præter feſta immobilia continens ad ſingulos dies anni Solis ortum & occaſum, ut & potiorum ſiderum acceſſum ad meridianum circa mediam noctem. Inſperguntur etiam res notabiliores Anglicanæ, ad rem nauticam potiſſimum ſpectantes, v. g. prælia navalia; navarchorum nobiliorum obitus; navium grandiorum prima in pelagus deductio, & ſimilia. Sic v. g. ad diem 10 Julii notatur, anno 1669 eo die mare intra trihorium ſepties circa *Weymouthum* fluxiſſe & refluxiſſe; eandemq; æſtuum reciprocationem anno 1656 Tameſis intra ſimile temporis ſpatium bis paſſus eſſe die 3. Octobris narratur: ut alia hujusmodi prætermittamus. Reliquum libri abſumunt varii generis Tabulæ, ad commoditatem navigantium, & nauclerorum imprimis informationem facientes: Chronologicæ puta, Aſtronomicæ, Loxodromicæ, Geographicæ, quas quidem cunctas ſigillatim hic recenſere non erit opus, præſertim cum ſingulæ in Indice capitum operi huic præmiſſo enumeratæ uno obtutu videri queant: ſub finem vero, quis cujuslibet earum uſus ſit, ſpeciatim edocetur, & clarius adhuc, ne qua forte reſideat obſcuritas, per ſubjecta exempla explanatur.

TELLURIS THEORIA SACRA,

Orbis noſtri originem & mutationes generales, quas aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectens. Libri duo poſteriores de Conflagratione Mundi, & de Futuro rerum Statu.

Londini, impenſ. Gualt. Kettilby, A. 1689. in 4.
Plagularum 36.

CUm ſatius ducere videatur ſcriptor Anglus T. Burnetius, in contemplativis ſcientiis exercere, quam in utilibus ingenium, cauſa quodammodo perſpicitur, qua fuerit motus, ut in hac Theoria ſua de
p. 256. *Telluris Phænomenis maximis*, velut ſublunaris theatri ſcenis illuſtrioribus, diſquiſitionem inſtitueret. Ejus generis phænomena quinque ab eo proponuntur, quorum *primum* eſt mundus ex chao ſuo oriens ſeu origo mundi ex chao, *ſecundum* terreſtris paradiſus, *tertium* diluvium univerſale, conflagratio mundana *quartum*, & *poſtremum* millennium beatum ſeu novi cœli & nova terra. De tribus prioribus uti in libris egit, quos in *Actis anni 1682. p. 70.* recenſuimus, ita nunc laborem ſuum in reliquis duobus diſcutiendis occupavit, ſibique ut loquitur,
1, 2. propoſuit, *futuros mundi caſus maximos & ſuprema fata complecti & explicare, ſeu, hujus mundi fatalem interitum, & cauſas, & modum*
præf. *& pompam, & totum rei apparatum quærere.* Peccare enim eos arbitratur, qui nimiæ ducant diligentiæ aut curioſitatis eſſe, in ſigna prophetica inquirere, taciteque ab his divinam providentiam, quæ nobis oracula de futuris tradiderit, accuſari: a culpa viciſſim nec abeſſe alios, quorum ἀκρίβεια in rebus arduis & obſcuris non minorem fidem, quam quæ demonſtrationibus debeatur, a lectoribus exigat. Diſtinguendos enim eſſe gradus certitudinis &, pro ratione luminis, ſive a natura, ſive e cœlo dati, aſſenſum noſtrum metiendum.

Limites jam certos primo argumento poſiturus aſſerit, regiones cœleſtes, aſtrorum, angelorum, ſanctorumque ſedes, licet ſuas habeant
p. 5, 54. viciſſitudines & mutationes nobis ignotas, fato huic & conflagrationi non ſubjacere, neque venire in cenſum poſſe, cum de mundi noſtri interitu agitur; ſed ſermonem ſibi eſſe de mundo ſublunari tantum ejusq; ſupellectili; nec de ejusdem mole quæri & materia, ac ſi in nihilum

iſta

iſta eſſet redigenda, ſed de forma ſolum, figura atque diſpoſitione; ipſa
interim rudimenta corporum & nuda ſtamina ſuperfutura ſemper,
nullo conſumenda impetu. Conſtituto operis argumento, quid *Græci* 6.
antiqui, Ariſtoteles, Plato, Stoici, Epicurei, Joniei, Orphici; quid item
Barbari, Druidæ, Ægyptii, Brachmani, Chaldæi ſenſerint de mundi in-
teritu, exponit. Stoicos, qui doctrinam illam conſervarint potiſſi-
mum, videri a ſcriptis propheticis eandem ſuffuratos, licet ſuos ſubinde 15.
errores ei adſperſerint, jam præcipitem & interminatam mundorum
ſucceſſionem effingendo, jam annum quendam Platonicum in ſcenam
producendo, cum tamen recta nequaquam ferat ratio, ut iſta homi- 17.
num ſcelera, quæ incendio purgari voluerit cœlum ac puniri, unquam
renoventur. Miſſis ergo veterum ſententiis & autoritate exotica, do-
gma de futura mundi conflagratione revera Chriſtianum eſſe, ex Apo- 19. 20.
ſtolorum & Prophetarum ſcriptis evincitur.

Tempus conflagrationis docet inveſtigari non poſſe ex cœlo &
aſtris, multo minus ex terra & iſtius qualitatibus, neque ex planetarum 24.
vel in Capricorno, vel in Cancro conjunctione, neque e ſtellarum fixa-
rum ullis revolutionibus, aut anni alicujus magni periodo, adeoque
ex rationibus phyſicis & aſtronomicis ad indagandum excidii mundani 31.
terminum nihil poſſe exprimi. Ad oracula igitur, & rationes prophe-
ticas converſus, calculos propheticos *exoticos* ſeparat a *ſacris*; illos in-
ter gentes reperiri, teſte vel Sibyllino computo, durationem mundi
decem in ætates tribuente: hos inter Judæos & Chriſtianos. Per æta- 33.
tem Sibyllarum decimam, Millennium beatum putat deſignari. Hinc
exponitur, quæ fuerit Patrum Eccleſiæ ſententia de ſex millenniis mun-
dani temporis, ſeu de *Traditione domus Eliæ*, in hexaemero, & ratione
ſabbathi fundata. Signa quidem adventus Chriſti, & mundani excidii 41.
in proxima & remota diſtingui: pro remotioribus haberi prædicatio-
nem evangelii per totum terrarum orbem, & converſionem Judæo-
rum ad Chriſtianam fidem; definiri tamen ex his, quando ſit futurus
mundi exitus, non poſſe. Propiorum vel proximorum nomine venire
motus illos & tumultus naturæ, laborantis, & quaſi in extremis agen-
tis; de quorum numero ſint terræ motus, fremitus maris, coruſcationes
ætheris, ſyderum obſcurationes, & hujusmodi. Nunquam vero mun-
di finem, aut adventum Domini licere prædicere inſtar eclipſis ad mi-
nuta & ſemiminuta. Horam illam, aut diem, aut annum noſſe nemi- 48.

nem: atque eo quo nos vivimus tempore, qui ultra ſeculum in iſtis prædicendis non erraverit, eum probe ſubduxiſſe calculum.

Incendii *cauſas* ubi perſequitur, negat a Solis ad terram appro-
50. pinquatione, vel ab ignis in terræ centro latentis eruptione illud proventurum. Contineri equidem in telluris medio theſaurum ignis perſuaſum habet, eumque validiſſimis clauſtris, & teſta quadam metallica ſeptum undique ac munitum: eodem librari tellurem in æthere non aliter, quam in aqua piſcis ſua aeris veſicula; ruptis autem repagulis ex-
56. tinctum eum iri potius oceani occurſu. *Apparatum* incendii *primum* in montibus ignivomis collocat, & in lacubus ſulphureis ac bituminoſis;
61. qualia in terræ conſpiciantur ſuperficie. *Medium* in his quæ terræ includuntur viſceribus, quo ſulphur, bitumen, naphtham, carbones, auripigmentum, ſuccinum, picem, petreolum relata videas, halitus item igneos atque fumos, & quæcunque thermarum ac calidorum fontium
63. ſeq. cauſæ aut fomenta ſunt. *Tertium* in iis, quæ gignuntur in aëre, quorſum retulit meteora ignea. Putatque Autor adeo, fore, ut theſauri ignis tam in aëre, quam in terra repoſiti recludantur; & apertis montium omnium ignivomorum ſpiraculis, velut abyſſo ignea diſrupta, ex altera parte cœlum intonet & fulguret, ut coëuntibus utrinque flammis terræ miſceri cœlum videatur.

Ad *diſpoſitiones*, quas ſuperventuras rerum naturæ ſub finem mundi conjicit, pluviam cohibitam, inductam ſiccitatem, exhalationum copiam, & frequentes terræ motus revocat, exſudaturum præterea ſenſim ignem centralem, rupes item & ſaxa idem factura. Rebus
p. 69. jam ita diſpoſitis, ad flammam excitandam nihil deeſſe, *niſi ut ignis de* cœlo cadat, tanquam ſcintilla ſuppoſitum in fomitem excuſſa. Sic ta-
71. men ſemper explicandos monet naturalis mundi motus & mutationes, ut ſuis laudibus atque gloria non defraudetur divina ſapientia. Neutram enim opinionem a ſe probari, nec eorum, qui immediate per omnipotentiam divinam mundum, ut loquitur, comburant ſine cauſis naturalibus: nec aliorum, qui his velint ſolis rem conficere ſine ope quacunque divina aut angelica. Conſumtionem oceani explicare cum ag-
75. greditur, ex hactenus aſſerta ſiccitate futurum auguratur, ut fontes & aquarum ſcaturigines areſcant, inde exſiccationem fluviorum ſecuturam. Maria habere inter ſe per ductus ſubterraneos commercium, idque conſtare & Mediterranei maris, quod in utroque extremo, & *ex*

omni

omni latere aquas in ſe ſine ullo manifeſto exitu recipiat,& Caſpii exemplo, aliorum item lacuum, recipientium fluvios, non emittentium: quin ipſa deſcenſus loca ſyrtibus ac vorticibus non obſcure indicari. Infimis in oceani locis reſiduam fore non exiguam aquarum copiam, ad 76.
eum modum quo in vaſis fundo ſolent ſupereſſe fæces; eam tamen igne ſupremo brevi conſumendam; magnæ matris oſſa, rupes videlicet ac 78.
montes conſumtum iri omnium tardiſſime. *Primo* impetu extinctum 79.
iri totum humanum genus, atque omnia hominum opera, & totius terræ habitabilis apparatum, idque rapide & motu celeri. *Alterum* impetum, ſeu incendii conſummationem peractum iri aliquanto tardius, imo l. c. & p. 102.
aliquot annorum ſpatio; duraturum enim aliquamdiu hoc theatrum flammeum mundis circumvicinis (forte & Epicuri intermundiis) in terrorem & ſpectaculum.

Locum quod attinet, ſedem Antichriſti, Babylonem ſepticollem primo perituram, cumque ora maris mediterranei Europæa cavernoſa 86.
maxime & ſulphurea ſit, quod igniti tot reperiantur ibi montes, non male præſumi poſſe putat, eam orbis Chriſtiani partem primas experturam eſſe flammas, niſi divino aliter conſilio viſum fuerit. Quantum p. 94.
denique diſtent inundationes hybernæ a diluvio, tantum omnes, qui præterierint, Ætnæos & Veſuvianos æſtus ab extremis hiſce æſtibus diſtare. Poſtremo, ubi ex hactenus diſcuſſis phænomena quædam & oſtenta, 100. ſeqq.
quæ conflagrationem telluris præcedere aut comitari dicuntur in ſacris literis, explicuiſſet, adventum etiam Chriſti, mundanumque incendium panegyrice & declamatorie deſcribit

Ultimo Theoriæ libro de *Novis Cælis* & *Terra Nova*, ſeu de Mundo renovato & rerum omnium conſummatione agitur. Introductionis 141.
loco oſtendere hic ſatagit, non abolendum in conflagratione mundum, ſed modo renovandum eſſe. Hinc novi ortum ex priſtini reliquiis deducit. Inter *dotes* novi numerat, quod futurus ſit paradiſiacus, for- 151.
mam adepturus integram, lævem, æquabilem ſine montibus, & ſine mari, ſitumve ad Solem rectum & æquilibrem; quod ſolum ſit habiturus fertile, fructus nullo non tempore maturos, quodque propter ſpontaneam ſoli ubertatem ceſſaturus ſit labor agricolæ. *Incolas* terræ novæ non 157. ſeqq.
alios niſi juſtos, ſub auſpiciis Chriſti annos mille regnaturos. Atque adeo modis omnibus tueri hic conatur dogma de *Beato Millennio*, poſt conflagrationem ante reſurrectionem univerſalem adhuc in terris exigendo.

Ejus probandi cauſa provocat ad ſacra ex D. Johanne, Eſaia, &
168. Daniele producta oracula, ad veterem Eccleſiæ fidem,ad Patrum Chri-
180. ſtianorum ſuffragia, nec non ad priſcam Judæorum & Gentium Theo-
logiam ſive literaturam ſacram. Arguit inde, fuiſſe doctrinam illam
175. in primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis catholicam, traditam apoſtolice
orthodoxisque omnibus receptam: obtinuiſſe quoque Tertulliani, Cy-
priani, & Lactantii teſtimonio, in tertio ſeculo, ſed imperioſo Hiero-
nymi ingenio depreſſam: repudiantes hoc genus dogmatis dictos fuiſſe
ab antiquis Allegoriſtas. Concedit interim, idem argumentum eſſe
179. lubricum, in quo tractando difficile ſit, niſi lente & caute, Scriptura ac
ratione duce progrediaris, non labi. Rem itaque ipſam, non modum
rei ab antiquis ait ſe accipere. Sex millennia, queis ſolet duratio mun-
181. ſeq. dana circumſcribi, reſpondere, Pſalmi 90. verſ. 4. & II. Petri c. III. v. 8.
faventibus,ſex diebus creationis, nec non ſex agricolationis annis, quos
שמטה exceperit: nec alio conſilio in fine hebdomatis annalis conſti-
tutum fuiſſe olim Jubilæum. Aliquam deinde millennii ideam ſub-
p. 193. jecturus oculis, ſapientis & boni ait eſſe viri,non ipſa tantum vitia, ſed
vitiorum quoque confinia fugere, cavereque ſibi ab omnibus, quæ vi-
deantur poſſe pietatem lædere, aut morum innocentiam corrumpere.
Ad exprimenda ſanctorum regalia trahit, quæ ſuo Sapienti tribuerunt
Stoici,

Dives, honoratus, liber, rex denique regum.

Perfectionis noſtræ incrementa in millennio expectanda ſic digerit, ut
207. infantilem eſſe cognitionem noſtram in hodierna vita, juvenilem in
proxima,virilem in cœleſti & æterna fore pronunciet. *Vitæ ſiquidem*
æternæ præludium eſſe dictum ſæpius millennium, & quandam quaſi
initiationem atque tyrocinium. Quamvis vero argumentis ex ſacris
hinc inde literis, Patrumque ſcriptis allatis non parum roboris ipſe tri-
225. buat, iis tamen omnibus, & aliis quibuscunque fortiora & eſſe, & fore
ſemper nonnullorum hominum præjudicia fatetur. Damaſo Pontifice,
condemnatos olim a Romana Synodo fuiſſe *Apollinarii* errores, mil-
lennium hoc probantis atque defendentis; verum non alios,quam quos
communes cum Ario, & aliis ille habuerit, Trinitatis, & corporis Chri-
ſti myſterium concernentes: parvi præterea nominatum Concilium
habitum fuiſſe Hieronymo pariter & Auguſtino, quorum alter tolera-
bilem nihilominus ſententiam de Millennio eſſe dixerit: alter, damna-

re cau-

fe eandem ſe non fuiſſe auſum. Aut ſi Millennium Apollinarii ſupponatur damnatum a Concilio, nihil quidem ad ſe id attinere, quod is adornaverit Judaicum, & in eodem præter voluptates craſſiores cultum Moſaicum renovandum eſſe ſtatuerit, teſte Epiphanio; ab iis vero ſuam plane abhorrere theſin, eoq; Millennium a ſe aſſertum ſive Chriſtianum cenſuram illam facile effugere, &c. Tandem quo ſententiæ de renovatione mundi, manente materia, majorem fidem conciliet, præter diverſa nomina, quibus exprimit hæc res in ſacris literis, & Patrum ſcriptis aſſolet, conſenſum Patrum & approbationem urget, adductis eam in rem Baſilii, & Patris, & Imperatoris, utriusque Cyrilli, utriusque Gregorii, Chryſoſtomi, & Epiphanii, nec non Tertulliani, Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, & aliorum locis. 230. ſeqq.

Clauſulæ operis denique *Diſſertatio* quædam *conjecturalis* præmittitur de iis, quæ aſſertum millennium usque ad rerum omnium conſummationem ſint ſecutura. Refertur eo ex cap. XX. Apocalypſeos, *ſolutio Satanæ* ineunte millennio ligati, *bellum Gog & Magog*, *univerſalis reſurrectio*, & *fuga* denique *cœli atque terræ*. Gog & Magog 247. nomina eſſe vult populosque ignotæ originis. Nimirum in terra nova, ſeu in mundo renovato duo ſibi perſuadet fore incolarum genera, di- 224 verſæ admodum indolis & originis. Alios ὀυρανογενεῖς, h. e. cœligenas nominat, Dei filios, ipſiusque virtute a morte ſuſcitatos, qui vere ſint Beati Millennii hæredes; alios γηγενεῖς, h.e. terrigenos, terræ filios, e limo prognatos brutorum inſtar animalium; qui & ventri Veneriq; more hodierno indulgeant, & propagentur alii ab aliis, creſcente indies eorundem numero. Hanc gentem, hunc populum, aut populorum propaginem nomine Gog & Magog deſignari a Prophetis exiſtimat. Atque ab his tandem exundantibus, obſeſſum & impugnatum ſanctos iri ſanctamque Civitatem: Ignem vero delapſum cœlitus extincturum eos & devoraturum. De fuga terræ ſic ſentit: aut reſolutum iri eam in liquidum æthera, aut converſum in fixam ſtellam, ſuadente ignis ſacri in- 250. extinguibilis theſauro, in centro terræ abſcondito. Quem ignem na- 252. tum non aliunde putat, quam ex ſtellæ alicujus fixæ reliquiis. Eam enim obducto maculis ſuo corpore, in planetam degeneraſſe, & retinuiſſe flammam iſtam in corde, ſpem vitæ aliquando redituræ. Jam reciprocam eſſe eam metamorphoſin: &, quemadmodum fixæ maculis corticibusque incruſtatæ extinguantur & evadant planetæ; ita eosdem planetas,

netas, poſt certas periodos, excuſſis maculis, aut quocunque modo ſuperatis vel abſumtis, reviviſcere in fixas, ejusque reviviſcentiæ exemplum nobis præberi in ſtellis novis, in firmamento ex improviſo apparentibus. Ratione non abſimili totum terrarum orbem in corpus ali-
253. quod luminoſum eſſe convertendum, levemque adeo avolaturum ad priſtinas ſedes & cognata ſydera.

Epilogus brevem totius Theoriæ conſpectum, repetitis phænomenis memoratis exhibet, monetque cum tantarum rerum notitiam non niſi conjectando aſſequi hac in vita valeamus, non iniquum videri,
254, ſi quid in veritatem, quam unice velit ſine ullo partium ſtudio aut affe-
261, ctu cultam, peccarit autor, petenti & pœnitenti venia non denegetur.

MARTINI LISTERI, EBORACENSIS, SOCIEtatis Regiæ Sodalis, relatio ad eandem directa de miro quodam & monſtroſo animali e ſtomacho per vomitum ejecto, ac diſcurſus de cauſa & modo productionis talium monſtrorum.

Tranſlata ex Collect. Philoſ. Anglic. Menſ. Mart. 1682. N. 6. p. 164.

TAB. V. Fig. I. VEram & exactam hic communico figuram Vermis cujusdam, quem proxime elapſa ſeptimana vir quidam per vomitum expulit. Eum ipſemet reperi inter ſanguinem una cum eo excretum, poſtquam elui eundem feceram, pro diligentiori ejus examine inſtituendo: dum magna pars iſtius ſanguinis grumi erant membranoſæ cujusdam & carnoſæ ſubſtantiæ, *haud aliter, quam in mulierum molis excernendis accidere ſolet.* De hujus generis ſanguine duarum circiter librarum pondus facta dilutione remanſit, una cum miro hoc animali inter eum hærente; quod ipſum inſpicienti mihi facile in oculos incurrebat, obſcure viridem habens colorem ad inſtar hirudinis, maculisque conſperſum, non ſecus ac harum quoque nonnullæ eſſe ſolent. Equidem, ex quo illud reperi, nullam in eo vitam aut motionem potui advertere. Cæterum tametſi puella, quæ ſanguinem eluerat, incauta tantum non aliquam e pinnis, ut & partem de altera caudæ bifurcæ cuſpide decuſſerat, ventrem quoque ejus disrumpi fecerat; curioſe tamen & regulariter adhuc formatum omnibus ſuis membris apparebat, quemadmodum

TAB. V. ad Supplement. Sect. VI.
pag. 310. ſqq.

Fig. 3.



Fig. 1.



Fig. 2.



modum plene expreſſum eſt opera egregii alicujus artificis, a quo illud ad archetypum delineari curavi, nondum elapſo bihorio, poſtquam oculis meis oblatum fuerat; ne quid forte adderetur, quod non veritati conſonum & naturale eſſet. Licet autem nunc ſpiritus vini, cui illud commiſi, id penitus quoad colorem alteraverit: ſatis tamen adhuc perfectum usque perdurat ad ſatisfaciendum cujuslibet curioſi deſiderio.

Bonus ille Vir, profeſſione piſtor, conjiciebat, ſe per æſtatem nuper elapſam id imbibiſſe una cum aqua e lacu hauſta; quam potare ſolitus fuerat poſt graviores in vocatione ſua labores exantlatos. De eo conſtat, quod circa ſtomachum & latus dextrum exquiſitiſſimum dolorem & tormina ſenſerit, quatuor ad minimum menſium proxime prætérlapſorum ſpatio; quæ & aliquoties horrorem & algorem veluti febrilem ipſi incuſſerunt: ac ſane quando hæc evomebat, maxima, quam uſpiam absque ſecuta morte viderim, ægritudine decumbebat: per ſeceſſum quoque continuis aliquot diebus ſanguinem effudit: nunc tamen ſpero, ipſum revaliturum, quanquam nondum omnino ejus dolores ceſſaverint.

Jam edicere, qualenam hoc animal ſit, vix audeo. Noſtis, quanto hactenus tempore meam quæſierim recreationem in ſcrutanda *Inſectorum* natura: nec utique exiguos hac in re progreſſus feci: nihilominus dubius hæreo, quorſum animal iſthoc referre debeam, cum ſane hactenus nihil unquam viderim in rerum natura, cujus illud ſimilitudinem referat. Quicquid vero tandem ſit, facit certe, ut jam plus fidei adhibeam variis relationibus non abſimilis naturæ, quæ frequentes in *Hiſtoria medica* nobis occurrunt, & pro veris utique traduntur a Viris ſobriis, eruditis atque induſtriis. Tametſi vero ita credam nunc, multum earum pleriſque veri ſubeſſe; vereor nihilominus, parum nimis curæ fere impenſum fuiſſe animalibus his aliter, quam mere ex memoria, deſcribendis, ſive per verba, ſive per picturam id factum fuerit: quod ipſum quidem parum abeſt, quin cunctas illas hiſtorias inutiles reddiderit & ridiculas.

Noſtrum hoc animal quatuor circiter pollices longum erat, ejusque, ubi craſſiſſimum, circumferentia trium pollicum: in utroque latere tres habebat pinnas, easque cunctas non procul a capite ſitas, e quibus ſupremum par omnium exactiſſime ac elegantiſſime figuratum cernebatur, quemadmodum ex delineatione videre eſt: ac ſingulæ quidem

dem hæ pinnæ craſſiuſculæ & carnoſæ erant: at cauda furcata pinnis piſcium vulgaribus æmula ac transparens, patiebatur ſe in latum explicari: poſitum hæc inſuper habebat *horizontalem*, adeoque diverſum a caudis plerorumque, ſi non omnium, piſcium minorum, quin & lacertarum gyrinorumque, ſeu ranarum ſub aliena adhuc forma latentium: ab omnibus, inquam, his differebat hoc animal quoad hancce circumſtantiam, non minus ac pinnarum carnoſitate. Præter mirum hocce animal adhuc alterius cujusdam caput una reperi, differentis figuræ, uti ex pictura apparet, at ipſum quoque coloris ſordide virentis, perinde ac iſtud: neque vero aut corpus hujus deperditum, aut illius tam male tractatum foret, ſi modo ſuſpicari potuiſſem, nos tam inexpectatum quid reperturos eſſe.

Fig. 3.

Sed quid tandem dicemus hoc Monſtrum fuiſſe? Veniam hic mihi expeto mentem meam absque præjudicio exponendi, quam ſubmiſſam ſimul volo meliori judicio Nobiliſſimæ hujus ac eruditæ Societatis. Scilicet in eam inclino ſententiam, (quam quidem a paucis negatum iri confido,) nos ſæpius aut potare aut devorare viventia quæpiam; ac certum eſt, aliqua vitam ſuam conſervare in ſtomacho noſtro poſſe, nil quidquam obſtante concoctione; ne jam in exemplum adducam varia iſta genera lumbricorum inteſtinalium, qui nobis naturales ſunt & nobiſcum generantur atque nutriuntur, forte in quibusdam infantibus ante ipſam eorum nativitatem: hi, inquam, lumbrici libere & pro lubitu hinc inde pererrant inteſtina & ſtomachum, neque ullam ab horum facultate concoctrice noxam perpetiuntur. Et ob hanc rationem videmus aves *inſectivoras* tam ſolicitas eſſe in necandis vermibus & quibuscunque aliis inſectis, iterum iterumque ea per roſtrum ſuum traducentes, haud ſecus ac ſacchari cannæ trans molas torquentur, quo ſic ſatis de ipſorum nece ſecuræ ſint, antequam ea deglutiant: qui inſtinctus a magna ſapientia naturæ incorruptæ profluit. Denique admiranda proſtant exempla animalium in animalibus victitantium, de quo inſectorum genere meæ in *Godartium* notæ videri poterunt. Attamen ſimul in ea ſum opinione, ejus; quod caſu ſic vivum a nobis deglutitum iſtam vim habeat intra nos vitam continuandi (præſertim ſi minori adhuc ætate ac tenerum ſit, ſuaque adhuc incrementa capere debeat) ſpeciem atque formam alioqui deſtinatam hac ratione monſtroſum in modum perverti poſſe, ita ut nobis dein aliud penitus eſſe videatur, quam

quidem

quidem naturaliter & reapſe fit: atque hanc ipſam præſumo cauſam eſſe miri hujusce animalis, cui præſens diſcurſus dicatus eſt: potuitque adeo hic adfuiſſe genitura aut embryo bufonis vel lacertæ.

Sed ratio etiam nobis habenda eſt ſubſtantiæ illius valde carnoſæ, ſeu membraneorum ſanguinis grumorum ſimul cum iſto evomitorum: quam quidem intellectu ſic facile concipi poſſe autumo, ſi ſtatuamus, ova iſta ſeu embryonem bufonis aut ſtellionis haut difficulter veneno ſuo inficere valuiſſe ſtomachum vel inteſtina, in quacunque demum eorum parte aut plica primum deſidere ac hærere cœperint, ibique adeo inflammationi cauſam dare: ita ut dein inflatione ſecuta incluſerint ſemet intra tumorem ab ipſis hoc modo productum, qui ſucceſſu temporis adaugeri ad tantam molem, tandemq; crepans ac in fruſtra diſruptus ſimul ejici potuerit.

Familiaria ſatis & infinita hujus naturæ exempla videmus in fructibus ſecundariis, ſive ſtrumoſis excreſcentiis, quales inſecta variis in vegetabilibus ſuſcitare deprehenduntur: dum ſcilicet per inſtinctum naturalem norunt plantam veneno ſuo afficere, atque per compendium ſic una opera & de pabulo & de habitaculo ſuis proſpicere fœtibus.

PARS EPISTOLAE ad Thomam Gale, S.T.D. Secret. Reg. Soc. *e Carniolia perſcripta a Dn.* Joh. Weichardo Valvaſor, Lib. Barone: *qua continetur Methodus Statuas ex Metallo fundendi: una cum ejusdem invento, pro iſtiusmodi Statuis extraordinaria tenuitate conflandis, ultra quam hactenus cognitum aut in praxi viſum fuit.*

Translata ex Tranſact. Philoſ. Angl. M. Januar. 1687. N. 186. pag. 259.

VObis meam hic methodum Statuas ex metallo fundendi communico, ſatisfacturus juſſui Regiæ Societatis: ea vero ſe modo ſequenti habet. Ante omnia ex meliori luto, quodque ignem patitur, neq; aut inter ſiccandum aut percoquendum rimas agere compertum eſt, efformo talem figuram aut ſtatuam, qualem conflare fert animus. Hæc poſtquam bene ſiccata eſt, ſparſim per totam figuræ ſuperficiem parva excavo foramina, non ita magnæ profunditatis, (ſed, tam hujus, quam amplitudinis intuitu, congrua proportioni magnitudinis ſtatuæ:) qui-

bus aptata immitto exigua fruſtula metalli, pauxillo ejusdem luti firmi-
'AB. V. ter ea foraminulis infigens. Uſus horum metalli fruſtulorum, quæ in
;;. 3. *Fig. 3.* indigitantur per *a, a, a, a, a*, is eſt, ut prohibeant *Nucleum* & *Formulam* a mutuo contactu: ne ſcilicet collabantur erga ſe invicem, dum cera effluit; utque adeo utrumque eorum in eodem fixo poſitu onſtanter remaneat. Hoc facto, convenienti quodam inſtrumento ab-ado tantum de ſuperficie luti, quantum craſſitiei ſtatuæ futuræ tribue-e decrevi: atque tum *nucleum* hunc furno immiſſum percoquo, donec penitus candefiat: (per *nucleum* vero ubivis intelligo ſtatuam ita pri-mum ex luto effictam.) Cum refrixit, eum undiquaque perfrico iſto ge-nere Terræ aut pigmenti, quo Germani noſtri figuli utuntur ad colo-randas juncturas fideliarum, poſtquam *fornaces fictiles* e talibus conſtru-xerunt. Pigmentum illud valde ei ſimile eſt, quod Gallis vocatur *Plomb de mer*, (Plumbago alias,) cujus uſus frequens eſt ad primas picturarum lineas in charta ducendas, a qua dein panis mica facile rurſum abſtergi-tur; non tamen cum eo omnino idem eſt. Hoc, inquam, pigmentum aqua miſceo, eoque totum perlino *nucleum*: dum compertum eſt, Me-tallum ſuper eo liberius fluere. Dantur quidem & aliæ materiæ huic fini inſervientes: attamen ego hac ſemper uſus ſum, maxime pro ſtatuis tenuioribus. Id poſtquam peractum eſt, jam *nucleo* ſuperinduco tan-tum ceræ flavæ, pice aut reſina permixtæ, quantam facere cupio craſſi-tiem ſtatuæ oeccœptæ: quam adeo in ipſa cera, quanta maxime valeo ac-curatione elaboro.

Notandum hic eſt, quod iſtæ metalli particulæ, quas ſupra dixi *nucleo* infigendas eſſe, ad eum in diſtantia aliqua a *modulo* diſtinen-dum, ita debeant eſſe collocatæ, ut parallelæ coincidant exacte cum ſu-perficie ceræ. Ratio autem, quare picem aut reſinam ceræ admiſceam, hæc eſt, quod ex materiæ cum dein exuruntur, validum reddunt fu-mum, qui ipſe adhæreſcens modulo efficit, ut metallum eo liberius ſe diffundat ac diſcurrat, prout ipſemet experientia didici.

Porro hinc inde per ſuperficiem cereæ hujus ſtatuæ diſpono ex-igua ceræ fruſtula, quæ vocare ſoleo canaliculos minores, & in Figura exhibentur ſub *c, c, c, c, c, c*, (quos ſingulos ita adaptari oportet, ut ſe-met inſerant in canales illos majores *d, d, d.*) His peractis, ab omni parte *nucleum* ceramque obduco eodem luti genere, quod ignem pati-tur fiſſurarum expers; atque ſic jam ſtatua concava ſive *Formula* per-

fecta

fecta eſt. Supra hanc dein colloco majores illos canales, ſignatos literis *d, d, d, d,* tam erecto, quam transverſo ſitu, formatos pariter ex cera; ita eos diſponens, prout optimum eſſe judico, ad recipiendas extremitates minorum canaliculorum *c, c, c, c, c,* & commodiorem metalli diſtributionem. Majores hi canales neceſſum eſt ut univerſi concurrant circa verticem ſtatuæ, ſic ut ex unico foramine ſortiantur exitum, prope *e*, ubi poſtmodo metallum infundendum eſt. Præterea etiam oportet ipſam eſſe inſtructam uno alteroque canali ad emittendum aërem, dum metallum in ejus locum ſubintrat, quales indicati ſunt per *f, f:* pariterque opus eſt, ut unum vel duo foramina prope baſin relinquantur, ubi hic *g, g,* ubi canales majores cum ſtatua cerea conjunguntur; per quæ ipſa nempe cum Formula percoquitur, cera ſtatuæ non minus, quam ipſorum canalium effluere valeat. Majoribus canalibus ita diſpoſitis, Formulam denuo totam conveſtiri oportet ejusmodi luto: (ſemper autem ſoleo formulam prius filis ferreis circumligare, atque ſic demum plus luti ſuperinducere;) cumque paratus ita Typus jam probe ſiccatus eſt, tum eum, usque donec candeſcat, igne percoquo: atque ſic, ut antea Nucleum ſolum, ita jam utrumque ſimul tracto.

Prima quidem vice, cum hancce methodum praxi darem, tam Nucleum, quam Typum ſimul & una opera percoquebam, adeo quidem valido igne, ut cuncta iſta metalli fruſtula inde una liquefacta forent, atque ſic, quamvis tum quidem caſu res proſpere ſuccederet, ingens tamen periculum eſſet, ne labor fruſtraneus evaſiſſet: ex eo autem tempore nunquam non ſoleo Nucleum primum perurere, ne tam acri dein igne indigeam, ad percoquendum *modulum*. Attamen pro minoribus & facile tractabilibus ſtatuis, unius puta aut duorum pedum altitudinem haud ſuperantibus, utrumque eorum ſimul percoquere licet: quo caſu etiam non opus eſt foraminibus *g, g,* dum *formula* inverti atque ſic cera mox effluere poteſt per canales *f, f,* & *e*.

Typo ſic excocto, duo iſta foramina *g, g,* luto ſæpius memorato obturo, atque tum illum in ſcrobem defodio, eodem modo procedens, qui uſitatus eſt in conflandis campanis & ſimilibus: cura tamen imprimis habenda, ut metallum per fuſionem probe fluidum reddatur.

Si ſtatua non ita magna ſit, unum nempe duosve pedes haud excedens, cujus adeo modulus manibus unius hominis tractari aptus ſit,

tum concavam mihi ex cera ſtatuam formare ſoleo, ea qua lubitum eſt, craſſitie, atque ſic ſuper hac diſpono omnes illos majores minoresque canales, ut antea indicatum eſt: quo facto totam eam compagem ſimul immitto ſubſtantiæ liquidæ, paratæ ex gypſo & latere coctili in pulverem comminuto, aqua temperatis. Verum cum non dubitem, quin modus hic typos e gypſo fingendi jam Londini affatim cognitus ſit, hinc non opus mihi erit, plura hac de re verba facere.

Cum ſtatuam valde tenuem cupio fieri, tum ſumo cuprum, eique cum per fuſionem jam ſatis fluidum evaſit, admiſceo bonam quantitatem *zincthi*, non tamen obſervata certa ponderis proportione: quo enim plus *zincthi* additur, eo melius fluit metallum; & quandoque pro parvis ac tenuibus ſtatuis plusquam tertiam *zincthi* partem appoſui. Eſt vero *Zincthum* ſubſtantia quædam mineralis, ſimilis *Marcaſitæ* ſeu *Biſmutho*, & Gallis appellatur *du Zinc*; absque qua ſane opus noſtrum ſucceſſu cariturum foret, ſi tenuitas ejus permagna expetatur: etenim per experientiam edoctus ſum, minerale hoc efficere, ut metallum libere fluat; cui præterea elegantem auri colorem conciliat.

Statua tandem ita conflata, modulum amoveo, & ab ea reſeco cunctos iſtos canales minores: omnes quippe illi tam majores, quam minores, tunc metallo oppleti ſunt; quod ipſum adeo adſervari ad futuros uſus poteſt; dum ſane in his multo plus metalli eſt, quam in tota ſtatua. Hæc enim ſi valde tenuis fieri debeat, plures & ampliores oportet eſſe canales: atque ſic quo vilioribus ipſa ſtatua ſumtibus parabilis eſt, eo majus canalium pondus ſit, eoque plus metalli dein reſiduum manet.

Ad cognoſcendam vero quantitatem Metalli ad opus, quod taliter molior, requiſiti, de eadem mixtura e cera & pice confecta, ex qua formulam ſtatuæ futuræ confingo, qualemcunque maſſam adſumo & pondero; ſuper qua dein peculiarem modulum efformo eo fine, ut huic dein infuſa metalli maſſa ejusdem cum illa molis fiat: e cujus ipſius quoque pondere explorato, computo proportionem inter pondus metalli ac ceræ: hac ita cognita, ſi modo poſt obſervem, quot libras ceræ inſumam tam figuræ, quam canalibus formandis, facile calculum ad exiguum usque momentum valeo ſubducere, quantum metalli ad fuſionem mihi opus ſit.

Hic eſt modus, quo in conflandis ſtatuis inſigni tenuitate pollentibus

bus utor, qui etiam nunquam non ex voto mihi ſucceſſit. Hactenus equidem nullam adhuc fundere aggreſſus ſum, quæ ultra novem pedes altitudinis habuerit: neutiquam tamen dubito, quin, eadem obſervata methodo, tales in quacunque magnitudine deſiderata parare valeam. Ac ſane, quamprimum quietiores erimus a malo noſtro vicino *Turca*, animus eſt unica fuſione conflare ſtatuam Imperatoris noſtri Leopoldi I. equo inſidentis, multo grandiorem naturali ſtatura: imo jamjam de ſumptibus ei impendendis tractavi cum Statibus hujus provinciæ; & forte dudum res ad finem perducta foret, niſi bellicis hiſce motibus turbati fuiſſemus &c.

JOHANNIS COCCEII, DOCTORIS AC PROfeſſoris Theologi in Academia Lugdunenſi Batava, Opera omnia Theologica, Exegetica, Didactica, Polemica, Philologica, LXX circiter tractatibus abſoluta, & in tomos IIX diſtributa. Editio Secunda.

Francofurti ad Mœnum, typis & Impenſis Balth. Chriſtoph. Wuſtii, 1689. fol.

QUæ ſpatia curriculaque celeberrimus JOH. COCCEJUS, Bremenſis Gymnaſii primum, ubi A. 1603. natales habuit, Franequeranæ poſtea Academiæ, tandemque Lugdunenſis, ad fatalem usque A. 1669. Profeſſor, in ſacrarum literarum ſtudio confecerit, quamque ingenio cum ſolerti ac acri, tum aliis quoque doctrinis ornato præſtiterit, tot tantaque induſtriæ ac eruditi laboris monumenta; quæ publico dedit, abunde teſtantur. Quæ licet ſuos quandoque perpeſſa manes, notas ac obelos prorſus effugere non potuerint, Hypotheticorumque fato, quorum præcipuas partes ſuſtinent, multorum odio atque invidia laborarint; accurato judicio tamen ac inuſitata in Scripturæ oraculis explicandis ſolertia, morumque ſanctitate, maximis velut illecebris plurium amorem ſtudiaque provocarunt. Itaque tanto paſſim applauſu ſucceſſuque, tam benigne juxta ac comiter, ubi ſuperioribus annis in Batavia junctim prodiere, excepta fuerunt, ut Reformatos, quos vocant, Theologos non tantum, ſed & Noſtrates, quibus Exegetica potiſſimum curæ cordique ſunt, ſummopere adverterint, & ad emendum legen-

legendumque certatim invitarint. Quod cum ſubjiceret animo Typographus *Zunnerus*, illico quasdam faces ac ſtimulos ſenſit, qui accenderent mirifice, & ad novam moliendam editionem viliorem paratioremque inflammarent. Idque tanto impenſius ac vehementius omnino, quo majus defecatum ſummi hodie celebratiſſimique in Electorali noſtra Theologi de COCCEJANIS operibus judicium, cujus in præfatione Typographus meminit, ad capeſſendum hunc impetum, præſidium momentumque attulit. Atque ut nitidiore ac cultiore non modo, ſed & purgatiore emendatioreque quaſi veſte in lucem produceret, Cl. Virorum D. JOH. HENR. MAJI, ac HENRICI MUHLII, Bremenſis, operam in partes advocavit. Quorum ille *Lexicon & Commentarium Sermonis Hebraici & Chaldaici*, jam An. 1689. menſe Sept. p. 449. a nobis recenſitum commendatumque; hic præter alia, quorum non proletariam paſſim curam habuit, *duos titulos Thalmudicos* SANHEDRIN & MACCOTH peculiari opera ac induſtria emendandos pariter ac ſupplendos, Præfatione item Apologetica pro Studio Thalmudico muniendos firmandosque ſuſcepit. Atque hoc ipſum Apologeticon, ex eodem Typographio ſeorſum poſtmodum editum, breviſſimis hic juxta lineis ſtrictim ſummatimque deſignare non pigrabimur.

HENRICI MUHLII, BREMENSIS, APOLOGIA Thalmudica, Viri Celeb. Joh. Cocceji *Sanhedrin & Maccoth, in noviſſima Editione Francofurtenſi ſtudioſe a Se recenſitis, auctis & emendatis, præmiſſa. Jam ad Amicorum rogatus ſeorſum edita.*

Francof. ad Mœnum, typis & impenſis Wuſtianis, 1689. f.

Conſtat plagulis 5.

NIhil æque penſi habuit Autor clariſſimus, quam ut Thalmudicis ſtudiis dignitas ſua utilitasque intemerata conſtet, id temperamenti ſecutus genus, quod medium tenet, nec in laudando culpandove Thalmude limites tranſcendit; cum tot tantisq; exponere odiis caſibusq; quibus ſuperiore ætate, ſummorum etiam Pontificum ferali decreto, acta jactataque Thalmudica fuere, contra jus fasque ac incautum omnino videatur; cæterum promiſcue probare omnia habereque in pretio, aut ambitioſa commendare induſtria, profanæ temeritatis malignitatisque culpam

culpam trahat. Unde notatis plurimorum tam injuſtis, tam immoderatis arbitris, quibus, vel cæca ignorantia, vel vana perſuaſione abrepti in præceps, in ſummam invidiam capitalesque inimicitias *Miſnicos* & *Gemaricos* adduxere, Judæorum vicem dolendam miſerandamque potiſſimum exiſtimat, qui tam ingenioſe in commendando Thalmude ineptiunt, ut divinis legibus non modo par ubique ponant, ſed longe multumque per extremam impietatem etiam anteferant. Id quod ex *Aben Ezra*, *Halichoth Olam*, *Maſſ. Sopherim*, *R. Becbai*, *Lipmanno*, aliisque hujus commatis auctoribus palam ac in aperto ponit. Quibus proinde ſesquipedalia illa elogia ampullatique tituli Thalmudiſtarum, quorum catalogum texit, in uſu ſint, idque fere more Scholaſticorum, quibus ejusmodi cognomina *Angelici* Thomæ Aquinati, *ſubtilis* Joh. Scoto, *Seraphici* Bonaventuræ, *fundatiſſimi*, *reſoluti*, *profundi* aliaque recepta fuerunt. At enim vero fruſtra in hoc ſtadio deſudaſſe Judæos, nihilque prorſus effeciſſe contendit, ut apud ſuos, nedum alienæ Religionis homines, hæc tanta tamque operoſe aſſerta Thalmudis autoritas integra duraret. Quid hic vel ſoli moliti fuerint *Karæi* ex tot ipſorum ſpeciminibus אדרת אליהו *Eliæ Baſckiako*, עץ חיים & מורה אהרון *R. Aharonis ben Joſeph*, שער יהודה *R. Jehudæ ben Eliæzar* aliisque, de quibus, ut & fragmento Karaitico ex Bibliotheca Leidenſi a docto quodam Judæo ſibi communicato, pluribus memorat, in proclivi haberi. Quicquid etiam pro Rabbiniſtarum defenſione contra *Abu Alpharagi* פירוש על התורה ſeu Comm. in Pentateuchum Thalmudiſtis oppoſitum in ſuo ספר הקבלה *R. Abraham ben David Hallevi*, aliis *ben* ראור. *ben* ראור *vel* ראורי dictus laborarit. Ex quo ſua potiſſimum in ſimili materia mutuo deſumſiſſe ſcriptorem libri יוחכין aliosque plures ipſemet profiteatur Autor ספר שלשלת הקבלה *R. Ghedalja ben Jachija*, pro quo *Buxtorfius* in Biblioth. & *Seldenus*, proleg. de ſucceſſ. in bona def. *ben Jechaja*, & mendoſe prorſus *Kircherus*, Oedip. Ægypt. claſſ. II. § 1. de Siclo Ebræorum, *R. Jochai*. Niſi forte alius intelligatur, qui tractatum de monetis, quem *Kircherus* citat, in ſuo שלשלת הקבלה inſeruerit. Sed ejusmodi Kircherianorum παροραμάτων in Orientalibus, Arabicis potiſſimum ac Æthiopicis, quorum ſupinam in lectione, nedum ſana interpretatione, ignorantiam uno alterove exemplo ex prodromo Copto ſeu Ægyptiaco planam facit, largam opimamq; Autor ſegetem pro-

 mittit,

mittit, itidemque alterius cujusdam ſcripti contra librum *Abu Alpharagi*, præter ספר אמונה רמה *a Baal Juchaſin* & *Bartoloccio* ex Vaticanis MStis citatum, ex ipſomet Autore ſupra nominato *R. Abrah. ben David Hallevi* mentionem injicit. Hinc Alcoranum cum Thalmude contendit, & commune utriusque nomen אלפרקאן, communia ſomnia & ſigmenta in locis quamplurimis oſtendit, hosque, qui perſtringendis denudandisque Alcorani fabulis ac nugis, vel Latino Gallicove ſermoni tradendis, jam olim invigilarunt, ſigillatim ac ordine producit, certum perſuaſumque habens, uti Alcorano, ita pluribus aliis fabulandi nugandique Thalmudiſtas anſam præbuiſſe. Eademque opera de famoſiſſimo Scripto *Matzhapha* ſ. Prophetia *Enochi* Æthiopica, de vanis & fictis *Adamicis* monumentis, de intercalatione anni & libro *Razaelis*, de *Sidra Laadam*, de ſcriptis *Salomonis* ספר רפואות item חכמתא רבתא, quo de R. *Moſche bar Nachman* in ביאור על התורה cum Autoris MSto collato, breviter ſtrictimque diſquirit. Scilicet Thalmudiſtarum fere indolem geniumque redolere, iisdemque aſſaniis ac λήροις paſſim adimpleri; ſed iſtum maleferiatorum morem jam inde ab antiquiſſimis ſeculis inolitum obtinere, ut ineptiis ſuis honorem ac dignitatem conciliaturi, ſummorum & Patriarchalium nominum hederam ſuſpendant. Id quod libro יצירה R. *Aquibæ*, cujus אותיות in antiquiſſimo MSto membr. Noſter poſſidet, ſimiliter factum, quem ſub ſpecioſo *Abrahami* Patriarchæ titulo ſcriptores Hebræi publice venditarunt, variisque editionibus ac commentariis ordinate recenſitis varii exornarunt. Eandemque inter Chriſtianos olim fabulam actam fuiſſe, *Adami* revelatione ac genealogia, *Evæ* prophetiis, libro *Abelis* de virtutibus Planetarum, *Chami* ſcriptura necromantica & prophetia, *Abrahæ* Apocalypſi, Teſtamento XII. *Patriarcharum* Jacobi filiorum, aliisque *Moſis* ac *Salomonis* ſuppoſititiis monumentis, Pſeudepigraphis item *Apoſtolicis* οὐδ᾽ ὡς παρέργον confirmat. Inde ad Targumiſtarum fabulas pergit, quidque hi ex putidis Thalmudiſtarum fontibus in ſua pomaria traduxerint, ex *Pſeudo Uzielide* in Legem, autore Targum Hagiographorum, Targum Hieroſolymitano & Targum quinque libellorum copioſius deducit. Poſthæc ad Thalmudiſtarum interiora progreditur, indolemque ac tot fabularum mirifica comminiſcendi conatum penitius ſcrutatur; cui, ſi ſolo ubivis cenſeatur cortice, externo-

que illo ac aſcititio velut habitu, nihil ſani, ſobrii ac perpenſi adjudicat, quod ſi vero altius & in viſceribus ipſis recludatur, ut ſaluberrimum vetuſtiſſimumque tegendæ explicandæve ſub involucris iſtis doctrinæ ſapientiæque ſtudium paſſim commendat. Eoque *Galatini*, *Schickardi*, *Dilherri*, *Maïmonidis* aliorumque ſuffragia arceſſit, ac pro re nata de Veteris ac N. inſtrumenti parabolis, partim ipſi quoque Thalmudi inſertis, figuratoque & allegorico ſenſu, quo jure quave injuria rebus hiſtoricis dogmaticisque adſtruatur, quantumque parabolæ ac fabulæ nomina, quæ *Grotius* confundit, inter ſe diſtent pugnentque, exquirit. Ita ut tandem, penſitatis his omnibus, ſubductisque rationibus, ad mitiorem Thalmudicarum fabularum cenſuram propendeat, quas ipſimet Judæi, ceu optimi ſuorum interpretes, longo ordine numeroque in cenſum vocati ab omni ſequiori expoſitione, paradoxoque ac literali cortice ſumma cura ſtudioque vindicarint: Inconſultos vero gnaviterque imperitos arguat, qui omnia in Thalmude externa literalique ſpecie cum *Bartoloccio*, Biblioth. T. I. p. 531. 2. æſtiment, aut cum *Marquardo de Suſannis*, *Paulo Burgenſi* ſeu *de Sancta Maria*, *Victore a Carbe* aliisque in deteriorem etiam partem dijudicent, imo, quod multo pejus eſt, in pravos ſenſus recte atque honeſte dicta malitioſe interpretentur. In quos ſcopulos *Gerſon*, ejusque plagiarius *Fridericus Wilhelm* L. Sanctæ lector quondam Rintelienſis, *libro*, Greuel der Verwüſtung des Heil. Jeruſalem durch den Jüdiſchen Thalmud, ſæpius impegiſſe dicuntur. Cæterum de Thalmudiſtarum acerbitate, congeſtisq; probris βλασφήμοις in Chriſtum & Chriſtianos, Gyaris ac carcere dignis, quorum ſubinde poſtulantur, cenſurisque Chriſtianorum juxta & Judæorum βιβλιοκριτῶν publicis plura affert, diſputatque contra *Marcum Marinum* & *Pet. Cevalerium*, quo jure titulove, præter *Gemaræ* pericopas alias, tractatum עבודה זרה ex *Baſileenſi* editione totum prorſus eliminarint, cum in notandis Gentilium cultibus ſuperſtitionibusque, quas per ſingula capita demonſtrat, unice occupetur, & Chriſtianæ adeo diſciplinæ pietatique nulli noxæ, nullique fraudi eſſe poſſit. Quicquid etiam recentiores Judæorum extincto veteri Paganiſmo in detorquendis alienandisque ſenſibus præpoſtere pertentarint. Immunem ergo *Miſchnam* univerſi corporis Thalmudici ab iſta contumeliæ labe, immunem quoque ab omni fabularum turpitudine pronunciat, hancque maximam *Miſchnæ*, conſentientibus ſimul Judæis, prærogativam vindi-

cat, ut licet graviſſimis interdum repugnantiis, contradictionibus, Magiſtrorumve circa traditiones ἀγράφυς diſſidiis cum ipſomet Alcorano laboret, longo tamen poſt ſe intervallo *Gemaram Babylonicam* potiſſimum, altera illa *Hieroſolymitana* omnino deteriorem audacioremq; relinquat. Ubi nugarum ſomniorumq; ampliſſimam ſæpe numero meſſem offendit, aliaq; quæ pietati poſſunt detrimento videri. Hæc ipſa tamen tanti momenti ponderisque non æſtimat, quo minus Thalmudicis voluminibus idem cum Ethnicorum Hæreticorumve libris, ni forte ſuperius multo pretium ſtatuamus, ex quibus hactenus in divina & illa ſacratiora ſtudia fructus haud leves redundarint, adeo ut inde in antiquitatibus ritibusque ſacris eruendis, vel ipſismet Scripturis interpretandis, & colligi ſubſidia adjumentaque, & arceſſi præſidia momentaque oporteat. Id quod luculentiſſimis teſtimoniis & exemplis confirmat, documentisque ex Novo Fœdere illuſtrat. Quin ad tuendam *Religionis* veritatem, profligandamve Judæorum perfidiam Thalmudicum pariter uſum fructumque ſuppeditat, non diſſimulatis aliorum conſiliis inſtitutisque, qui pietatis partibus inter hanc gentem promovendis ingenii calamique induſtriam adhibuerunt. His dum ita decurrit ſpatiis, numerum eorum init, qui partim ex Chriſtianis nonnullos Thalmudicos tractatus Latinæ Germanicæque conſuetudini tradiderunt, partim ex Judæorum Magiſtris in explanando enodandoque ſtylo juxta ac ſenſu Thalmudico viam præiverunt, ſimulque ubi ſtrictim paucisq; attigit, ecquam in recenſendo emendandoque *Coccejano* hoc labore operam navarit, quodque in poſterum aut ordiendum aut pertexendum in Rabbinicis ſtudiis ſibi penſum præſcripſerit, in pia vota promiſſaque publica tandem deſinit.

CHEMIA RATIONALIS,
nec non
Praxis Chymiatrica Rationalis, auctore P. T. Med. D.

Lugduni Batav. apud Jacob. Mocquée, An. 1687. in 4.
Conſtat plagulis 45.

STatim ac *Collectanea Chymica Leidenſia*, i. e. *Maetſiana, Marggraviana, le Mortiana &c.* ſub *Morlei* nomine a Typographo *Lugdun. Batav. Anno 1684* invitis Autoribus divulgata eſſent; *Carolus de Maets* Profeſſor Chymiæ celeberrimus *in Prodromo Chymiæ Rationalis* gravi-

gravius in eadem animadvertere cœpit. Quamvis vero proprium fœtum a ſe inpoſterum editum iri ſpem idem fecerit, hactenus tamen non niſi præſens Chymia Rationalis quàm unà cum Praxi Chymiatrica Rationali adjecta ipſum *Mactſium* genuinum autorem agnoſcere nobis conſtat, & alio quidem obſtetricante, lucem adſpexit. Qua quidem in re an bona fide Typographus egerit, inquirere non tam ad nos ſpectat, quam quæ utroque Scripto comprehendantur, brevi perluſtrare obtutu. Ad primum itaq; ſeu Chymiam Rationalem quod attinet, ex proceſſibus illa variis conſarcinata deprehenditur. Scilicet XXIV. omnino capitibus conſtat, quorum pleraque multos ſub ſe articulos complectuntur. Atque hi ſinguli proceſſum exhibent parandi medicamenti, cui & doſis, & vires mox ſubſcriptæ inveniuntur. Capitibus autem fere omnibus notas quaſdam generales præfigit Auctor, ad rerum quæ ſubſequuntur intellectum ſpectantes. Subinde etiam ipſis medicamentorum deſcriptionibus interſerit rationes, cur hoc vel illud ita fiat, atque a particularum figura, ſitu, magnitudine, motu &c. pleroſque effectus deducit. Ut autem ſub generali ſaltem recenſione innoteſcat, de quibus agatur, hic nomina capitum ſubnectemus, delibaturi hinc inde unum vel alterum articulum, ut facilius Lectori de reliquis judicium conſtet. Cap. itaque I. de tincturis & elixiriis ex vegetabilium regno extrahendis ſermo inſtituitur, cui 30. articuli, adeoque tot proceſſus medicamentorum ſubjacent. Cap. II. tradit varias metallorum calcinationes & reductiones in vitriola & crocos, ubi artic. 5. azoth ſolificatum, & artic. 8. methodus eliciendi ſolem ex luna deſcribitur. Caput III. tractat de antimonii calcinatione, ſublimatione &c. ubi artic. 12. habetur modus conficiendi ſtannum, quod argentum colore referat. Cap. IV. de mercurii calcinatione, præcipitatione, ſublimatione &c. loquitur, atque artic. 9. laudanum mercuriale Paracelſi parare docet. Cap. V. in ſalium volatilium ex animalibus educendorum enucleatione verſatur; qua occaſione ſimul modi varii proponuntur conſtruendi ſalia volatilia aromatica, eaque vel uterina, vel cephalica, vel antifebrilia & ſtomachica, uti videre eſt artic. 3. 4. 5. & 6. Hinc cap. VI. ſpiritus acidos ſalis communis, nitri &c. evolvit, & cum ex ſale communi decrepitato terra Helmontio virgo vocata, & ex hac cum primo ente Veneris non edulcorato ac uſneâ lapis Butleri præparetur, utriusque deſcriptionem articulo 8. & 9. ſuffigit. Caput VII. vitriolum, & quæ ex illo petuntur, examinat,

articulo 3. legere licet aquam Spadanam artificialem. Caput VIII. ſalis armoniaci, caput IX. arſenici, & X. ſulphuris præparationes exhibet. Caput XI. tartarum & inde oriundas medicinas ſiſtit, quas inter varias quoque eſt ſal volatile tartari, cujus artic. 5. talis extat compoſitio, eadem cum illa quam Nobiliſſ. *Boyle* Chymiſt. Scept. p. 142. Ed. Genev. exhibuit: Rec. *tartari crudi albi, antimonii crudi, nitri a.* Libr. I. *calcis vivæ* Libr. I½. *Terantur omnia ſeorſim, cribrentur & miſceantur, hujus maſſæ fiat deſtillatio ex retorta terrea tubulata in igne aperto, applicato recipiente ſatis amplo, materiam per cochlearia ingerendo, & tandem reperietur in recipiente liquor aureus, qui per cucurbitam rectificatus abit in ſal volatile.* Caput XII. de oleis, aquis & ſpiritibus ardentibus ex vegetabilium regno extrahendis, & caput XIII. de ſalibus ex vegetabilibus educendis inſcribitur, ubi articulo 2. ſal eſſentiale plantarum elaborandi modus exponitur. Caput XIV. oſtendit methodum generalem præparandi omnia balſama, ac ſtatim articulo I. monſtrat exemplo rutæ, quomodo mediante magiſterio vegetabilis cujusvis (per coctionem in lixivio ex cineribus clavellatis & ſale tartari usque ad coloris nativi extractionem, & hinc per præcipitationem cum aqua aluminoſa parabili) genuinus herbæ color balſamo queat imprimi; quale quid etiam a Zvvelfero in appendice ad animadverſiones pag. 63. edocetur. Caput XV. quomodo reſinæ gialapæ, ſcammonii, agarici &c debeant confici, explanat, ſimulque articulo 2. diagrydium cum decocto glycyrrhizæ ita correctum offertur, ut eo & infantes, & alii, qui medicinam omnem averſantur, falli commode poſſint. Cap. XVI. & quidem articulo unico, acetum mellis & ſacchari inſinuat, ſicut cap. XVII. articulo gemino condiendi modum amara & fragrantia explicat. Cap. XVIII. aſſerit conſervas vulgares h. m. fieri, R *foliorum vel florum quorumcunq; a ſtipitibus & albedine liberatorum optime conciſorum* Libr. I. *Immittantur ollæ terreæ vitreatæ, & reponantur in balneo Mariæ bulliente per quadrantem horæ, donec optime emolleſcant herbæ. Poſtea frigefacta ſimplicia contundantur in mortario lapideo in pulpam, ſub finem addendo ſacchari clarificati libras duas; contundendo miſceantur ſimul, & aſſerventur ad uſum.* Cap. XIX generalis ordo invenitur præparandi ſirupos, rob & mellita; pilulas vero & extracta cap. XX Sic cap. XXI. trochiſcorum, & XXII. unguentorum ac emplaſtrorum rationem complectitur breviſſimis. Hinc cap. XXIII. methodus cadavera condiendi tri-

plex

plex delineatur: 1. cum oleo terebinthinæ lucido, 2. cum ſpiritu ſalis rectificato & alcahol vini puriſſimo, 3. cum ſale communi & alumine. Ultimum caput, ſcilicet XXIV. apparatum ad furnos & extruendi modum novem articulis deſcribit, annexo mox indice tam capitum & articulorum, quam medicamentorum, eorumque doſium.

Quod *Praxin* ſubjunctam concernit, illa XXXII. capitibus abſolvitur. Et quidem XI. prioribus capitibus capitis affectus brevi deſcriptione efformantur, ita ut de apoplexia, paralyſi, epilepſia, vertigine, lethargo, catalepſi, comate utroque, incubo, delirio varii generis & cephalalgia agatur, ſubnexa deinde cap. XII. catarrhorum doctrina, quam arthritis, ophthalmia, cataracta, aurium dolor, odoratus læſus, tuſſis, ſuffocatio, odontalgia, convulſiones, ſcrophulæ, anginæ abſolvunt. Hinc a cap. XIII. ad XXVIII. phthiſis, pleuritis, aſthma, tuſſis ac cordis palpitatio conſiderantur, febresque vel a typo vario, vel a ſymptomatibus characterem recipientes exponuntur. Mox reliquis XII. capitibus potiſſimum eorum, qui in abdomine propullulant affectuum natura inveſtigatur, non neglectis plane corporis habitui accidentibus. Sic de fame vel aucta vel imminuta, ictero, hydrope, renum calculo, gonorrhœa, lue venerea, variolis, chloroſi, menſtruorum fluxu, paſſione hyſterica, ſtranguria, colica, dyſenteria, ſcorbuto &c. ſermo inſtituitur. In univerſum vero ita in tractatione ſe gerit Auctor, ut primo definitionem vel deſcriptionem adducat affectus, ac interdum partem affectam, ſymptomata, cauſas &c. declaret, interdum naturalium functionum rationes interſpergat, & quomodo in ſtatu morboſo ab his deflexio fiat, edoceat. Theoriæ autem ſuæ cum particularum varietati in figura, magnitudine, ſitu &c. tum pororum & tubulorum partium vel obſtructioni, vel compreſſioni aut dilatationi hinc inde ſuperſtructæ praxin quoq; accommodat, & medicamenta in Chemia tradita paſſim aliis immixta applicat, indicatisquandoque illis, quæ opem extemplo allatura credit. Sic in gonorrhœa condito ſequenti multos in principio curari perhibet: R. pulp. caſſ. rec. extr: Unc. 1. Terebinth. Venet. lotæ Unc. 2. ☿ dulc. ſal. prunellæ ocul. cancr. præpar. a. Drach. 1. ſal. volat. ſucciniScrup. 4. ſir. de alth. Fern. q. ſ. ad formam conditi. Hujus capere jubet ægrum bis terve in die ad nucis moſchatæ magnitudinem. In tympanitide pro fotu commendat ſpiritum vini theriacalem camphoratum. Variolas inungi præcipit

oleo

oleo amygdalarum dulcium, vel raparum, vel axungia porcina, vel pinguedine ex omento agnino, vel fovere illas decocto cicerum vel lentum &c. Quo autem ſucceſſu hæc & ſimilia ſuadeantur vel in uſum vocentur, praxin frequentiorem exercentes judicabunt optime. Tandem libri finem triplex excipit index, ſcilicet capitum, remediorum & ſimplicium medicamentorum.

HISTORIA DELLA PERDITA E RIACQUISTO della Spagna occupata da Mori.

i. e.

Bartholomæi de Rogatis Hiſtoria Hiſpaniæ a Mauris occupatæ ac a Chriſtianis recuperatæ.

Venetiis, typis Gueriglianis, 1689. in 12. Septem tomi. Conſtant plagulis 128.

BARTHOLOMÆUS ROGATUS Stabienſis Italus, Societatis Jeſu Philoſophiæ & Theologiæ Lector, Concionator, collegiique in patria Rector, Kalendis Auguſti M.DC.LVI. vita functus eſt, teſte clariſſimo *Henningo a Witte* in Diario biographico. Inciderat is forte fortuna in librum inſcriptum; LA VERDADERA HISTORIA DEL REY D. RODRIGO, i. e. *Hiſtoria vera Regis Roderici, autore Abu'lcacino Tariſſo Abentarico Arabe, Hiſpanice verſa opera & ſtudio Michaelis de Luna Granatenſis.* Antiquus hic ac Roderico ipſi coævus ſcriptor non potuit non *Bartholomæo* noſtro dignus cenſeri, quem ex Hiſpanico in ſuum idioma, plerisque Europæorum eruditis notum, transferret. Sterilitati vero, qua ſtylus Barbari illius laborare videbatur, ſchematum rhetoricorum & ſententiarum ethicarum floſculis hic illic interſperſis medendum eſſe, ratus fuit. Quin & e Chriſtianorum monumentis Abu'lcacini Tariſſi relationes ſupplevit ac interpolavit. Imo nec hac ratione aliquid laude dignum præſtiturum ſe credidit, niſi univerſa *Maurorum Hiſpanienſium* fata ab initio ſeculi Chriſtiani octavi, (quo *Rodericus* ultimus Gothicorum Regum, vitam imperiumque amiſit,) repeteret, recenſeretque ad annum usque MCCCCXCII, quo *Ferdinandus Catholicus* omnes Saracenorum reliquias Hiſpaniarum finibus ejecit. Sed peſte correptus *Bartholomæus Rogatus* quinque modo partes ad umbilicum perduxit, in anno MCCCLXVII. deſinentes,

mentes. Reliquis duabus affectis immortuus eſt. His anno demum M.DC.LXXV *Andreas Sannellius* Jeſuita ultimam manum impoſuit. Tomi *quinque* priores ſuperiori anno recuſi fuerunt. Poſteriores duo non niſi annum 1683. in titulo præferunt. Cæterum in pellegendo hoc opere bonas horas non male collocatum iri arbitramur, cum & ſtylus jucundiſſimus, & accurata rerum geſtarum ſeries, varietasque ſententiarum commode ac appoſite admixtarum, prodeſſe non minus quam oblectare queant. Fabulas tamen non unas de apparitionibus & miraculis Sanctorum, præſertim Jacobi Majoris apoſtoli, in hiſtoriam veram ſubinde irrepſiſſe non negamus, cum nec ipſe Auctor id forſan inficias iverit, nec alia de cauſſa e vetuſtioribus ſcriptoribus operi ſuo illas adjecerit, quam ut ne in religionem Pontificiam, id genus argumentis delectari ſolitam, injurius eſſe voluiſſe videretur.

ÆGIDII FRANCISCI DE GOTTIGNIES, E SOC. Jeſu, Logiſtica Univerſalis, ſive Matheſis Gottigniana.

Neapoli, anno 1687, in fol.
Conſtat plag. 110, iconiſmis 6.

PRodiit hoc opus in complementum eorum, quæ ab hoc *Autore*, Matheſeos in Collegio Romano Romæ Profeſſore, jam inde ab aliquot annis ſparſim edita fuere. Ex quibus *Logiſtica*, ſive *Scientia circa quamlibet quantitatem demonſtrative diſcurrendi*, anno 1675; *Arithmetica introductio ad Logiſticam*, anno 1676; *Idea Logiſticæ ſpeculative & practice declarata*, anno 1677; *Epiſtolæ mathematicæ*, anno 1678; *Clavis Logiſticæ*, anno 1679, Romæ typis vulgata ſunt. Argumentum horum omnium & ſcopus eſt, Lectori peculiarem, nec ab aliis hactenus mathematicis inſtitam methodum pandere, qua theoremata & problemata ad ſtrictam Matheſin ſpectantia, ſub maxima quam admittunt univerſalitate, demonſtrari poſſint & reſolvi; cuique, quod Logiſticæ primo editæ frons pollicetur, mathematicum theorema nullum indemonſtrabile, problema nullum ſit inſolubile. At cum memorata ſcripta non uno laborare defectu *Autor* deprehenderet: Logiſticæ ſuæ methodum ſolidius fundatam, præſenti opere, tribus libris conſtanti, ordinatius proponere conſtituit. Præmittitur operi

Index alphabetarius, terminorum declarationes complexus, & manu quaſi ducens ad ea, quæ pleniorem deinceps Lectori ſuppeditant ſingulorum explicationem. Sunt vero in eo quædam, matheſi hactenus excultæ vel ignota, vel non recepta; de quorum uno alterove poſtea.

Primus Liber eſt practicus, isque, *Autore* ediſſerente, praxeos tum humilioris & executivæ, tum ſublimioris & inventivæ. Illam, quæ computandarum quantitatum variarum rationes, elementarium problematum geometricorum & æquationum reſolutiones tradit, præcedunt doctrinæ de characteribus Logiſticis; de ductibus quinque *Autoris* geometricis, quibus varia quantitatum geneſis explicatur, quodque inter præcipua argumenta operis eſt; definitiones item generum & ſpecierum quantitatis: Hanc veritates, quas *Autor* vocat elementares Logiſticæ, axiomata ſcilicet, theoremata & hypotheſes; & regulæ tres inventionem dirigentes. Harum prima nihil differt ab illis præceptis, quæ apud alios regulam Algebræ conſtituunt: Secunda vero *Autoris* Logiſticæ propria eſt, inſervitque proportioni inter duas quantitates, ex aliquo *Autoris* ductu geometrico genitas, inveniendæ. Tertia analyſin & ſyntheſin complectitur; quarum priorem Veteribus ad poſteriorem viam, ab iisdem tamen ſtudioſe occultatam fuiſſe, cum *Ghetaldo* aliisque, *Autor* pro certo habet. Has regulas earum praxis inſequitur, exemplis ad ſingulas earum accommodatis; adhibitis præcipue, illuſtrando uſui regulæ ſecundæ, theorematibus Euclideis & Archimedeis toto orbe celebratiſſimis, circa quantitates juxta *Autoris* ductus geometricos producibiles occupatis: quorum demonſtratione cum demonſtrationibus *Euclidis* & *Archimedis*, horumque interpretum collata, perſpicuum fore *Autor* arbitratur, quam facile per hanc ſuam regulam expedite currendo eo perveniatur, quo aliorum methodis reptando & intolerabili labore vix pertingere liceat. His exemplis, appendicis loco, regulæ cæteræ in Arithmetica vulgari obviæ, quæ regulæ aureæ ut plurimum propagines ſunt, ſubnectuntur.

Secundo Libro fundamenta demonſtrantur Logiſticæ, eo ordine, quo primo libro propoſita ſunt: quorum illa, quæ hypotheſes conſtituunt, a *Vieta*, aliisque Algebræ doctoribus, ob ſigni — diverſam a Logiſtica ſua ſignificationem (de qua poſtea) rite demonſtrata non eſſe, nec demonſtrari poſſe *Autor* aſſeverat; qui *Indiviſibilium* etiam *methodum*

dum matheſi ſpeculativæ parum prodeſſe, ob deformem atque monſtroſam, quam ſibi fingat, quantitatem continuam exiſtimat. Sub finem libri, in gratiam tyronum Logiſticæ, enumerantur propoſitiones ſex priorum (excepto quarto) elementorum *Euclidis*; indicaturque, ubi in Logiſtica demonſtrata ſint, aut unde ex eadem illarum conſtet veritas.

Tertio Libro, Autor ſolicitus eſt oſtendere, quomodo cum antiqua Matheſi, in Elementis *Euclideis* tradita, cumque Algebra, a *Vieta*, *Carteſio*, aliisque promota, ſua conveniat Logiſtica; aut quid hanc inter & priores illas ſit diſcriminis. In *Euclideis*, præter ipſas propoſitiones earumque ordinem, nihil quod *Euclidis* ſit, agnoſcit; demonſtrationesque ab Interpretibus ex arbitratu uniuscujusque, neglectis antiquioribus, ſubſtitutas fuiſſe, affirmat. Algebram inter maxime utilia Matheſeos inventa eſſe concedit, ſed practica: negat eam ingenii humani limites determinare; cum ars ſit, ejusque adeo merita longe inferiora meritis ſcientiæ: praxes ejus bonas utilesque ſcientiis eſſe mathematicis, ſed huc usque deſtitutas demonſtrationibus. Cæterum, quod nec *Carteſius*, nec alii a ſe impetrare potuerint, ut bonas horas edendis iis, quæ viam ad Algebræ methodum ſternunt, impenderent, præſtitiſſe in Gallia, cum *Autor* Romæ ſuam Logiſticam ſcriberet, autorem (autoresve; incertus enim eſt, uni an pluribus Liber debeatur,) *Elementorum matheſeos*, (Elemens de mathematiques, *quæ Pariſiis anno 1675 prodiere*, Malebranchio *a nonnullis, ab aliis* Preſteto *tributa*; *quod poſterius magis conſonat literis initialibus* I. P. *quibus autoris nomen in calce dedicationis innuitur*; *&* *forte idem eadem auctiora ſub prælo jam eſſe ſignificavit* Tomo XVII Diarii Pariſienſis p. 582.) Hunc autorem, quod opere iſto Algebram a *Carteſio* ſcriptam multum promotam eſſe ipſe profiteatur, poſtremum Algebræ promotorem in ſequentibus ſæpius appellat; & ex eo principia Algebræ apud alios non extantia deſumit, cumque *Euclideis* & Logiſticæ principiis confert.

Algebra porro, *Autoris* judicio, bene definitur ars ſubtractionem univerſaliſans, ſeu additioni æque univerſalem reddens. Et hanc proprietatem eſſe pronunciat, ſoli Algebræ convenientem; cum nec antiqua Matheſis, nec Logiſtica ſua, recipiat quantitates nihilo minores, quarum ope Algebra ſubtractionem univerſalem reddat, quod dictis methodis fieri nequeat. Præter hanc proprietatem nihil magni momenti

Algebræ peculiare arbitratur, compendiariamque ſcriptionem antiquitus ante Algebram in uſu fuiſſe cenſet. Aggreditur deinde axiomata, & pauca alia pronunciata præmemoratorum matheſeos Elementorum p. 2. ſeqq. a num. I. ad XXII. conſignata; eaque examinat; quædam ſuſpecta habet, alia rejicit, præcipue vero quo ſenſu in Logiſtica & antiqua Matheſi admittantur, in Algebra vero intelligantur, definit. Ex iis autem conſtare ſatis opinatur: Algebræ fundamenta ſpeculativa parum conformia eſſe iis, quæ Matheſi Antiquæ & Logiſticæ ſunt communia, & vix ab illa diverſum continere, præter quantitates falſas, ſeu nihilo minores, quibus unice debeat, quod ſaltim practicæ poſſibilis reddatur ſubtractio majoris e minori quantitate: &, has quidem pro praxi plane inutiles aut noxias non eſſe; ſecus vero pro demonſtrationum fundamentis, quorum ratione præcipuam, ſi non omnem, diſſonantiam efficiant, quæ inter Algebram & *Matheſin Antiquam* offenditur. Quod ut tanto rectius intelligatur, nonnulla paradoxa, quæ Matheſis Antiqua & Logiſtica ut vera non admittunt, ex Algebra, ejusque ut plurimum quantitatibus nihilo minoribus, deducta profert, & prolixo diſcurſu ventilat: non ſine acri in Algebram ſpeculativam, (quam ſolidiſſimorum fundamentorum Antiquæ Matheſeos pervertricem, falſitatum promotricem, veritatum inimicam, fraudulentam ſcientiarum mathematicarum adverſariam ſalutare non veretur) inque *Carteſium*, epilogo Geometriæ ſuæ magnas ſibi gratias a poſteris habitum iri conſiſum, ſtrictura.

Circa Antiquam *Euclidis* Matheſin *Autor* ea tantum perſequitur, quæ methodo ejus maxime propria, non quæ a diverſis interpretibus diverſa eidem illata ſunt. Ejus definitiones communi mathematicorum judicio ſcrupuloſe non retinendas, plurimasque ex illis deeſſe ſtatuit; inſtitutoque circa unam alteramve, quæ communi fere conſenſu admittuntur, examine, eam claritatem eas ſaltim non habere concludit, quæ deſiderari poſſit ad matheſin accedentibus. Ex axiomatibus ejus ſeptimum rejicit, & decimum quartum de duabus rectis tantum enunciari reprehendit; cum ad arcus etiam circulorum ſe interſecantes extendi debuerit. Circa demonſtrationes *Euclidearum* propoſitionum Autor decernere dubitat, utrum legitimæ ſint an minus: reprehendit tamen problemata theorematibus permixta, nec aliquid ibidem factum aſſumi, de quo non prius oſtenſum ſit, quomodo

fieri

fieri oporteat: quod adverſetur non tantum mori Scriptorum *Euclidis* ſequacium, altius in rebus mathematicis aſſurgentium, ſed cumprimis celebratiſſimæ in Antiqua Matheſi reſolutioni, quæ præſcribat illud etiam factum ſupponere, de quo quærit quomodo faciendum ſit. Cum porro ex *Euclideis* elementis alia inferenda ſint ſtudioſis Matheſeos: iisdem vel maxime objicit defectum notarum ſeu regularum, inventionem propoſitionum in elementis fundatarum dirigentium; quod moleſta & tædioſa diſcentibus reddiderit iſta elementa: quæ inſuper, cum numerum conſiderent tantum a pluralitate vel paucitate unitatum, neutiquam vero a valore dependentem, inſufficientia judicat pro arithmetica, ſeu ſpeculativa, ſeu practica, in quibus infra unitatem, hoc eſt, ad fractiones numerorum, deſcendendum eſt. Nusquam etiam ab Euclide animadvertit declaratas rationes indifferentes, pro Matheſi maxime utiles, & conſideratione digniſſimas: quales *Autor* ſtatuit inter quantitates diverſo ſigno affectas, quæque *Eidem* inter ſe perpetuo inæquales, indifferentes tamen ſunt, ut earum ratio habeatur pro ratione vel majoris vel minoris inæqualitatis; ex qua indifferentia demonſtrari poſſe putat regulas, quas antiquæ Arithmeticæ addidit Algebra, demonſtrare tamen non valuit, id quod exemplis declarat. Denique & doctrinam de ductibus geometricis ab *Euclide* prætermiſſam notat, a qua cognitio rei per cauſas pendeat, adeoque definitiones haberi poſſint longe præſtantiſſimæ: nec ſatis ab eo declaratum, quid quantitas ſit aut magnitudo, conſtituens objectum illius ſcientiæ, cujus ipſius Elementa ſunt; quod inter alia ex controverſia, mathematicis non infimis agitata, utrum anguli quantitates ſint, pluribus deducit.

Quantum ad Logiſticam ſuam (quam non male Antiquam Matheſin a defectibus expurgatam, brevius propoſitam, melius ordinatam, ſolidius fundatam, altius promotam dici poſſe ſuſtinet) maxime notabilem ejus ab hac diverſitatem *Autor* conſtituit in declaratione terminorum, circa quam pluries Antiqua Matheſis deficiat, etiam in aliquibus definitionibus, quæ paſſim habeantur clariſſimæ. Ordinem etiam Logiſticæ iniri contrarium indicat, cum illa a definitione puncti, ad lineæ, ſuperficiei, corporis, definitiones, hoc eſt, ab obſcurioribus ad minus obſcura, hæc contra procedat. Ut vero a defectu priori Logiſticam immunem præſtet, ante omnia objectum ſpeculativæ matheſeos dextre determinat, & quæ quantitates genere, quæ ſpecie inter

 ſe

ſe differant, explicat. Deinde diverſas numerorum conſiderationes inſtituit, quatenus ſcilicet eorum magnitudo vel dependet a pluralitate aut paucitate unitatum, quæ nominantur; vel valore, quem unitates ejus habent: quatenus eorum alii actuales, potentiales alii ſunt: quatenus enunciantur de rebus genere inter ſe differentibus, quarum valores inter ſe comparari poſſunt, tametſi res ipſæ nullam ad invicem proportionem habeant. Præcipua vero Autoris contemplatio hic eſt circa quantitates diverſo ſigno affectas, quas *compenſantes* aut *contrariantes* vocat, & in poſitivas ac negativas diſtinguit; indeque Logiſticæ ſuæ additionis ſpeciem infert, in omni caſu poſſibilem, ſed æquivalentem ſubtractioni, in qua major numerus ſubtrahendus eſt minori. Has utrasque ſe invicem compenſantes quantitates (ſecus ac Algebra) nihilo facit majores, adeoque reales, nec a ſe differentes, niſi in ordine ad diverſum finem. Ex quo poſitivarum (negativarum) valor illi magnus aut parvus dicitur, in quantum plus vel minus conducit ad finem (oppoſitum illi) ad quem referuntur quantitates poſitivæ: quos diverſos valores ideo comparat cum acceſſu & receſſu reſpectu ejusdem termini, celeritate & tarditate, diligentia & negligentia, creditis & debitis; maxime vero cum meritis bonis & malis. Unde porro conſequitur illa rationis ſpecies, paulo ante memorata, quam indifferentem vocat, quæque ob adverſos terminorum ſuorum valores, quorum unus boni, alter mali meriti ſpeciem habet, nunquam æqualitatis eſſe poteſt. Ductus porro geometricos ſuos in reales & æquivalentes diſtinguit: in illis baſis (quæ perpetuo aut linea aut ſuperficies eſt) in altitudinem, quæ nonniſi linea eſt; in his quælibet quantitas in quamlibet ducitur, propter æqualem valorem, quem habere illæ poſſunt cum binis aliis quantitatibus, reali ductu in ſe ducibilibus. Ex his porro ductibus realibus primum ductui arithmetico, ſeu multiplicationi, æquivalentem facit, idque prolixe probat. Doctrinam proportionum, cum ob difficultatem, quam circa *Euclideam* definitionem rationum æqualium plerique agnovere mathematici, nec ſibi ſatisfaciat, peculiari ratione exponit; rationesque æquales ab illa proprietate, juxta quam productum extremorum producto mediorum æquale eſt, definit. Regulam auream poſtea confert tum ad Logiſticam, tum ad Matheſin Antiquam, eamque in illa multo univerſaliorem eſſe contendit, ob rationes æquales indifferentes, quarum quæſtiones in Antiqua Matheſi ſint inſolubiles, quod exemplis illuſtrat, ab iſtis rebus

pen-

petitis, ad quas valores quantitatum compenſantium comparatos ſupra diximus: oſtendit etiam fundamenta regulæ aureæ ſpeculativa, & ordinem quo invicem ſuccedant, diverſum a reliquorum mathematicorum; in ſpecie modum conſtituendarum æqualium rationum indifferentium, ex quo conſequitur, ut quantitates ſignorum ſimilium producant †, diſſimilium —. Poſtremis duabus conſiderationibus parallelismum linearum & ſuperficierum ex æqualitate angulorum, interni & externi, a recta in parallelas incidente; ſimilitudinem figurarum a relatione ad ductus ſuos geometricos, ex quibus illæ ortum habent, certisque earum conditionibus reſpectu elementorum uniuscujusque ductus, determinat.

M. JOHANNIS SCHEDII COMMENTARIOLUS in Oraculum Johannæum cap. VIII. verſ. XXV.

Wittebergæ, imprimebat M. Henckelius, 1688. in 4.

Conſtat plag. 12.

REverendus autor, *M. Joh. Schedius*, V. D. Miniſter, lucem affundere ſtuduit dicto Johannæo: Ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Σὺ τίς εἶ; καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Τὴν ἀρχὴν ὅτι (vel ὅ, τι) καὶ λαλῶ ὑμῖν. *Sectio* libelli *prior* Φιλολογικὴ inſcribitur, ſingulaque textus verba grammatice expendit. Sigillatim heic obſervatur, voces τὴν ἀρχὴν adverbii in modum crebro accipi, tam apud Græcos profanos, quam ſeptuaginta interpretes, adeo ut notent vel *initio, primum*; vel *omnino, plane, revera*; itemque vocabulum ὅτι aut ὅτι *quia*, aut ὅ, τι *id quod* in codice ſacro, qui antiquitus absque *ſpiritibus*, *tonis* & *ſpatiis diſtinctivis* exarari ſuevit, per *hypodiaſtolen* legi poſſe. Hinc *ſectione altera*, (quæ ἐξηγητικὴ eſt,) variæ verſiones totius textus afferuntur, in quo priora facilia intellectu ac extra dubium vertenda ſunt: *Dixerunt itaque* (Judæi) *ei* (Jeſu:) *Tu quis es? Et dixit illis Jeſus.* Reliqua, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, magnam Criticis fixerunt crucem. Diverſas horum opiniones recenſet Schedius, tandemque duas ex iis ſeligit, quas omnium maxime probari ſibi pronunciat. Altera eſt *Bezæ*, qui comm. in h. l. *primo*, inquit, τὴν ἀρχὴν *conſtruatur cum* λαλῶ: *deinde* ὅ, τι *ſcribatur*, *ut ſit Pronomen, non* ὅτι, *ut ſit Conjunctio*: *tandem repetatur* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *verbum* εἰμὶ, *ut ſit phraſis*: τὴν

ἀρχὴν

ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν, ὅ, τι καὶ εἰμί, id eſt, ab initio dixi vobis, quod ſim. Altera eſt e Patribus Chryſoſtomi, e Theologis modernis Johannis Gerhardi aliorumque innumerorum: *Omnino*, revera, *ſum, quem me eſſe dico*, quemque me modo, *(v. 22. 23. 24)* dixi, nempe filium Dei, mundi ſervatorem, Chriſtum. Et hanc poſteriorem ſententiam longe minoribus difficultatibus, ac priorem, obſeptam eſſe arbitratur Noſter, qui *ſectione tertia πολεμικῇ* Pontificiorum de *obſcuritate* Scripturæ Sacræ querelas refellere ſtuduit. Edidit olim diſſertationem lectu dignam de *Areopago*, & in *vita D. Pauli* deſcribenda totus aliquot abhinc annis occupatur. Opus illud, quo æternitati litare conabitur, tribus partibus abſolvetur, quarum prima PAULUM JUDÆUM, altera PAULUM APOSTOLUM, tertia PAULUM MARTYREM ſiſtet, uti ex ſpecimine nobis transmiſſo compertum habemus.

איוב המשריש

Sive,

LIBRI JOBI ANALYSIS, *adornata cura Joh. Henr. Hottingeri F. LL. Orient. Profeſſoris Tigurini.*

Tiguri, ex chalcographeo Bodmeriano 1689. in 8.

Conſtat plagulis 30½.

MAgnum ac immortaliter de *φιλεβραίοις* meritum Parentem æmulaturus cognominis filius *Joh. Henricus Hottingerus*, opere hoc ad inveſtigandas Ebrææ linguæ radices & acquirendam verborum copiam tyronibus viam præire ſtuduit. Selegit itaque e pandectis biblicis *Jobum*, omnesq; in eo contentas *radices* ac hinc deſcendentia *nomina* ſimplici ſed accurata *analyſi* explicuit, ſubinde etiam cum vocibus ſimilibus in linguis orientalibus æque ac occidentalibus contulit. Præmiſit analyſi ipſum *textum* Ebræum totum cum *verſione* ſua *verbali* Latina; ſubjunxit *indicem* alphabeticum vocum copioſiſſimum, ut & brevem *literarum ſervilium* expoſitionem. Quibuscunque ergo *Leusdenii* compendium biblicum, & *Robertſoni* manipulus linguæ ſanctæ ſeſe approbarunt, illis non poterit non gratiſſima eſſe hæc *Hottingeri* analyſis.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio VII.

A BRIEF ACCOUNT OF SOME TRAVELS IN DIvers parts of Europe, by Edw. Brown, M.D.

ſive

Brevis Relatio aliquot Itinerum per varias Europæ partes factorum ab Eduardo Brown, M.D.

Londini, apud Benjam. Tooke, 1685. in fol.

Conſtat 58 plagulis & 16 figuris æneis.

INter libros in *noviſſima* horum *Supplementorum Sectione* recenſitos agmen ducebant *Opera Thomæ Brownii*, eruditionis variæ ingeniique pleniſſima. Ecce vero nunc iterum Brownius alius commemorandum ſeſe nobis offert prænomine quidem diverſus, cæterum iſti & vitæ genere ac profeſſione geminus, & propinqua ſanguinis neceſſitudine junctus: prout apparet ex *pag. 141.* præſentis ſcripti, ubi Autor narrat, ſe Viennæ a Bibliothecario Lambecio comius habitum fuiſſe, cum ei indicaſſet ſuam cum iſto Brownio cognationem; cujus nempe libello, qui *Religio Medici* inſcribitur, in Latinum non ita pridem tunc translato Imperator Leopoldus haud parum delectatus fuerat. Quid autem hoc in opere, quod præ manibus habemus, contineatur, vel ſola ejus rubrica ſatis indicat, promittens videlicet recenſionem peregrinationum per varias Europæ partes factarum; puta Hungariam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Theſſaliam, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Forum Julii, magnum tractum Germaniæ tam ſuperioris, quam inferioris, Marcam denique Treviſanam & Longobardiam. Cæterum ne quis exiſtimet, librum hunc anno ſupra nominato demum editum eſſe, ſciat, eum nunc ſecunda vice in lucem, licet mutato paulum habitu, prodiiſſe; poſtquam pars ejus jam octennio,

nio,pars decennio ante in publicum emiſſa fuerat. Scilicet uno hic volumine comprehenſa exhibentur,quæ particulatim quondam communicata ſuere: quibus tamen haud ſpernendæ acceſſiones ab Autore adjectæ ſunt.Speciatim additur deſcriptio itineris per Longobardiæ regiones facti, eaque occaſione de magnificentia antiquitatum quarundam Italicarum ample diſcurritur; denique & figurarum æncarum numerus in hac editione non parum auctus comparet,Methodum hoc in libro ſervatam quod attinet, pluſculas ille quaſi ſectiones continet, pro itinerum non uno tempore factorum diverſitate: de quarum ſingulis nunc aliqua delibabimus, in eorum maxime gratiam, quibus aut prior editio nondum viſa fuit, aut ob Anglici idiomatis imperitiam ipſum hocce ſcriptum lectitare non eſt integrum.

Et prima quidem generalem continet deſcriptionem Hungariæ; quam nempe medalli fodinarum potiſſimum inviſendarum cauſa noſter adierat.Eam vero variis extollit nominibus,& pluſculas ei a natura conceſſas dotes commemorat. Sic refert tantam ibi thermarum &
p. 2. mineralium aquarum copiam eſſe,ut prope ſolum oppidum *Trenſchin* ad minimum 32 ejuſmodi largæ ſcaturigines dentur.Speciatim *Danubii* nobilitatem deprædicat, ut qui antequam in Pontum Euxinum illabatur,pluſquam 60 flumina non contemnenda abſorbeat: longius etiam ab oſtio ſuo,quam ullus fere reliquorum fluviorum, ferendis tri-
4. remibus navibusque bellicis aptus ſit.Notat vero Iſtri nomine proprie inferiorem tantum ejus partem venire, incipientem nempe prope Axiopolin in Bulgaria.ubi cataractæ ſunt; vel juxta alios ad Belgra-
6. dum, ubi Savum ſinu ſuo recipit.Inter cæteros Hungariæ amnes *Tibiſcum* ob inſignem fertilitatem laudat,quippe qui vulgato proverbio tantopere piſcibus abundare feratur, ut hi unum, aquæ vero duos ejus trientes conſtituant; id quod ſalium, queis prægnans ſit, multitudini a quibusdam attribui refert.Panem Hungaricum præterea tam præſtantem eſſe perhibet, ut cum aqua quidem victum non ſpernendum præbere,cum vino autem vel epularum inſtar haberi poſſit: tam vili etiam pretio parabilis, ut tantum ibi pro duobus nummis ematur, quantum
7. in Anglia vix pro duodecim. Rei pecuariæ vero abundantiam vel inde judicari debere arguit,quod conſtet, pluſquam 100000 boves quotannis hinc in exteras regiones deportari. Miratur, quam vulgatum,
8. præter vernaculam, Latinæ linguæ uſum his in locis repererit, ipſi etiam

iam plebi militibusque fere communem, cis Belgradum imprimis: in ulteriori enim tractu Sclavonicum ſermonem magis frequentari teſtatur: cujus quidem tantam ait utilitatem eſſe, ut viator eum una cum Germanico callens, absque multa difficultate Hamburgo in Tartariam & Conſtantinopolim usque iter facere queat. Dolet fata Bibliothecæ Budenſis, a rege quondam Matthia Corvino, Hunniadis filio erectæ, rariſſimisque manuſcriptis exornatæ: quæ tamen dein, urbe a Solymanno occupata maximam partem in ditiones Turcicas diſperſa fuerint; niſi quod eorum aliqua dein Viennenſem librorum theſaurum, procurante Cuſpiniano Bibliothecario, auxerint, hodienum armis Corvini gentilitiis, corvo nempe annulum roſtro tenenti, conſpicua. Nec mitiorem tum fortunam ſubiiſſe narrat ſtupendi artificii ſtatuas Herculis, Apollinis ac Dianæ, quæ in atrio palatii Corviniani ſteterant: Conſtantinopolin enim ſecum abductas Solymannus conflandis tormentis bellicis adhibuiſſe fertur. Cæterum Bibliothecæ iſtius reliquias tempore p. 9.
ſuæ præſentiæ adhuc 400 circiter voluminibus conſtitiſſe ait Autor, quæ & ipſæ tamen negligenter admodum habitæ, ac tantum non muribus tineisque expoſitæ; tandemque per incendium anno 1669 ſubſecutum penitus abolitæ fuerint. Porro teſtatur, quantam venerationem Hungari Regiæ Coronæ, quæ Presburgi adſervatur, exhibeant, credentes ab ejus poſſeſſione regni ſui fata dependere: unde etiam ejus ſpectandæ copia non facile cuiquam concedatur. Ejus tamen ectypum, archetypo pretioſiorem Viennæ vidit noſter, cujus etiam formam mi- 9. & 148.
nutim deſcribit.

Proxima, quæ ſequitur, ſectio pertractat iter, Vienna Auſtriæ ad Lariſſam Theſſaliæ civitatem ſuſceptum. In eo inter alia annotavit thermas Budenſes, peculiari qualitate lapidifica pollentes, ita quidem 21. 61.
ut ſola earum exhalatio in tecto ſuperimminente pendulas gignat ſtirias lapideas; porro collegium Studioſorum, Turcis *Metreſeck* dictum, Belgradi a Magno iſtius temporis Veſirio fundatam, cujus alumni habitum viridem *Turbantes*que ſeu galeros quadrangulares diſtinctionis 27.
gratia geſtarint; item miros fluminis *Lyperizæ* anfractus, ob quos merito Mœſiæ Mæander dici mereatur: narrat enim, illud ſibi intra minus 30.
quam 12 horas nonagies ob tortuoſos flexus tranſeundum fuiſſe: qua occaſione meminit fluvii Taro in Italia, quem & ipſum nempe ex ditione Parmenſi ad Forum novum tendens quadragies trajicere opus ha-

 buerat.

p.34. buerat. Ulterius in eo itinere obſervavit montem *Cliſſura*, in Mœſia
ſitum & inſtar argenti reſplendentem, dum nempe totus ex lapide ſpe-
culari ſeu vitro Moſcovitico conſtat: item *Olympum*, proceritate ſua
jam olim famoſum, quem ipſum tamen non paucis Alpium, Carpathi-
orum, ac Pyrenæorum jugis altitudine cedere noſter vel inde colligit,
quod menſe Septembri nullam in eo nivem reſiduam viderit, qua ta-
men iſtorum capita toto anni tempore contecta eſſe ſoleant. Perhibet
35. Sultanum anno 1669, ob fervidam æſtatem per duos menſes in eo de-
giſſe, licet cum damno & interitu plurimorum e ſuo comitatu, quos
nempe ex arduo montis aſcenſu æſtuantes ſubitum circa ejus ſuperiora
frigus obruerat, ac tanto numero exanimaverat, ut alicubi vix ſatis tel-
36. luris adfuerit pro corporibus ſepeliendis. Occaſione amnis Penei, civi-
tatem *Lariſſam* præterlabentis, Autor annotat, quid anſam poëtis de-
derit, Daphnen Penei filiam in laurum transmutatam fingendi: nam
hodienum iſtius fluminis ripam eo arborum genere maxime abunda-
42. re, expertum ſe ſcribit. Cepas iſto in tractu provenientes noſtratibus bis
vel ter magnitudine, neque minus ſaporis bonitate ſuperiores eſſe, nec
ullo moleſto odore nares offendere atteſtatur: Egyptiacas tamen iis
adhuc longe præſtare, a *Chiauſio*, viæ duce, edoctus fuit: unde minus
mirandum putat, quod Iſraëlitas in deſerto tanto earum deſiderio la-
43. boraſſe legamus. Religioni Græcæ addictos Chriſtianos tanta paſſim
in copia iis in tractibus, ut & alibi in peregrinationibus a ſe factis, ſemet
offendiſſe ait, ut *Brerewoodum* non abs re ſtatuiſſe autumet, eos, ſi un-
dique ipſorum computus inſtituatur, Romano-catholicis numero faci-
44. le ſuperiores fore. Baptiſmum apud hos tali ritu peragi narrat, ut Sa-
cerdos poſtquam aquæ, ter immerſa in eam cruce, benedixerit, infan-
tem una manu arreptum ad lumbos usque ſub aquam mittat, alteraque
dein caput ejus ter unda perluat: quam ceremoniam, in antiqua nem-
pe eccleſia jam per aliquot ſecula receptam ominoſæ iſti, ceu vulgo ha-
bita fuit, Conſtantini Copronymi conſpurcationi anſam dediſſe con-
jicit, dum per experientiam conſtet, immerſionem corporis in frigi-
dam ventrem ſolvere. Inter alios iſtius tractus incolarum ritus obſer-
vat, ipſis familiare eſſe, ornatus cauſa ungues manuum foliis plantæ
Cna ſeu *Alcanna*, in pulverem tritis vinoque maceratis, rubro colore
44. imbuere; in tantum ut etiam alicubi chirothecas circa unguium regio-
46. nem ita tingant: Zingaros vero (magna ſcilicet copia in oppidis Hunga-
riæ

riæ, Serviæ, Bulgariæ, Macedoniæ ac Theſſaliæ degentes ac opificia
exercentes, ut qui primam quoque originem circa Walachiam & par-
tes adjacentes habuiſſe credantur,) manus pedesque eo pigmenti gene-
re colorare, non ornamenti ſolum gratia, ſed & quod membra iſta ſic a
frigore magis immunia fieri autument. Notat quoque, Turcis eorum p. 47.
locorum iter facientibus ſolenne eſſe, ſubinde ab equis deſcendere, eo-
rumque jubam frontalem manu prehenſam fortiter vellere, id quod
Pabulum Croaticum vulgo vocitent, multumque ad refocillandas equo-
rum vires facere credant: cæterum ipſos neque calcaribus fere uti, nec
unquam caudam equorum mutilare; fœnum quoque ipſis ad come-
dendum nunquam in ſublimi proponere, ſed in humo, ut quod naturæ
magis congruum videatur. Occaſione ſepulcri, duodecim pedes longi, 50.
in Servia non procul a *Jagodina* viſi, Sanctoque cuidam Turcico vul-
go attributi, Autor monet, fallacem ſæpe conjecturam eſſe, quæ ex ta-
lium tumulorum vaſtitate de defunctorum ſtatura capi ſoleat: idque
confirmat exemplo monumentorum in America Meridionali paſſim
obviorum, tantæ quidem longitudinis, ut ſuſpicionem plerisque adve-
narum fecerint, Gigantes ibi terrarum dari: narrat enim, ſe accepiſſe a
Dno *Wood*, iis in locis peregrinato, quod aperto aliquando tali ſepul-
cro viri cadaver in eo repererit non niſi vulgaris proceritatis, ſed cui
contiguum jacuerit uxoris corpus, ita quidem ut hujus caput inciperet,
ubi illius pedes deſinerent. Cæterum notat, modernam iſtorum tractu- 45.
um faciem mirum in modum ab antiqua diſcrepare, paſſim quoque
mutatis nominibus locorum: in tantum, ut ne flumina quidem, utut
hæc alioqui ſuas appellationes omnium conſtantiſſime conſervare ſo-
leant, eodem quo olim nomine amplius vocentur.

Sequitur porro recenſio itineris ab urbe Gomora ad opida Hun-
gariæ metallaria, indeque Viennam usque facti: ubi inprimis inviſere
ſategit ſeptem illa loca fodinis, auri præſertim celebrata, quæ ſunt
Schemnitz, Chremnitz, Neuſol, Kœnigsberg, Bochantz, Libeten & Tiln. 62.
Varia hoc occaſione annotavit regnum minerale concernentia, e qui-
bus aliqua adduxiſſe haud pigebit. Sic prope opidum *Banca* vidit cre-
tæ fodinam, cujus venæ aliquæ tam grata colorum diverſorum mixtu-
ra luſerunt, ut verſicolorem illam chartam, quam Turcicam vocant, 57.
apprime æmularentur: ibidem thermas offendit, cuprum & argentum
immiſſum momento quaſi denigrantes: quemadmodum alias de ther-

p. 74. mis *Badenſibus* non procul a Vienna diſſitis obſervavit, earum aquam auri quidem injecti colorem intendere, cætera vero metalla intra pauca minuta flavo prius, mox atro colore imbuere: imo unum ex fonti-
62. bus iſtis calidis, *Sauerbad* dictum ſolo vapore, absque ullo contactu, ad pedis & amplius diſtantiam monetam atro colore tingere: cujus tamen aqua cum ſemel refrixerit, non amplius ullum metallis fucum allinat, quamvis in ea coquantur. Narrat pro comperto ſibi a metallariis
58. perhibitum fuiſſe, *Marcaſitæ* modicam quidem admixtionem in argenti minera proficuam haberi, ut quæ eam magis fuſilem reddat: nimiam vero, & in vena ipſa deprædari argentum, & in furno dein ſe-
59. 61. cum per auras abſportare. Schemnicenſibus & Chremnicenſibus fodinis ratione præſtantiæ palmam præ aliis tribuit, earumque ſimiles paucis in orbe locis repertum iri autumat. Dolet ditiſſimam quondam in Hungaria aurifodinam, quæ prope *Glaſs-Hütten*, non procul a
60. Schemnitz quondam extitit, per irruptionem Bethleni Gaboris, accolis in fugam actis intercidiſſe, nec ab eo hactenus tempore ejus aditum reperiri rurſum potuiſſe, utut conſtet, eum ab emigrante proprietario tum ſignatum eſſe poſito lapide, faciem humanam inſculptam habente. Famoſos illos duos fontes ad opidum *Herrngrund*, non procul ab ur-
68. ſq. be Neuſol ſcaturientes, *alt und neu Ziment* vulgo dictos, ferrumque in cuprum per inſitam qualitatem vitriolatam transmutantes, ſolicite examinavit Autor, ac per diverſa tentamina comperit, eos ferrum injectum non incruſtare nude, ut quidem multis creditum eſt, ſed revera transformare in cuprum, vulgari etiam præſtantius, magisque ductile & malleabile: & quamvis, dum ipſa hæc mutatio contingit, obſervetur materia quædam ſeparari & ad fundum ſub forma pulveris cadere; facto tamen examine hanc ipſam quoque non ferrum, ſed merum eſſe cuprum conſtitit. Licet vero harum ſcaturiginum (quibus ſimiles prope *Zolnock* aliisque in locis circa montes Carpathios non ita pridem repertos ait, pluresque cum tempore detectum iri confidit) utilitatem permagnam eſſe, & vel decuplum lucri pro ſimplo ſumtuum reddere arguat: longe tamen majus & vel centuplum lucrum ſperandum eſſe judicat, ſi cui id felicitatis contingeret, ut uſum fontium Vitriolo Lunæ ſaturatorum alterius detegeret ac per experimenta proveheret, modumque commini ſceretur, corpora metallica adæquatam ad energiam & activitatem talium aquarum adaptandi.

Proxi-

Proximo loco ſubſequitur iter ab urbe Vienna factum per Stiriam, Carniolam, Carinthiam & Forum Julii. Hujus occaſione inter cætera annotat Autor circa urbem *S. Viti* in Carinthia, incolas ejus frequentiſſime ſtrumis laborare, majoribus etiam fere ac deformioribus, p. 77.
quam ullibi in Alpinis Sabaudiæ partibus reperiantur; in tantum ut humani quandoque capitis molem adæquent, & ex iis præterea homines multoties cœci, muti aut mente capti fiant: obſervat tamen opulentiores & qui lautius victitent, potuque generoſiore vini aut cereviſiæ utantur, rarius eo malo infeſtari. Mentionem porro facit irrationabilis iſtius moris apud priſcos Carinthiæ incolas, uti fama fert, recepti, 78.
quo ſoliti fuerint, vehementi furti ſuſpicione gravatos absque ulla dilatione ſuſpendere, ac dein triduo poſt inſtituta demum inquiſitione ac certitudine facti explorata, inſontes quidem honeſta ſepultura honorare ac pro eorum animabus amplas facere inferias, ſontium vero cadavera in patibulo relinquere. *Idrienſium* Mercurii fodinarum præſtantiam celebrat, quarum nempe minera fere $\frac{1}{2}$ aut $\frac{2}{3}$ argenti vivi partes contineat: quin imo atteſtatur, Mercurium ibi quandoque ad triduum vel quatriduum ad inſtar fonticuli, craſſitudine mediocris fili, ex terra emicare, quem Virgineum vocitent: licet alioqui ſub eo no- 82.
mine etiam illud hydrargyrum veniat, quod per ſolam lotionem absque igne ſecernitur a ſuis ſcoriis. Munitiones ac regularem ſtructuram *Palmæ Novæ* in Foro Julii ſitæ magnopere laudat: ac ſpeciatim pontes 84.
ejus ductiles eo artificio conſtructos eſſe perhibet, ut vel unicus excubitor, pede modo ferramentum aliquod deprimens, eos attollere valeat. Denique notatu non indignum eſt, quod de opido *Ponteba* ſeu 87.
Ponte fella ad amnem Fella, ditiones Cæſareas Venetasque diſcriminantem, ſito tradit: videlicet vix ullibi terrarum tam manifeſtam & ſubitam inter confinia territoria diſcrepantiam repertum iri, quam quidem hoc in loco. Nam in urbe hac unius quidem fluvii lateris accolas in victu & ædibus omnia Italica, alterius vero cuncta Germanicis moribus congrua oſtendere: imo pontem ipſum, qui utramque ripam conjungat, dimidium ex lapide, ad inſtar Italicorum, exſtructum, dimidium vero ligneis trabibus, quod nempe in Germania frequentius ſit, conſtratum eſſe: ut adeo hic ex una ditione in alteram transeuntibus non poſſit non tam evidens ac repentina mutatio admirationem ciere.

Sectionem hanc excipit deſcriptio itineris anno 1668 ſuſcepti, ac

e portu Angliæ Norwicenſi Coloniam Agrippinam usque habiti: cujus occaſione plurima Hollandicarum urbium ornamenta commemorantur, aliaque notabilia, quæ in iis aut vidit aut audivit Autor, communicantur: nec omiſit interſpergere, in hac pariter, ac reliquis hujus operis partibus, varia ad originem antiquioremve locorum hiſtoriam ſpectantia.
p. 95. Sic de Amſtelodamenſi civitate narrat, quomodo ex parvis initiis ſenſim ad tantam increverit magnitudinem: poſtqaam anno 1470 primum lateritio muro cingi cœperit, quo ejus incolæ ab incurſionibus ferocientium Ultrajecti civium tutiores eſſent; item quomodo poſt a Maximiliano I. id privilegii nacta fuerit, ut inſignia ſua ſu-
101. perimpoſita *corona Imperiali* ornare liceret. Circa Ultrajectum notat, eam civitatem tam commodo in loco ſitam eſſe, ut quinquaginta circum ſe oppida mœniis incluſa habeat, ad quorum quodlibet ad ſummum unius diei itinere Ultrajecto pervenire detur: item, extantem ibi Anglorum Eccleſiam, jam anno 1099 extructam, in medio columnam habere, cujus fundamentum non aliter, quam ſubſtratis bovinis tergoribus, poni valuerit, teſte adpicta tauri effigie cum hoc diſticho: *Accipe poſteritas, quod per tua ſecula narres, Taurinis cutibus fundo ſolidata columna eſt.* Plura hujusmodi allegare ob ſpatii anguſtiam, quæ jamjam cum ad reliqua properandum ſit, nos urget, prohibemnr.

Proxima ſectione pertexitur profectio ab urbe Colonienſi Viennam usque, cujus civitatis, ut & ibi degentis aulæ Cæſareæ dein ſeparata ac prolixior deſcriptio ſubjungitur.
117. Obſervavit in hoc itinere inter alia caſtellum antiquum in medio Rheni prope Bacharach ſitum, in quo olim Palatinos Rheni naſci oportuerit, matribus eorum, cum
118. partui vicinæ eſſent, illuc devectis; item puerum, Rudesheimi in Rhingavia viſum, capillos laneos inſtar Æthiopis, ſed albos habentem;
122. cœnobium Lobensfeldenſe non procul ab Heidelberga diſſitum, Jeſuitis quondam proprium, ſed anno 1661 ab Electore conceſſum certæ cuidam Anglorum ſectæ, qui, ductore *Poolio* quodam Norvicenſi, Chriſtiano-Judæos ſe profeſſi, variosque Veteris Teſtamenti ritus in uſum revocantes, ibi cum familiis ſuis in commune vixerint; porro fluvium
128. *Iltz*, qui prope Paſſaviam in Danubium labitur, margaritarum fera-
125. cem; connubium inter Rhenum ac Danubium ope amnium *Rednitz* & *Altmul* tentatum quondam a Carolo M. ſed dein, canali 30 pedes lato jam per duo milliaria Germanica effoſſo, ob continuos imbres & interveni-

venientes motus bellicos intermiſſum iterum ac neglectum: ſpeciem ſaxi, *Leberſtein* dictam, (in latomiis *Altenburgenſibus*, ad Danubium ſitis, & ſtratificationes non horizontales, ſed ſeptentrionem verſus angulo 40 graduum elevatas habentibus, viſam,) mediæ inter argillam & lapidem naturæ, variasque arborum frondiumque figuras exhibentem: Monachorum Camaldulenſium ordinem omnium ſeveriſſimum, in jugo quodam *des Kalenbergs* degentium, & ad inſtar eremitarum ſolis radicibus ac herbis victitantium. Denique de urbe Viennenſi, uti dictum & aula Cæſarea plurima commemorat: in quibus tamen, cum aliunde conſtent, non eſt, cur nos detineamus. p. 151.

Sequitur itineris Vienna Hamburgum facti deſcriptio, in qua inter alia Dreſdenſis aulæ ſplendorem, Freibergenſiumque argenti fodinarum divitias extollit. Lipſiæ quoque noſtræ honorificam ſatis mentionem facit, ex aliis hic viſis inprimis prædicans Ædis Nicolaitanæ elegantiam, domus *Adlershelmianæ* lautam munditiem & curioſam ſupellectilem; denique ſuburbani cœmeterii amplitudinem: cujus occaſione in memoriam ſibi revocatum ait nobile cœmeterium Piſanum antehac a ſe viſum, ac vulgo *il Campo ſanto* vocatum ex eo, quia olim ejus area contecta fuit tellure, quam ſaburræ loco navibus impoſitam Fridericus Barbaroſſa ex Palæſtina redux ſecum advexerat. 170. ſeq. 172. ſeq.

Proxime ſubjungitur iter anno 1673 ex urbe Colonienſi Londinum usque factum, in quo Autor ſpectavit thermas *Aquisgranenſes*, tanto fervore ebullientes, ut earum aquæ prius per duodecim horas ad tepeſcendum ſeponantur, antequam ad lavandum adhiberi queant: quamvis non omnium ejus loci fontium idem calor ſit. Notat urbem hanc Latinum quidem nomen a *Grano*, Equite quodam Romano accepiſſe, qui circa annum Chriſti 53 has in oras miſſus, calidos ibi fontes detexerit & ad uſum balneorum accommodarit: Gallicam vero appellationem, qua *Aix la Chapelle* ſalutatur, a famoſa quadam ædicula ſeu Capella ortam, intra majorem Baſilicam extante, quæ ob locupletem reliquiarum theſaurum frequentiſſime quondam a religioſis peregrinatoribus viſitata fuerit. Porro vidit Acidulas *Spadenſes*, quarum aquas ob egregiam vim medicam in ipſam usque Hiſpaniam transportari audiuit, ampullis fictilibus incluſas: his vero implendis opportuniſſimum tempus haberi, æſtate quidem calidiſſimum ac aridiſſimum, hyeme vero gelidiſſimum: tali enim tempeſtate virtutem earum inſigni- 187. 181. 186.

p. 189. orem ſe exerere. *Lovanienſem* quoque academiam hac occaſione ſalutavit, quam tanta quondam celebritate gaviſam refert, ut uno eodemque tempore aliquando novem Regum, viginti quatuor Ducum, & novendecim Comitum filii, præter numeroſam Nobilium turbam ibi ſtudiorum cauſa commorati dicantur.

Ultimo loco ſubnectitur deſcriptio itineris Italici, quo Venetiis Genuam iverat Autor: cujus occaſione plurima ad Italiæ urbium hiſtoriam facientia adducuntur. Speciatim vero antiquitates amphitheatrales fuſius perſequitur Autor, dum de *Veronenſi Amphitheatro*, (quod e
206. duodecim, quorum hinc inde reliquias contemplatus fuerat, hodienum maxime integrum & incolume perdurare teſtatur,) agit, quod ipſum etiam curioſe delineare, ejusque partes ſingulas explicatas dare ſategit. Ac certe diutius his immoraremur, niſi jamjam adverteremus, in nimium excreviſſe noſtram recenſionem: quapropter lectoris faſtidium veriti hic ſubſiſtimus, eos qui talibus delectantur & plura diſcupiunt, ad ipſam libri elegantiſſimi evolutionem remittentes.

Cæterum latere Lectorem nolumus, Germanicam etiam hujus libri verſionem extare, *Noribergæ* ſumtibus *Joh. Ziegeri*, *anno 1686 in* 4. impreſſam, & quidem non ad noviſſimæ hujus & auctioris, ſed prioris editionis ductum adornatam: imo ne quidem ex *Anglico* exemplari, quod præſtitiſſet, ſed ipſa rubrica teſte, ex translatione quadam *Belgica* concinnatam. Multis vero nominibus a methodo in autographo adhibita recedit: etenim non modo ipſe Relationum ordo immutatus eſt, ſed & ſingulæ hæ in plura capita diſſecantur: præterea & alicubi lacinias aſſuere placuit, in Autore non extantes, cujus in compenſationem alibi nonnulla ejus verba omiſſa deprehenduntur. Viſum etiam fuit certas quasdam Figuras iis, quas *Brownius* dederat, ſubſtituere, non tam inſtruendi, ut apparet, quam delectandi Lectoris gratia, cum potius ex pictoris ingenio pleræque fluxiſſe, quam ad Autoris ſcopum accommodatæ videantur: ne dicamus, variis etiam ipſius contextus locis non adeo feliciter mentem Autoris expreſſam fuiſſe. Quæ ſingula tamen an Germanico Interpreti imputanda ſint, an vero Belgico potius translatori accepta ferenda, in dubio relinquimus, cum ipſum exemplar Belgicum noſtras ad manus non pervenerit.

VETE-

VETERUM ILLUSTRIUM PHILOSOPHORUM, Poetarum, Rhetorum & Oratorum imagines a Joh. Petro Bellorio expoſitionibus illuſtratæ.

Romæ, apud Jo. Jacobum de Rubeis 1685. in Fol.
Conſtant plagulis 64.

JOannes Petrus *Bellorius*, Romanus, *Chriſtinæ* Reginæ Suecorum bibliothecarius & antiquarius, *Columnarum Trajanæ & Antoninianæ expoſitione*, aliisque inſignibus ingenii monumentis, erudito orbi dudum innotuit. Bina, quæ nuperius paullo edidit, opera nobis nunc commemoranda veniunt. Eorum alterum eſt commentarius in veterum Virorum doctorum imagines, ex nummis, gemmis, hermis, marmoribusque deſumptas. Has maximam partem collegerat *Fulvius Urſinus*. Easdem poſtea *Theodori Gallæi* opera Romæ delineatas atque Antverpiæ æri inciſas, *Urſini* & *Gaſparis Scioppii* notis adjutus, cum literatorum applauſu explicavit *Joannes Faber*, Bambergenſis, Medicinæ Doctor & in Academia Romana Profeſſor publicus. E Fulviana hac collectione, cui multi quoque Heroes, Reges, Duces aliique fama præſtantes viri immixti erant, Bellorius ſolos Literatorum vultus ſelegit, pluribus iconibus poſt Urſini fata ex antiquitatis ruderibus erutis auxit, ac in tres *claſſes* diſtinxit, quarum ſingulas, *Fabri* potiſſimum veſtigia ſecutus, (uti ingenue ipſemet fatetur,) commentariis brevibus, ſed lectu jucundis illuſtravit. Claſſium prima ſiſtit PHILOSOPHOS, *Antiſthenem*, *Apollonium* Thyanæum, *L. Apulejum*, *Archytam* Tarentinum, *Ariſtippum* Cyrenaicum, *Ariſtomachum* Solenſem, *Ariſtotelem*, *Tiberium Claudium Quirinum Alexandrum* Stoicum, *Carneadem*, *Cratippum*, *Chryſippum*, *Democritum*, *Diogenem*, *Euclidem*, *Heraclitum*, *Hippocratem*, *Jubam* Maurorum Regem, *Fl. Cl. Julianum* Imperatorem, *Magonem* Carthaginenſem & *Dionyſium* Uticenſem, *Marcum Aurelium* Imperatorem, *Maximum* Severi filium, (Juliani Auguſti, juxta Fabrum, ſed juxta Bellorium, Marci Aurelii Imperatoris præceptorem, *Numam Pompilium*, *Pittacum*, *Platonem*, *Poſidonium* Apamæenſem, *Pythagoram*, *L. Junium Ruſticum*, *L. Ann. Senecam*, *Solonem*, *Socratem*, *Speuſippum*, *Thaletem*, *Theophraſtum* Ereſium, *Xenocratem*, *Zaleucum*, *Zenonem* Eleatem.

Claſſem ſecundam occupant POETÆ, *Alcæus*, *Anacreon*, *Ara-*

tus, *Ariſtophanes*, *Calliſthenes* Lyſimachi filius, *Eucharis* poëtria ſcenica, *Euripides*, *Heſiodus*, *Homerus*, *Horatius*, *Menander*, *Moſchion*, *Ovidius*, *Perſius*, *Pindarus*, *Poſidippus*, *Pytheus*, *Sappho*, *Sophocles*, *Terentius*, *Theocritus*, *Virgilius*.

Claſſis tertia complectitur RHETORES AC ORATORES, *Æſchinem*, *Ariſtidem* Smyrnæum, *Aſpaſiam* Mileſiam, *C. Jul. Cæſarem*, *Catonem* Majorem, *Ciceronem*, *Demoſthenem*, *M. Mettium Epaphroditum* Grammaticum Græcum, *Herodotum*, *Iſocratem*, *Leodamantem*, *Lyſiam*, *Phocionem*, *Salluſtium*, *Soterichum*, *Titum Livium*, *Thucydidem*.

Coronidis vice exhibentur duæ icones quatuordecim Medicos antiquos repræſentantes, ac e celeberrimo illo *Dioſcoride* Vindobonenſi, a *P. Lambecio* in commentarios ſuos de Bibliotheca Cæſarea relatæ. In priori conſpiciuntur *Chiron*, *Machaon*, *Pamphilus*, *Xenocrates*, *Niger*, *Heraclides*, *Mantias*. In poſteriori *Galenus*, *Cratevas*, *Apollonius*, *Andreas*, *Dioſcorides*, *Nicander*, *Rufus*.

SYMBOLICA DIANÆ EPHESIÆ STATUA A Claudio Menetreio *expoſita. Acceſſere Lucæ* Holſtenii *epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ, & Jo. Petri* Bellorii *notæ in numiſmata Apibus inſignita.*

Romæ, apud Jo. Jacobum de Rubeis 1688, in Fol. plagul. 33.

ALterum hoc opus eſt *Bellorii*, ad quod in præcedenti relatione digitum intendimus, quodq; in hac nova editione duobus *Menetreii* & *Holſtenii* meletematibus ſtipatur, non minori eruditione refertis.

Horum primum inſcribitur: *Symbolica Dianæ Epheſiæ Statua a Claudio Menetrejo, cimeliothecæ Barberinæ præfecto, expoſita.* Ediderat id poſt auctoris fata *Federicus Vbaldinus*, dicaveratque *Franciſco Barberino* Cardinali. Dum vero & *Vbaldini* & *Barberini* mentionem facimus, non ingratum fore auguramur lectoribus hiſtoriæ literariæ ſtudioſis, ſi obiter ac paucis *Franciſcum Barberinum* alium commemoremus, eam præcipue ob cauſſam, quod, qui tot Poetarum centurias, & in his *Maffæum Barberinum*, ſive Urbanum Papam Octavum recenſuit, clariſſimus *Adrianus Bailletus* nullam ejus notitiam habuiſſe videa-

videatur. Natus hic eſt Barberini a. 1264, patriæque maternæ nomine coluit *Florentiam*, ubi & *Judicem* ſive JCtum, & *poetam* ſummo cum ſæculi applauſu egit. Præter opera hodie deperdita, compoſuit poëma morale vernaculum optimi commatis, duodecim partibus diſtinctum, tituloque *Documentorum amoris* ſatis obſcure argumentum ſuum indicans. *Documenti* nimirum voce non Latinorum more id intelligitur, quo aliquid probatur, ſed quo aliquid *docetur*. Barberinus nempe regulis bene multis lectuque non indignis, virtutis, gloriæ æternitatisque *amantem docet*, quid agendum ei fugiendumve ſit. Hunc Viri (a. 1348. mortui) fœtum modo dictus *Ubaldinus* e membranis in publicam lucem protulit, & elegantiſſimis exornatum iconibus Romæ a. 1640. edidit, gratiam *Barberinæ* Gentis, (quæ hoc ſatore ſuo maximopere gaudebat, ac eo tempore ſumma rerum Romanarum potiebatur,) novo hoc officio ac obſequio ſibi conciliaturus. Præfixit elogia *Clementis V. R. P.* Joannis *Bocatii*, Donati *Velluti*, Philippi *Villani* aliorumque illius ævi ſcriptorum, ut & Barberini vitam diligenter enarratam. Subjunxit Gloſſarium utiliſſimum vocum obſoletarum apud vetuſtum hunc vatem obviarum, quæ auctoritatibus poetarum coævorum illuſtrantur. Sed in orbitam & ad *Menetreium* reverti par eſt. Huic materiam ſcribendi ſuppeditarunt *Dianæ Epheſiæ* multimammiæ, ac corporibus omne genus, inanimatis, vegetabilibus, ſenſitivis conſperſæ marmorea ſigna quatuor, Romæ extantia æneisque tabulis ſub initium libri eleganter expreſſa. Eorum materiem, formam ac ſingulas partes ſedulo excuſſit Auctor, & liquido monſtravit, Dianam Epheſiam ſymbolum fuiſſe *Naturæ*, ſuoque ambitu comprehendiſſe omnes Lunæ, Terræ, Iſidis, Opis, Cybeles, Cereris, Veneris, & cujus non Deæ? dotes atque attributa. Deſcribitur dein templum Epheſium Dianæ ſacrum, tum verbis *Philonis Byzantii*, tum numis quatuor a *Bellorio* adjectis, quorum tertio ſuperbum titulum ΜΟΝΩΝ ΑΠΑϹΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *eorum, QUI SOLI EX OMNIBUS QUATER NEOCORI fuerint*, Epheſii ſibi vendicant. Ejusdem *Bellorii* cura ſub calcem adduntur octo iconum Dianæ Epheſiæ a ſupra memoratis diverſarum apographa, quæ varietate ſua non poterunt non antiquarios ſingulari ratione oblectare.

Alterum opuſculum eſt *Lucæ Holſtenii*, *Vaticanæ bibliothecæ olim præfecti*, *epiſtola ad Franciſcum Cardinalem Barberinum*, *de fulcris*

 ſeu

ſeu verubus Dianæ Epheſiæ ſimulacro appoſitis. Meminit illorum *Minutius Felix* in loco, quem editiones univerſæ recentiores corruptiſſimum exhibent. Ita namque in *Ouzeliana*, (quæ omnium correctiſſima creditur,) p. 23. legimus: *Diana interim eſt alte ſuccincta venatrix: Et Epheſia mammis multis & uberibus exſtructa: Et Trivia trinis capitibus, multis manibus horrifica.* At prima *Romana*, ad fidem Vaticani codicis a *Felice Sabæo* Brixiano curata, pro *uberibus* habet *verubus*; Id quod Fulvius *Urſinus*, Deſiderius *Heraldus*, Joannes *Woverius* cæterique *Minutiani* interpretes mendoſum credidere, eo quod *veruum* nomen fortaſſis non niſi de inſtrumentis transfixoriis vel aſſatoriis, quorum uſus in culina eſt, capi poſſe autumarent. Verum Holſtenius auctoritate *gloſſarii* Latini Vaticani, *lapidis* Tiburtini, *Marcelli* medici, ac *Prudentii* Chriſtiani poetæ, evicit, *verua* hæc, quibus *Dianam* ſuam *exſtruebant* Epheſii, *non pila aut veruta eſſe, ſed fulmenta ferrea oblonga, quæ brachiis ſuppoſita totam mammoſi pectoris molem ſuſtinebant. Cum enim antiquiſſimum hoc ſignum, ad Ægyptiorum ſimulacrorum inſtar, pedibus eſſet arcte compreſſis, tantillam baſin ſuperimpoſito corporis ponderi ferundo imparem, adminiculis ſuffulciendam fuiſſe.* Prudentii locus, de ſimulacris templi abs Hadriano Romæ Venerique ſacrati, extat *libro I. contra Symmachum* v. 226. ſeq. ac a. 1687. in uſum Delphini ita excuſus eſt:

Illic Alcides, ſpoliatis Gradibus, hoſpes
Arcadiæ fulvo ære riget: gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celſæ duo Numina Romæ,
Impendent, retinente veru, magnique triumphi
Nuntia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Poſteriora verba Stephanus *Chamillardus*, (nobis ſuperius p. 126. laudatus,) interpretatur: *impendent innixi mucrone & inferunt plumbo ſuffuſo greſſus, ut annuncient inſignem triumphum.* Et in nota *veru* haſtam exponere videtur. Vocibus enim: *Impendent, retinente veru,* explicationis loco ſubjicit: *Haſtati ſemper exhibentur*; hocque aliquot numiſmatibus probare ſatagit. An ad rem, judicent, qui hæc Holſtenii rite expenderint: *Graphice depingit Dioſcuros, currentium geſtu ita effigiatos, ut extra perpendiculum & baſin prominentes, ſpectantibus non ſine horrore ac metu impendere viderentur. Impendent enim, quæ ſupra caput jamjam caſura pendent, ut recte ait Valla. Timor*

mor autem & admiratio apud rude & ſuperſtitioſum vulgus religionis opinionem conciliabat. Eum metum poeta Chriſtianus ridet, cum nullum eſſet ruinæ, aut fugæ periculum; quod veru, hoc eſt, vectis ſive uncus ferreus a tergo infixus eos retineret, pedesque baſibus applumbati moveri non poſſent. Duplex hoc retinaculorum genus, queis numinum ſimulacra velut vinculis conſtricta defigebantur, Arnobius ſimiliter lib. VI. nationibus exprobrat: Si permanendi, *inquit*, neceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, quam ſi eos in baſibus ita unci retinent & plumbeæ vinctiones? *Utrumque etiam conjungit lex II. Digeſt. de ſepulchro violato*: Celſus quærit, ſi neque applumbata fuit ſtatua, neque adfixa, an pars monumenti effecta ſit, an vero maneat in bonis noſtris. Hactenus Holſtenius. Sub finem epiſtolæ viſuntur in tabulis æneis duabus numi XVIII Auguſtorum Auguſtarumque Romanarum, quorum unusquisque Dianam verubus ſuffultam ſiſtit, decimus vero quintus ΦΑΝΕΑC nomen (pro ΦΛ. ΝΕΑC.) legendum offert, adeoque cenſuram clariſſimi *Noriſii* merito incurrit, qua de diximus in Actis Eruditorum a. 1690. p. 435.

Ultimo loco *Bellorius* repoſuit *notas* ſuas *in numiſmata, tum Epheſia, tum aliarum urbium, Apibus inſignita*, numero triginta ſeptem, quibus accedunt aliquot vetuſtæ *gemmæ annulares* Apis emblemate conſpicuæ, imo & *fibula* ærea antiqua, apis in effigiem formata. Hanc excipit *lucerna* inſcripta: ΑΡΤΕΜΙC.ΕΦΕCΙΩΝ.ΕΥΤΥΧΟΥC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.h.e. *Diana Epheſia; Eutychis, Alexandri* filii; *Miletopolitarum*. Lucernæ huic lux accenditur tum ex numo Commodi, in quo ſedet Mercurius cum caduceo & inſcriptione inferiori ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, itemque ſuperiori: ΕΠΙ. CΤ. ΕΥΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. h.e *Sub Stratego Eutyche Alexandri*; tum ex numiſmate Gordiani Pii, in quo Diana Venatrix ſpectatur cum lemmate: ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ; *Sub Marco Trajano Aurelio Herma; Miletopolitarum*. E priori numo colligitur genus vitæ *Eutychis*, e poſteriori ſtudium *Miletopolitanorum* erga *Dianam Epheſiam*. Omnibus hiſce dilucide expoſitis, ſtatua *Deæ Syriæ*, (quoad multiplicem ornamentorum apparatum ac myſticam ſignificationem, *Dianæ Epheſiæ* perſimilis,) in effigie producitur ac prolixo commentario explicatur, ſimulque forma genuina *ſiſtri* ænea figura repræſentatur. Ac ne quid deeſſet, *Bellorius* noſter coronidis

vice

vice e *Pyrrhi Ligorii* ſchedis Italicis MSCtis excerpſit, quicquid antiquarius ille haud vulgaris de Dea Syria adnotaverat.

A COMPLEAT DISCOURSE OF THE NATURE, uſe and right managing of the Baroſcope or Quick-ſilver Weather-Glaſs, by John Smith, C. M.

ſive

Joh. Schmidii, C. M. Diſcurſus completus de natura, uſu ac recta tractatione Baroſcopii ſive Barometri mercurialis.

Londini, apud Joſephum Watts, 1688. in 8.

Conſtat plagulis 7

De mirifico illo inſtrumento, tempeſtatum aeriſque mutationum præuntio, quod *Barometrum* vulgo audit, (cujusque uſum ab Illuſtri *Boylio* Anglicæ Nationi primum communicatum fuiſſe, conſtat,) tractaturus præſentis ſcripti Autor, aliqua præmonet de ejusdem inventore & fundamentis; iis fere gemina, quæ in *Actis hiſce Anni 1688. M. Apr. pag. 174. ſeqq.* latius jamjam a nobis commemorata fuerunt. Cum vero plures hujus inſtrumenti ſpecies a curioſis hactenus excogitatæ fuerint, quemadmodum ibidem videre eſt; Noſter unicam tantum, omnium nempe ſimpliciſſimam & communiſſimam illam perſequi ſtatuit, quæ ex nudo tubulo vitreo, tres circiter pedes longo, Mercurii pleno, & aperta ſui extremitate ſtagnantem intra Mercurium immerſo, conſiſtit. Tametſi enim ultro agnoſcat, machinas ab aliis adinventas, ſpeciatim barometrum *Sam. Morlandi*, inclinatum habens verticem, ac orbiculatum illud, ab ingenioſiſſimo *Hookio* in ſua *Micrographia* deſcriptum, minutiores aeris variationes prodere: nihilominus cum exiguas ejusmodi alterationes raro mutationes tempeſtatis notabiles inſequi ſoleant, adeoque illa plus fere curioſitatis, quam uſus habeant; præterea Morlandianum quidem iſtud hoc incommodi habeat, quod vix ullam admittat figuram regularem, Hookianum vero nimios requirat ſumtus: hinc ſimplex illud Boylianum, uſui accommodatiſſimum & maxime parabile, ad prægnoſcendas cœli viciſſitudines abunde ſufficere poſſe autumat, eique proinde ſoli pertra-

pertractando ſemet impendit. Quatuor vero capitibus diſcurſus hic abſolvitur: In *primo* agitur de ſingulis Baroſcopii hujus partibus præparandis, juſtaque dimenſione in iisdem ſervanda: in *ſecundo* de debita ejus conſtruendi tractatione & variis compendiis ad accuratiorem ipſius fabricam & erectionem ſcitu neceſſariis; in *tertio* de inſtrumenti uſu, ac regulis, ſecundum quas de futuro tempeſtatis ſtatu ex eo judicium ferre oporteat; & in *quarto* denique variis barometri motionibus, quatenus ab imminente cœli alteratione dependent, probabiles adſignantur rationes. Cum autem priorum quidem duorum capitum argumentum jam paſſim fere notum ſit; & ſi quæ inſuper communicantur compendia, commodius ex ipſo hoc libello, ſatis per ſe brevi, valeant cognoſci; tertii vero contenta in quarto maxima ex parte repetantur: hinc circa poſtremum hocce caput noſtra potiſſimum occupabitur relatio: quandoquidem enim de plerumque hujus inſtrumenti operationum cauſis non una omnium hactenus opinio fuit: non ingratum forſitan erit, explicuiſſe quænam Autoris noſtri hac de re ſententia ſit. Ac primo quidem paucis præmittit generalem rationem ſuſpenſionis Mercurii in barometro: quæ ſcilicet, ut apud omnes nunc in confeſſo eſt, non in alio conſiſtit, quam gravitate aeris, indeque ſequenti atmoſphæræ preſſione, ſtagnantem in ſubjecto vaſculo mercurium urgente; id quod vel maxime evincitur experimento illo, quo compertum eſt multoties, hydrargyrum in tra tabulam baroſcopii longe depreſſius obſervari in vertice montis cujuſpiam altioris, quam circa ejus radicem: cujus nempe phænomeni non alia cauſa eſt, quam imminuta atmoſphæræ preſſio, dum ſcilicet in locis elatioribus non tam alta aëris columna imminet ſtagnanti mercurio eumque intra tubulum elevat, quam in humilioribus. Porro rationem reddit, quare aer in Anglia & vicinis Europæ tractibus aliquando tenuior & levior, teſte barometro, aliquando vero ſpiſſior atque gravior ſentiatur? quam ipſam nempe cum *Edm. Hallejo* præcipue quærendam autumat in ventis illis contrariis, frequentiſſime per oras haſce ſeptentrionales vigentibus. Scilicet ſi duo ejusmodi venti inter ſe contrarii ſpirent verſus eum locum, ubi ſtat barometrum, aërem per eos ſic accumulatum non poſſe non & altitudine & pondere augeri, atque ſic aptum reddi ad ſupportandam hydrargyri barometrici columnam ſolito altiorem: Sic v. g. ſi eodem tempore zephyrus in Hibernia, eurus in Belgio regnet, fieri non

non poſſe, quin aere ſic in cumulum aggeſto ſuper Angliam, Mercurius ibi ad majorem altitudinem in baroſcopio attollatur. Viciſſim vero ſi ab eodem loco flantes duo contrarii venti extant, exhauſtum veluti aerem neceſſario tenuiorem ac leviorem reddi, atque ita majorem hydrargyro, deſcendendi intra tubulum barometri, libertatem concedere: unde v. g. borea in regno Galliæ, auſtro in Scotia ſimul ſpirantibus, Anglicam atmoſphæræ regionem non poſſe non notabiliter allevari. His tanquam generalioribus præmonitis, Autor ad explicanda inſtrumenti hujus præſagia per longam experientiam hactenus comprobata progreditur. Sic rationem ejus, quod regulariter Mercurii deſcenſum ſequatur humida & pluvioſa tempeſtas, aſcenſum vero ſerenitas, declarat per vulgatum illud experimentum, in parando mulſo paſſim adhibere ſolitum, ad juſtam mellis affundendi quantitatem explorandam: ubi ovum recens, quod aquæ puræ injectum mox ad fundum demergitur, admixto melle adeoque ſpecifica liquoris gravitate adaucta, ſupernatat ac magis magisque ultra ſuperficiem ejus attollitur. Cum videlicet cunctis corporibus ſolenne ſit, natare in medio, quod ipſis gravitate ſpecifica prævalet, in leviori vero demergi; facile colligitur, aërem, dum tenuior ac levior fit, ineptum reddi ad ſupportandos illos vapores, qui antea in ipſo ſuſpenſi hæſerant, quique adeo, cum jam graviores ſint, quam ut in Medio ipſis leviori amplius natare queant, coguntur deſcendere, donec particulæ eorum aquoſæ inter delabendum aliis ſui ſimilibus aſſociatæ, tandem in ſtillas pluviales degenerent: e diverſo, cum ſpecifica aeris craſſeſcentis gravitas augetur iterum, vapores dicto modo alias delapſuri, nunc facilius ei innatant ac ſuſtinentur, ut proinde ceſſante pluvia ſerenitas ſequatur. Cum vero regula hæc ingentem a ventorum, quovis tempore flantium, viciſſitudine exceptionem patiatur, dum compertum eſt, deſcendente licet Mercurio ſæpius ſerenitatem nihiloſecius intemeratam durare, ſi eurus vel boreas, uterque nempe ſiccitatis autor, tum ſpiret; & viciſſim flante auſtro, nimborum artifice, pluviam ſequi, ut maxime Mercurio altam ſatis ſtationem obtinente: ſedulo monet Autor, ut omni tempore ſimul ad ventum attendamus, ne alioquin in barometri prædictionibus nimium fallamur. Rationem vero hujus ipſius phænomeni deducit a diverſa natura vaporum, ab hoc aut illo vento advehi ſolitorum. Scilicet cum aquoſæ horum particulæ tanto grandiores eſſe ſoleant, quo intenſior calor ſit, a

quo

quo aquam in eos rarefieri contigat; ait, vapores a plagis auſtralioribus, tanquam majori æſtu calentibus, appellentes craſſioribus aquæ particulis plerumque gravidos eſſe, quam ut per atmoſphæræ gravitatem, adauctam licet, ſuſpenſos ſeſe teneri patiantur: contra vero vapores in climate frigidiori enatos, ac a ventis borealibus vel ex oriente ſpirantibus verſus noſtras oras advolutos, ſubtilioris atque levioris naturæ eſſe, & conſequenter, aeris pondere licet notabiliter imminuto, nondum tamen delabendi facultatem nanciſci, cum hic ipſe attenuatus aer etiamnum gravitatem ipſorum particulis innatantibus majorem tueatur. Cæterum quod his in terris euro vel euroborea flante mercurius fere altiſſimus obſervari ſoleat, inde venire ſtatuit, quod in Oceano Atlantico cis 35. gradum latitudinis ſeptentrionalis jugiter ferme auſter vel zephyronotus ſpirare deprehendatur: unde fiat, quod ſubſolanus vel euroboreas hac appellantes, dum ita continuo adverſum ſibi offendat flatum, aerem admodum ſuper his noſtris oris accumulent, ejusque ſic adaucta gravitate Mercurium in barometro attollant. Ex eodem fonte arceſſit rationem, cur intenſo frigore vigente hydrargyri ſtatio plerumque alta ſit, quandoquidem eo tempore venti plurimum ex oriente vel ſeptentrione ſpirant: cui accedere ait, quod aere per frigus condenſato & in arctius ſpatium contracto, continuo alius ex aliis plagis affluat aer, ad occupandum iſtius coarctati ſpatium, & ſupplendam atmoſphæræ conſuetam altitudinem, qui & ipſe pari modo vi frigoris condenſatus non poſſit non ſtagnantem mercurium barometri multum gravare. Non abſimilem ſubeſſe rationem ſtatuit, cur gelida tali tempeſtate durante alteque ſuſpenſo mercurio, ſi contingat, hunc ſubito adhuc altius ſcandere, nivis id mox ſecuturæ præſagium eſſe ſoleat: putat nempe, nivem, dum in nubibus formetur, per inſitam ſibi extremam frigiditatem potentius adhuc aerem condenſare, ac intenſiſſimum alias gelu per ſe ſoleat, ut adeo, per modo dicta, atmoſphæræ hunc tractum adhuc craſſiorem ac ponderoſiorem fieri oporteat. Porro cum obſervatum fuerit, tempore procelloſo mercurium quam maxime depreſſum eſſe, (quamvis id raro citius accidat, quam cum ventus jam actu furit, ſicut & ceſſante procella hydrargyrum mox iterum attollitur,) cauſam ejus in eo quærendam vult Noſter, partim, quod validæ iſtæ procellæ tanta cum violentia exturbent aerem in iis locis ſtagnantem, ut aër adjacens non ita celeriter ſuccedere queat

ad ſupplendum vacuum a tam valido venti flumine inductum; partim etiam quod motio venti horizontalis ita fortis ſit, ut multum demere queat perpendiculari aëris, mercurio incumbentis, preſſioni. Denique quoniam experientia docet, rarius pluviam cadere, dum ventus ſævit, mercurio licet ad extremam profunditatem delapſo, (quod tamen alias imminentis pluviæ certiſſimum ſignum eſt,) Autor rationem hanc ſubeſſe arguit, quod, licet aeris levitas tunc tanta ſit, ut per ſe non ſufficeret vel tenuiſſimis vaporibus intra ſe ſuſpendendis; attamen horum delapſus a continua atmoſphæræ agitatione impediatur: perinde ac limus ac arena intra vas aqua plenum ſubſidere nequit, quamdiu hoc fortiter agitatur: unde non mirum eſt, ſi ſopito dein vento, pluvia utplurimum immediate ſequi ſolet: cauſa nempe jam ceſſante, quæ ejus delapſum antea impediverat.

GEORGII OTHONIS DE SANCTISSIMO DEI NOmine tetragrammato יהוה *diſſertationes academicæ quinque.*

Marpurgi Cattorum, typis Joh. Henr. Stockenii, 1685. in 4. Conſtat plagulis 9.

GEorgius Otho, Græcæ & Orientalium linguarum in academia Marpurgenſi Profeſſor ordinarius, cum in quintuplici hac diſſertatione, poſt alios demonſtraſſet, nomen יהוה (dum aut יְהוָה aut יֱהֹוִה punctatur,) alienis punctis, a vocibus אֲדֹנָי & אֱלֹהִים commodatis, in bibliorum Ebræorum codicibus modernis inſtrui, quæſtionem aggreditur, *quæ genuina τετραγραμμάτȣ ſint vocalia puncta?* Reſpondet, יָהְוֶה legendum eſſe; ſibique hoc nomine in opuſculi frontiſpicio gratulatur, quod *puncta tot ſeculis a Judæis ignorata ac a Chriſtianis fruſtra quæſita, nunc tandem analyſeos beneficio apodictice demonſtrarit.* Cum enim ex *Jod* initiali pateat, יהו־־ eſſe nomen verbale ex *Futuro*, (& quidem *Kal*,) derivatum, reliquæ etiam literæ *He Vau He* radicem הָוָה (apud ipſos Hebræos *Gen. XXVII. 29. Eccl. II. 22.* uſu receptam) huic quoque nomini originem dediſſe arguant, concludit *Otho*, (niſi anomalon, non analogon eſſe nomen præter neceſſitatem fingas,) יָהֱוֶה illud punctandum fore. Nam, licet ipſa Futuri norma ſit יֶהֱוֶה, obſervat tamen Auctor, quod, quando Futurum *Kal*

verbi

verbi *Lamed He* in Nomen proprium abeat, *Segol* finale ſemper mutetur in *Kametz*; id quod probat nominibus יִמְנָה *Num. XXVI. 44.* יִשְׁוָה *Gen. XLVI, 17.* יִתְמָה *1. Par. XI. 46.* Conciliat etiam cum IEHEVA ſuo varias illas pronunciationes nominis τετραγραμμάτȣ apud Veteres reperiundas: Ἰαβαὶ, Ἰαβὲ, Ἰευὼ, Ἰαὼ, Ἰαὼθ, Ἰαοῦ, Ἰαῦ. Singulas demonſtrationes, cum vindiciis neceſſariis a variis objectionibus, excerpere nimis longum foret. Nos non dubitamus, vel paucula hæc φιλεβραίοις ſalivam motura, ut Auctoris mentem ex ipſomet percipere deſideraturi ſint. Speciminis loco tamen exſcribimus *diſſertationis IV. §. 22,* quo probatur, יהוה non ad *Hiphil* aliamve Verborum claſſem, ſed præciſe ad *Kal* pertinere: *Jam quidem* (inquit) *ad conjugationem* Hithpahel, *Rabbinis cæteroquin uſitatam, aut paſſivarum aliquam*, Niphal *ſcilicet,* Pyhal, *aut* Hophal, *nemo fortaſſis reduxerit: ſiquidem priori Conjugationi ipſæ nominis literæ, poſterioribus vero ſignificatio e diametro repugnat, Quia vero etiam* (1.) *ex* Pihel *&* Hiphil, *præterquam quod inuſitatæ ſunt in hoc verbo, in univerſum nulla, vel pauciſſima ſaltem, bujus formæ nomina extant*; (2) *ipſe DEus, in aſſignanda bujus ſui nominis etymologia,* Futuro Kal *utitur:* אהיה אשר אהיה ERO QUI ERO, Exod. III. 14. *nec denique* (3) *ulla veterum punctationum forma ad has conjugationes neceſſario referenda eſt, ut infra patebit, ſola conjugatio* Kal *relinquitur, ad quam ſanctum boc DEi nomen ſupra recte reduximus.* Cæterum cum clariſſimus Auctor ante ſe neminem de τετραγραμμάτῳ per *Segol*, *Catephſegol* & *Kamez* punctando cogitaſſe opinetur, gratiſſimum ei fore putamus, ſi locum *Cornelii a Lapide* comm. ad Exod. VI. Qu. II. f. 380. indicemus, ubi his verbis perorat: *Hinc ſequitur, potius dicendum eſſe* Jeheva, *quam* Jeheve: *Sic enim Nomen diſtingui ſolet a Futuro Verbi per punctum Kamez.* Edidit idem Auctor a. 1688. diſſertationem *de gemina Accentuatione ſacræ ſcripturæ Hebrææ, præſertim Decalogi*, oppoſitam *Samueli Bohlio, Matthiæ Woſmutbo* atque *Auguſto Pfeiffero*, quorum ultimus ſolus ſuperſtes eſt, ac ante annuum temporis ſpatium ex hac Alma in diœceſin Lubecenſem evocatus non minori ſtudio de ea meretur, ac olim de Lipſia noſtra. Si commodum ipſi viſum fuerit, reponet fortaſſis quædam Antagoniſtæ ratiociniis. Nobis, qui hiſtoricos tantum agimus, non aliud licebit, quam ut bona fide ſententiæ Othonianæ ſummam ac fundamenta indicemus, quod & propediem facere non negligemus.

MARCI EREMITÆ, DE IIS, QUI PUTANT, SE ex operibus juſtificari, capitula. Recudi fecit Samuel Schelguigius D.

Gedani, ſumptibus David. Friderici Rhetii 1688. in 4to. plagul. 8.

MArcus Eremita, ſeculo V. florens, maxime reverendo Schelguigio multis nominibus devinctus eſt. Nam non tantum *ſancti & perantiqui ſcriptoris* elogio in opuſculi frontiſpicio hic eum mactavit, ac tanquam *teſtem veritatis Evangelicæ* in articulo de juſtificatione gratuita peccatoris coram DEO paſſim laudavit, ſed & præcipuos ejus locos dictis biblicis illuſtravit ac comprobavit, nævos a Centuriatoribus Magdeburgenſibus ei attributos, commoda atque valde probabili interpretatione abs eo obſcurius dictorum, abſterſit ac abolevit, ipſumque tandem librum totum ex verſione Latina *Vincentii Opſopæi* (collata cum ea, quæ in Bibliotheca Patrum Pariſina a. 1589. reperitur,) boni publici ergo recudi curavit.

SAMUELIS SCHELGUIGII D. DE UNIONE ECcleſiarum, Tridentinæ atque Auguſtanæ confeſſioni adhærentium, diſputationes ſex.

Gedani, typis Davidis Friderici Rhetii, 1689. in 4to. plagul. 20.

QUantum diſcriminis intercedat decretis Tridentinis ac Auguſtanæ confeſſioni, vernaculo ſcripto ſumme reverendus Gedanenſium theologus & gymnaſiarcha Schelguigius luculenter demonſtravit, qua de re nonulla memoriæ prodidimus in Actis 1688. p. 178. Non potuit igitur aſſentiri *Matthæo Prætorio*, qui ex caſtris noſtris ad Romana tranſiit, ac *tubam* dein *pacis* inter Pontificios & Evangelicos ineundæ inflavit: ſed conatu qui nunquam non poterit eſſe irritus, niſi aut infallibilitate ſibi hactenus arrogata ſeſe abdicet Romanus Papa, aut nos veritatem in conſcientia agnitam prodere velimus. Monſtrarunt id præter alios duumviri clariſſimi, *Bernhardus von Sanden & Melchior Zeidlerus* Profeſſores Regiomontani, libris ex profeſſo *Tubæ pacis* oppoſitis ac ad Acta Eruditorum a. 1689. p. 81. & 477. relatis. Idem fece-

fecerat annis jamjam 1676 & 1677 Schelguigius diſputationibus, quas a. 1689. recuſas eſſe, indicandum duximus. Præſertim cum ſimul de novo, quod molitur, opere in præfatione certiores nos reddiderit Auctor. Nimirum, (uti in Actis 1690. p. 138. notavimus,) a Johanne Franciſco *Hacki* S. J. Theologo propoſita eſt *Regia via omnes diſſidentes in religione Neo-Evangelicos* (titulum bona fide exſcribimus) *ad orthodoxam & ſalvifi am fidei Chriſtianæ veritatem perſcrutandam, inveniendam & amplectendam manuducens.* Huic opponet Noſter librum inſcriptum: *Diſſipatio ignis fatui, quo D. Johannes Franciſcus Hacki, ſocietatis ſuæ Theologus, miſere ſeductus, cum Viam Regiam ſe tenere opinaretur, in cænoſas paludes incidit.*

SAMUELIS SCHELGUIGII D. DISQUISITIO THEologica de Rechabitis, quæ ſuper Jerem. XXXV. commentarii loco eſſe poſſet.

Gedani, typis J. F. Rhetii 1689. in 4to.
plagul. 19.

Et hæc diſquiſitio ſextuplici diſputatione annis 1679. 1680. & 1681. in Athenæo Gedanenſi ventilata fuit. Abſolvitur capitibus quindecim, quorum ſex priora *originem* & *genealogiam* Rechabitarum (a poſteris ad majores aſcendendo) e Jonadabo, Rechabo, Hammatho, Jethrone, Caine, Sinæo, Canaane, Chamo, Noacho denique communi generis humani reſtauratore, derivant. *Inſtitutum* dein Rechabitarum, *Jeremiæ c. XXXV* memoratum, exponitur, c. 7. 8. 9. quoad ejus *objectum* perſonale ac reale, *finem*, ac *cauſam efficientem*. C 10. negatur quæſtio: *An ex legislatione Jonadabi poteſtas legislatoria, quam Prælati eccleſiæ Romanæ ſibi arrogant, probetur & ſtabiliatur?* C. 11. & 12 diſparitas monſtratur inter *Rechabitas* ex una, & *Eſſæos, Naziræos, Monachos Papæos* ex altera parte. Adduntur reliquis capitibus varia adjuncta obedientiæ Rechabiticæ, *ſpontaneitas* puta, *duratio, approbatio* & *promiſſio divina*. Argumentum equidem hoc univerſum ab aliis quamplurimis pertractatum eſt, unde ad ſpecialiora Diſquiſitionis Schelguigianæ contenta deſcendere ſupervacaneum erit. Si quid tamen judicio noſtro dandum eſt, non erit fortaſſis inter omnes commentatores in Jeremiam, qui concinniori ordine majorive perſpicuitate con-

te controverſias has digeſſerit diremeritque, ac a celeberrimo auctore noſtro factum fuit. Loco præfationis ſunt *animadverſiones in nonnulla, quæ D. Johannes Franciſcus Hacki, Theologus Jeſuita præfationi libelli, cujus titulus eſt: VINDEX VERITATIS REUS, inſperſit.* Patuit hinc, *Scrutatorem* illum *veritatis*, (quem peculiari libro a *Zeidlero* refutatum diximus in Actis a.1689.p.469,(ipſummet eſſe *Hackium*, qui dudum exploſa poſtulata *Jodoci Keddii* Jeſuitæ leviter interpolata a.1680. recoxit in opuſculo typis Olivenſibus edito. Huic e veſtigio oppoſuit Schelguigius *Detectionem veritatis*, cui nihil adhuc reſponſum eſſe dicit. Utut itaque a. 1682 *Poſtulata* eadem verboſo commentario aucta, præfixoque *Hacki* nomine, prodirent, eandem tamen cramben tertia vice apponi ſentiens Schelguigius, maluit ore quam calamo cum adverſario congredi, illamque ad diſputationem publicam provocavit de theſibus inſcriptis: *Examen ſcrutinii veritatis iterati quoad prolegomena.* Sed viſum aliter fuit magnifico Senatui Dantiſcano, qui diſputandi facultatem eo tempore Schelguigio facere noluit. Quievit ergo Noſter per ſemeſtre. *Hackius* vero, adſcito ſibi *Lucæ Markiewicz* nomine, virulentiſſimum libellum a.1683.contra Schelguigium, *Trutinæ* titulo, ex officina Olivenſium, Poſnanienſes ſeſe fingentium, in lucem publicam emiſit. Repoſuit Schelguigius *Caſtigationem Trutinæ* aliquot ſeptimanis interjectis. Eo abhinc tempore induciæ inter utrumque agitatæ, donec anno 1689 Jeſuita in novo opuſculo, *Vindice veritatis reo*, memoriam ſuperiorum certaminum refricaret noſtro Auctori, ac hac ratione breves has, nec niſi plagulam primam occupantes *animadverſiones* ei extorqueret.

M. SAMUELIS SCHMIDT, ZITTAVIA LUSATI, ILluſtris Quedlei Rectoris Hodegus Epiſtolicus &c.

Quedlinburgi apud Theodor. Philippum Calviſium, A. 1688. in 8. conſtat 3. Alphabetis.

QVanquam eorum ex erudito ordine recenſere non paucos licet, qui methodum epiſtolas conſcribendi & hoc & ſuperiori ſeculo tradiderunt, laudem tamen inter eos vel maxime meretur *Cl. Schmidius*, Hodegi hujus Epiſtolici autor. Nam in eo viam expeditam facilemque

que commonſtrat, qua imperiti adhuc & rudes tirunculi ad aliquam facultatem epiſtolas Latine politeque ſcribendi pervenire poſſint: non præceptis tantum, ſed & exemplis ubique adhibitis. Hodego huic ſuo anteambulonem præmittit, qui Epiſtolographiam delineat ſeu definit, quod nimirum ſit facultas epiſtolam de quavis re idonea recte conficiendi, ad lectorem perſuadendum: deinde eam in duas dividit partes, generalem unam, quæ agit de epiſtolæ definitione, cauſis, partibus, proprietatibus ac diviſione; alteram ſpecialem, quæ media tradit ad facultatem hanc perveniendi, & ſingularem epiſtolarum conficiendarum rationem ſecundum cauſarum genera. Generalis pars XLII abſolvitur capitibus, quorum primo cum cauſas epiſtolæ exponat, finisque ejus ſit mutua cogitationum animi atq; voluntatis inter abſentes communicatio, agitur quoque non incommode de cryptographia ſeu ſteganographia, h.e. de occulta ſcribendi ratione ex compacto ſcribentium inſtituta, adeoq; & notæ id genus Grammaticæ, Arithmeticæ, Muſicæ & Aſtronomicæ exhibentur. In II diſſerit Autor de epiſtolæ partibus generatim conſideratis; in III de partibus ejusdem ſpeciatim conſideratis, & quidem de ſalutatione potiſſimum, ubi formulæ ſalutandi, tam illicitæ & barbaræ ex Scholaſticorum & Monachorum lacunis hauſtæ, quam licitæ eæque Latinæ, Græcæ & Hebraicæ ex optimis ſcriptoribus recenſentur; & compellatione, qua is nimirum, ad quem ſcribitur, honorifice compellatur, cujus varia exempla ex epiſtolographis afferuntur. In IV de exordio epiſtolæ in genere; in V de exordio recto, ejusque 12 locis, unde duci ſolet. In V de formulis exordiendi, quæ cum plurimæ ſint & variorum argumentorum, earum exempla non ex antiquis tantum ſcriptoribus, Cicerone, Plinio & Seneca, ſed e recentioribus etiam, Luthero, Melanchthone, Calvino, Politiano, Turnero, Sadoleto, Longolio, Mureto, Manutio, Acidalio, Grotio, Buchnero aliisq; ab hoc capite V usque ad XXIIX incluſive afferuntur, quibus Autor & exordia epiſtolarum a ſeipſo ad Patronos Amicosque ſcriptarum ubique ſubjicit. In XXIX de obliquo etiam & abrupto epiſtolæ exordio agitur, ejusque non minus, quam recti, formulæ ex ſcriptoribus jam memoratis adducuntur. In XXX de epiſtolæ narratione, propoſitione, confirmatione, confutatione & concluſione agitur; formulæ itidem tam aliorum, quam Autoris ipſius ſubjiciuntur. In XXXI de valedictione ſeu votiva formula, quæ epiſtolæ annecti ſolet: ubi

non illicitæ tantum id genus formulæ atque ineptæ, ſed licitæ etiam atque aptæ,& hæ quidem longe numeroſiſſimæ ex propriis aliorumque epiſtolis referuntur,una cum formulisGræcis atqueHebraicis,nec non formulis amicos ſuo & alieno nomine ſalutandi. In XXXII de ſubſcriptione loci,temporis,diei,anni,ac menſis; qua occaſione & typus menſium ſeu Calendarium Romanum exhibetur; de ſubſcriptione item nominis cum formulis tam ad ſuperiores,quam æquales,iisq; licitis pariter atque illicitis. In XXXIII de complicatione epiſtolæ & obſignatione. In XXXIV de inſcriptione & titulis tam præpoſitivis, quam poſtpoſitivis ad varios ordines pertinentibus, ubi nec inepti abſurdique tituli ſilentio ſunt præteriti. In XXXV de inſcriptionibus integris ad perſonas in ſtatu ſeculari conſtitutas. In XXXVI de inſcriptionibus integris ad perſonas ordinis eccleſiaſtici. In XXXVII de epiſtolæ adjunctis ac proprietatibus; & ſpeciatim de puritate,ubi & vocabula male Latina,barbariſmi item, ſolæciſmi,Germaniſmi,Galliciſmi, Græciſmi, Hebraiſmi, & voces antiquatæ recenſentur. In XXXIIX de perſpicuitate epiſtolæ; in XXXIX de decentia ſeu decoro ejus,in XL de ſimplicitate, in XLI de brevitate ac venuſtate. In XLII de epiſtolarum diviſione,quod nempe 1. vel liberæ ſint,vel adſtrictæ, 2 Aſiaticæ vel Laconicæ, 3 directæ vel obliquæ, 4 ſubtiles vel familiares, 5 ſimplices vel mixtæ, quodque hæ ſint vel demonſtrativi, vel deliberativi vel judicialis generis. Generalem hanc Hodegi Epiſtolici partem excipit ſpecialis, cujus I caput agit de mediis ſeu adminiculis comparandæ facultatis epiſtolicæ; II de mediis conſtituentibus,& ſpeciatim de inventione;III de diſpoſitione;IV de elocutione;V de deſcriptione; VI de mediis perficientibus; ſpeciatim de lectione,ubi non autores tantum,qui de epiſtolis conſcribendis ex profeſſo ſunt commentati,ſed & optimi epiſtolographi ex veteribus & recentioribus commendantur; VII de imitatione; VIII de ſcriptione ſeu ſcribendi exercitatione,quæ cum vel ſolitaria ſit,vel ſocia, hæcque fieri ſoleat ſecundum tria cauſarum genera,tres quoque ſectiones facit Autor,quarum prima epiſtolas generis demonſtrativi, & theoretice,quoad inventionem puta & diſpoſitionem, & practice, quoad compoſitionem,exhibet,nunciatoriam videlicet, evchariſticam ſeu gratiarum - actoriam, dedicatoriam ſeu nuncupatoriam,gratulatoriam & laudatoriam,cum reſponſoriis ad ſingulas;ſecunda epiſtolas generis deliberativi, ſuaſo-

riam, diſſuaſoriam, hortatoriam, dehortatoriam, monitoriam, conſolatoriam, petitoriam, ambitoriam, invitatoriam, eamque nuptialem, initialem, epularem, exequialem, commendatoriam, conciliatoriam, officioſam, communicatoriam, non ſine reſponſoriis ubique ſubjunctis; tertia epiſtolas generis judicialis, accuſatoriam, objurgatoriam, exprobratoriam, comminatoriam, expoſtulatoriam, invectivam ſeu criminatoriam, lamentatoriam & cenſoriam; quibus caput de epiſtola mixta additur cum appendice formularum ad epiſtolas generatim reſpondendi, quæ capiti XIV partis I includi debuiſſent, nec non poſtambulone duplici, legitimo videlicet & illegitimo, ut vocat, quorum ille contenta Hodegi hujus Epiſtolici inſigniora, hic errata ejusdem enormiora exhibet.

משניות, *MISCHNAJOTH, CUM COMMENTARIIS R. Obadiæ Bertinorii & R. Jom Tobh Lipmanni.*

Amſtelodami, apud Davidem Tartas, A. 445, 446, 447, 448, i. e. Chriſti 1685, 86, 87, 88, in 4to.

Sex partes. Conſtant plag. 263.

EN novam editionem Miſchnæ ſive textus Talmudici, a R. Jehuda Sancto ſecundo orbis redempti ſæculo compoſiti. Stipatur ea ex utroque latere commentatoribus, quorum prior cum primis inter optimos jure meritoque reponitur. Eſt is *Obadias, de Bartenora* vulgo cognominatus, melius *Bertinorius* vel *Britinorienſis*. Nimirum id nominis habet a patria ברטנורה aut בירטינורי, hoc eſt, urbe illa Romandiolæ, quam Itali *Bertinoro* vel *Bertinaro*, Latini *Bertinorium*, *Bretinorium*, *Britinorium*, *Petram Honorii*, vocare amant. Commentaria ſua condere cœpit in Italia, abſolvit in Palæſtina, ubi etiam ad plures abiit anno æræ Jud. 290, Chriſti 1530; quemadmodum ex Schalſcheleth Kakkabbala R. *Gedaliæ Jechiadis* refert R. *David Ganſius* in Zemach David. Magno applauſu exceptus eſt a Judæis æque ac Chriſtianis. Ab illis excuſus eſt cum ſolo *Miſchnæ* textu Lublini A. 356, Chriſti 1596 in folio; itemque cum eodem textu & commentario Maimonidis, Sabionetæ A. 319, Chr. 1559; Venetiis A. 326, Chr. 1566; & A. 366, C. 1606; Mantuæ A. 321, 322, Chr. 1561, 1562. Ex his eſt *Sebaſtianus Schmidius*, æternum Academiæ Argentoratenſis decus, cui in acceptis

 feri-

ferimus accuratam verſionem tractatuum Miſchnicorum *Schabbath* ac *Erubbin*, itemque Maimonidis & Bartenoræ, interpretum, Lipſiæ A.1661, obſtetricante *Johanne Benedicto Carpzovio* noſtro, in publicam lucem emiſſam. Optandum autem foret, ut vel Viro maxime reverendo reliquos tractatus, quos affectos a ſe eſſe in præfatione teſtatus eſt, perpolire atque evulgare per ætatem & graviora negotia liceret; vel Angli, qui Abendanæ ope totum Miſchnæ codicem in Latinam linguam transferri aliquot abhinc annis curaſſe feruntur, *Obadiæ* noſtri commentaria eidem adjungere non negligerent.

Eum in editione hac comitatur *R. Jom Tobb Lipmannus*, Nathanis filius, Moſis Wallerſteinii nepos. Concinnavit is in omnes *Miſchnæ* partes תוספת h.e. *Additionem*, ultimæque ejus parti colophonem impoſuit A. æræ J. 377, Chriſti 1617, ætatis XXXVIII. Judæis eum quantivis pretii haberi, collectu facile fuit ex R. *Schabbethai Strimeri* Siphte Jeſchenim, ſive bibliotheca Rabbinica, lit. . n. 370. ubi ביאור ופירוש נפלא מאר *explanatio ſive commentarius valde admirabilis* ſalutatur. Cum vero, quæ Pragæ A 1617, & Cracoviæ A. C. 1644 typis exſcripta fuerant, ſyntagmatis hujus exemplaria maximam partem diſparuiſſent, prælo id tertia vice ſubjiciendum ratus eſt typographus Amſtelodamenſis, *David* די קראסטו תארתאס *de Craſto Tartas*, ſeu (uti nomen lexico Ebræo-Luſitano *Selomonis de Oliveyra* A. 442, Chr. 1682, edito ſubſcripſit) דוד די קאשטרו תרטאס *David de Caſtro* (ſic Hiſpanis Luſitanisque familia nobilis vocatur) *Tartas*. In ſubſcriptione præfationis, huic operi præmiſſæ, fratrem ſe appellat *Iſaaci de Caſtro Tartas*, qui publice nomen Dei ſanctificarit & ob religionis ſuæ profeſſionem combuſtus fuerit, eaque propter Deum obteſtatur, ut ſanguinem ſervorum ſuorum ad inſtar aquæ effuſum propediem vindicet. Præfiguntur editioni huic approbationes Rabbinorum Amſtelodamenſium, *Iſaaci Abuhab, Moſis Judæ* Kalonymo ſacerdote nati, & *Salomonis de Oliveyra*, graviſſimo ſimul anathemate pro more in eos vibrato, qui intra triplicis luſtri ſpatium, invito Davide Tartaſſio, Jom Tobh Lipmannum recudere auſi fuerint.

CONSULTATIONUM FORENSIUM ABBATIS PHILIPpi Caſtaldi JCti, & Sereniſſ. Mutinæ ac Rhegii Duci a Secretis & Conſiliis Status, Volumen Primum.

Mutinæ, apud Hæredes Juliani Caſſiani, 1681, in fol.

Alph. 6. Plag. 6.

DUos Conſultationum Forenſium tomos, qui conſultiſſimum Caitaldum autorem laudant, inverſo ordine obveniſſe nobis, fateri neceſſe habemus. Poſteriorem etenim opera Johannis Galliani de Coccapanis A. 1688 Parmæ editum in *Actis Menſ. Januar. 1690, p.* 44, exhibuimus: ne ergo manca quodammodo ac mutila videretur iſta relatio; de priore tomo protinus fuimus ſolliciti, quem ab ipſo Autore pridem emiſſum fuiſſe nacti tandem ſumus. Licet vero hæc volumina ſub notalibi temporis intervallo diverſis e locis prodierint, ſatis tamen exacte ſibi invicem reſpondent, non ſolum quoad formam externam, dum Conſultationum numerus una ſerie per utramq; continuatur, ac æqualiter diſpertitur; ſed potius intuitu argumenti, ſiquidem Caſus ſelectiores utrobiq; ſemet ſiſtunt, ad prolixius examen ſubinde Lectorem amœne provocantes. De methodo ac ſcribendi genere ab autore uſurpato, nil addimus; quandoquidem ea, quæ loco ſupra citato hunc in finem a nobis dicta ſunt, huc quoque quadrant. Illud ſaltem notatu non indignum ducimus, quod in hoc volumine potior Conſultationum pars quæſtiones ex Jure Romano decidendas ſupponat, tenuis vero earum numerus ad Jus Canonicum, Feudale aut Jura Statutaria ſemet referat; ſub quo ordine ſpeciminis loco caſus quosdam annectere licebit. *Conſult.* 2, ſiſtit moroſum hæredem in exſolvendis legatis, circa quem ex *l. f. §. 1. C. Comm. de leg.* adſtruitur, ipſum per moram unius anni amittere jus, quod habebat a teſtatore, eligendi bona, ex quibus erat ſolvendum legatum, illudque tranſire in legatarium. In *Conſ. 9. n.* 5. aſſeritur, Exceptionem non numeratæ dotis elapſo biennio fruſtra allegari a Creditoribus mariti aut tertio poſſeſſore. Rebus fideicommiſſariis ab hærede gravato doloſe diſtractis, in bonis illius ad redintegrandum fideicommiſſum induci tacitam hypothecam, in *Conſ. 13. & 87.* operoſe adſtruitur. Quamvis enim diſſentientes Dd. ſtrenue urgeant famoſum illud axioma, tacitam hypothecam locum ſibi non vindicare, niſi nominatim ſit a lege conceſſa; retorquet tamen Autor jus non ſcriptum ſeu conſuetudinem, quam ex multorum Dd conſenſu ac Rotæ Romanæ deciſionibus, æmulam prope cum Jure Canonico autoritatem habentibus, ſufficienter ſe probasſe arbitratur: hac denique adjecta clauſula, ſi forte diſſentientibus concedatur, deficere hoc in caſu actionem hypothecariam; illius tamen loco ſubſtituendam eſſe actionem in rem ſcriptam contra poſſeſſores

res bonorum, quæ ad hæredem aliquando pertinuerunt. *Conſ. 20. & 21.* junctim illuſtrant *Auth. Præterea C. unde V. & U.* quod mulier d. Auth. beneficio non gaudeat, ſi congruenter dotata ſit; qua occaſione de dotibus congruis diſſeritur. Rigida tamen fortaſſe videri poſſet concluſio ſub *n.7.* ad quartam hanc excludendam ſufficere, ſi mulier tantum in bonis habeat, ut victum & veſtitum utut tenuem, exinde habere queat; & licet Comitiſſa ſit, ſi tamen ex bonis propriis panem & aquam parare poſſit, nil magis beneficio hoc juvari: quod ipſum fuſius aſſerere dicitur *Merlin. Pignatellus Controverſ. Cent. 2. c. 47. n. 12. Conſult.39.* adſtruit Immiſſionem ex remedio *L.fin.de Edict. D. Hadr. toll.* dari etiam hæredis hæredibus & fideicommiſſariis, *Conſult.56.* Appellationem non admitti in dicto judicio poſſeſſorio; *Concl.53. num.3.* Jus Civitatis etiam per ſpiritualem nativitatem adquiri, adeo ut in illo loco, ubi quis ſacro baptiſmate ablutus fuit, efficiatur civis. In *Conſult.61. n.10.* incidenter aſſeritur, cognominis aſſumtionem ad favorem ſubſtituti factam cenſeri per viam modi & non conditionis, ideoque ſufficere, quod nomen aſſumatur poſt adeptam hæreditatem. Porro notat *Conſult.67:* competere poſſeſſori retentionem adverſus poſteriores creditores, qui ſolvit anterioribus creditoribus, etiamſi nulla ceſſio intervenerit. *Conſ.76:* Renunciantem per viam repudiationis haberi pro mortuo, quoad faciendam partem & numerum in legitima. *Conſult.91:* vult, detractiones legitimæ & Trebellianicæ ſuffragari tertio poſſeſſori ad tuendam ſuam poſſeſſionem contra fideicommiſſarium. *Conſult.143:* natum poſt mortem teſtatoris non admitti ad ſuccedendum cum natis tempore teſtamenti conditi & mortis teſtatoris, etiamſi ille vocaſſet natos & naſcituros. *Conſ.19:* locationem fructuum alicujus beneficii Eccleſiaſtici factam ad longum tempus in totum corruere, nec pro triennio ſuſtineri vigore *cap. un. Extravag. Comm. de reb. Eccleſ.non alien. Conſult.27. & 28:* vocationem primi beneficii per alterius incompatibilis oblationem habere locum poſt duos duntaxat menſes pacificæ poſſesſionis. *Conſult.49:* præſentatum ab eo, qui in poſſeſſione præſentandi, præferri præſentato etiam a veris Patronis. *Conſult.72:* in conſtitutione cenſus a Regularibus facta easdem requiri ſolennitates, quæ deſiderantur in alienatione bonorum immobilium. *Conſ.102:* in Jure patronatus, ubi illud gentilitium eſt aut mixtum, præſcriptionem locum non habere, nec negligentiam Anteceſſo-

ceſſorum præjudicare ſucceſſoribus. *Conſult. 26:* Feudum novum, quod quis pro ſe & filiis accepit, a patre primo acquirente uni filiorum Domino inconſulto prælegari non poſſe. *Conſult. 31:* in bonis feudalibus duobus conceſſis dari jus accreſcendi ſeu ſaltim non decreſcendi. *Conſult. 54:* ſtatutum Mutinenſe de jure protimiſeos non reſtringendum eſſe ad contractum emptionis, ſed in contractu libellario cæteriſque negotiis alienationem involventibus locum habere. *Conſult. 88:* creditorem, qui ex apocha Camerali obligatione vallata legitime recognita experitur, integram ſui debiti conſequi ſummam, nec cum cæteris creditoribus intra quadriennium exiſtentibus teneri concurrere per æs & libram (ſeu pro rata) juxta ſtatuta fori Mercatorum Bononiæ.

DISCURSUS DE lampadibus antiquorum Sepulchralibus, *quo oſtenditur poſſibilitas earum diverſis modis conficiendarum, lectus coram Philoſophica Societate Oxonienſi a* Roberto Plot, *LL. D. ac Directore Experimentorum dictæ Societatis.*

Translatus ex Transact. Philoſ. Angl. M. Dec. 1684. N. 166. p. 806. ſeqq.

SAtis adhuc recordabimini, Domine Præſes Virique Nobiliſſimi, quod in ultimo noſtro conventu vobis oſtenderim, partem lanuginoſam Mineralis illius, quod *Linum Asbeſtinum, Erd-flachs*, aut *Salamanders Wolle* vocatur, ſat commode ſubire ac præſtare poſſe munus Ellychnii: arſit quippe tum a nona circiter matutina (ſuffecto jugiter oleo) usq; ad quartam fere pomeridianam (quo tempore nempe Seſſio iſta diſſolvebatur) absque ſenſibili diminutione. Nihiloſecius objectum fuit, quod factis aliis tentaminibus friabilitas quædam in eo deprehenſa fuiſſet, ſpeciem aliquam conſumtionis arguens: item, quod ſi vel maxime id ab igne invictum concederetur, adhuc tamen periculi nonnihil ſubeſſe queat, ne obſideatur ſeu obſtruatur ab impuritatibus optimi etiam olei, quod haberi aut ulla ratione præparari poſſit. Ac priori quidem harum objectionum tunc reſponſum fuit, non ita abſolutam adeſſe neceſſitatem in uſum adhibendi iſtam Lanuginem: quin potius aliud Ellychnium adinveniri poſſe, quod iſti exceptioni obnoxium haud foret, ut ſi id e filis metallinis fiat, ac ſpeciatim ductis ex

auro purgatiſſimo (cujus nempe hoc præcipuum eſt, quod nullam ab igne patiatur diminutionem)utpote quod,non ſecus ac aliud ellychnium, abligurire oleum,atque ſic perpetuam præbere flammam poſſet, dummodo perpetim nova olei ſupplementa ſufficerentur. Atque hoc, fateor, aſſertum ſæpius audivi: nunquam tamen ipſe tentando huic experimento memet applicui,donec proxima hebdomade a Vobis juſſus eſſem illud effectui dare. Id vero cum exequi pararem, expertus ſum,quod in faſciculo filorum,e ferro ignis temperaturam paſſo paratorum,craſſitiei pro ellychnio congruæ,res ſuccedere recuſaret; quibuscunque licet,quæ tum quidem mox animum ſubibant,adhibitis remediis:neque multam,poſt maturam ſatis deliberationem, video rationem ſperandi,meliorem ſucceſſum fore in filis ſive argenteis,ſive aureis (quamvis utique contrarium pronunciare non auſim, donec periculum fuerit factum) cum omnium illorum natura, ſaltem quod hoc negotium attinet, non multum diverſa eſſe videatur. Si proinde neceſſitatis eſt habere perpetuum aliquod ellychnium pro inſtruendis ejusmodi perennibus Lucernis Sepulchralibus, quales apud antiquos in uſu fuere,prior illa,ut opinor, ſpecies nobis retinenda erit, parata ex *Lino Asbeſtino:* quale ellychnium ſi ullo pacto ſuppleri queat oleo aliquo perpetuo (prout poſſe mox oſtenſurus ſum) jam non ita procul, ſpero,abeſſe me judicabitis ab ipſa propoſiti negotii præſtatione.Nunc porro ad evincendum,quod omnino dari valeat tale Bitumen ſeu Oleum inexhauſtum, non opus habeo,Vos aut adductis antiquorum Autorum teſtimoniis morari,aut in Italiam aliasque exteras regiones remittere: dummodo enim inconſumtibile aliquod ellychnium mihi largiemini,haud longius vos ducere cupio quam *Pitchfordiam* in Comitatu *Salopiæ*,ubi ſpecies quædam *Naphthæ* ſive Bituminis liquidi reperitur(cujus ecce ſpecimen hic quod oſtendam vobis habeo)quæ iſtic cum fonte quodam conſtanter proſilit & aquis ſupernatat. Hanc ergo ſeparatam vellem,priusquam aquæ ſe conjungeret, in ductum aliquem ipſi proprium, atque ita derivandam ad locum, qui maxime aptus pro ejusmodi Lampade foret viſus;in quem adeo non minus perpetim deſtillare deberet, quam nunc in iſtum fontem ſolet: quod quidem absque ulla inſigni difficultate fieri poſſe,non dubito, quin mihi conceſſuri ſitis: atque hoc ſi obtinuero, jam habebimus Oleum non minus perenne, quam noſtrum ellychnium. Neque eſt cur ullam me-

tua-

tuamus extinctionem, ſi includatur in tumba aut crypta ſubterranea, loco licet quam maxime vaporoſo ac humido: dum ea bituminis nota characteriſtica habetur, quod optime ardeat, ubi humiditas adeſt: uti pateſcit, ſi aqua carboni foſſili affundatur. Et hæc quidem una eſt methodus, quam commentus ſum, qua talismodi Lampas Sepulchralis perennis fortaſſe conſtrui poſſet. Quod ſi vero tam rigide mecum agere vobis placeret, ut inficiaremini, aut hoc eſſe perpetuum ellychnium, aut aliud quacunque alia ratione probabiliter parari poſſe; ſane non minus abſimile vero videri poterit pleriſque, (ne dicam huic Societati,) ullo unquam tempore quid extitiſſe, quod perpetuæ Lampadis nomen mereri potuerit: nil quidquam obſtantibus teſtimoniis S. Auguſtini, Plutarchi, Plinii, Joh. Ludov. Vivis, Joh. Bapt. Portæ, Liceti, Pancirolli, variorumque aliorum, perhibentium nempe, aliquas ad 1000, aliquas ad 1500 usque annos arſiſſe, Quicquid tamen ejus ſit, credere nequaquam audeo, tot tamque egregios ac probos autores nobis impoſuiſſe; imo vix fieri poſſe puto, ut tot exempla notabilia, quæ hanc in rem adducuntur, in univerſum falſitate laborent. Satius itaque (quam rem totam explodere,) exiſtimo ſtatuere, quod liquor harum Lampadum arſerit absque ullo penitus ellychnio aut lino, perinde uti videmus camphoram & pleraſque bituminis ſpecies facere: quandoquidem vix in ulla, (quantum ego recordor) relationum de Lucernis ejusmodi factarum, legitur expreſſum, quod eæ uſpiam ellychniis inſtructæ fuerint repertæ: qua ratione utrumque iſtud incommodum ſupra memoratum, ab ellychnio expectandum, ipſo facto ceſſat. Quum ergo hoc unicum reſtet, ut exquiramus Oleum aliquod exhauriri neſcium, quod, ſi ad aptum vaſculum derivetur, talem efficere lampadem valeat: quidni bitumen iſtud noſtrum *Pitchfordienſe* huic negotio inſervire poſſet? utpote quod dubio procul ardebit absque ellychnio æque bene, ac aliud quodlibet bitumen liquidum. Quod enim ſuperius circa hoc exemplum poſtulavi, ut ellychnium mihi daretur, non ex neceſſitate aliqua factum eſt; ſed tantum, quia animus erat, ejus rei efficiendæ probabilitatem tot modis oſtendere, quot poſſem. Potiſſima objectio, quam prævidere queo prævalituram, quid adverſus tale experimentum, hæc eſt, quod hujuscemodi Lampas veroſimiliter non minus bene foret arſura in aere libero, quam in occluſa vapidaq; crypta: cum e diverſo antiquorum Lampades flammam ſuam optime aluiſſe ferantur, ubi maxima

aeris penuria fuerit, in clauſis nempe fornicibus atque ſepulcris, ac extemplo extinctæ eſſe vel ad minimam immiſſionem aeris externi: dum nempe hæ qualitates neceſſariæ habentur, ac tantum non perpetim antiquas illas lampadas ſepulcrales comitatæ feruntur. Ad hoc autem reſpondeo primum, inter priſcorum Lampadas fuiſſe aliquas, quæ æque bene arſerint in aere libero, quam in obſeratis vapidisque fornicibus: qualis illa fuit cujus meminit Divus *Auguſtinus* in Libro *de Civitate Dei*, quæ ſuſpenſa in Veneris æde, jugiter fuerit aperto aeri expoſita, & tamen nullo tempore aut conſumta aut extincta. Pariter & hujus generis fuit illa Lampas, reperta in ſepulchro *Pallantis* Arcadis, a Turno occiſi durante bello Trojano, quippe quæ ipſa quoque ardere perrexit, poſtquam inde fuit protracta, nil quidquam obſtante aut vento aut aqua, quibus nonnulli extinguere eam tentaverant. Quod ſi ergo admitteremus, Lampadem illam noſtram Pitchfordienſem indifferenter arſuram fore utraque ſub circumſtantia, quid inde, quæſo, pejor foret? quandoquidem nunquam inaudivi, aut Lampadem a S. Auguſtino memoratam, aut alteram illam Pallantis, ulla ex parte minus dignas æſtimatione aut admiratione ideo fuiſſe judicatas, quia non extingui valuerint ab aere aperto, uti quidem reliquarum plerisque factum refertur. Si tamen quis adeo captioſus foret, ut omnino expoſceret oleum, quod cunctis in circumſtantiis particularibus reſponderet alteri illi ſpeciei Antiquis uſitatæ, quæ optime ardeat, ubi aeris copia deſit, ac deſtruatur per ejus admiſſionem: mecum ille adeat licet fodinas carbonarias *Moſtynenſes* Dni *Rogerii Moſtyn* in Comitatu *Flintiæ*, atq; ibi & hac ex parte ſibi ſatisfactum iri comperiet: quo in loco nempe cunicularii, quando ad eam profunditatem fodiendo perveniunt, ut aeris defectum perſentiſcere incipiant, offendere ſolent flammam quandam ſubcærulam, quæ intra anthracum fiſſuras propria ſponte excitari incipit, (ad quam etiam iſti per jocum quandoque candelas ſuas accedunt) quæ continuo flagrans huc illuc movetur, & nonnunquam lucet in ipſa quoque aquæ ſuperficie, quæ in fodinarum fundo hæret, omnibus Iridis coloribus conſpicua: quæ ipſa tamen, extracta aqua, operas nempe præpediente, aereque ſic concitato, ardere deſinit. At quo profundius iſti deſcendunt, magisque remota a lucis diurnæ & aeris ſuperioribus terræ partibus imminentis commercio loca ſubeunt, eo majus illa circa ipſos incrementum capit. Unde liquido apparet, hanc eſſe ignis ſpeciem,

ſpeciem, quæ tam parum aeris ad ſui conſervationem requirat, ut optime omnium ardeat, ubi aeris minimum eſt, ac extinguatur, ab eodem diſturbata: perinde ac de antiquis illis lampadibus factum traditur, per immiſſionem aeris externi. Pro hujus proinde generis Lucernis ſepulchralibus (non etenim omnium una ſimilitudo fuiſſe videtur) aptiſſimum oporteret eſſe hunc ignem, cujus hiſtoriam acceptam ferendam habemus eximio hujus Societatis membro, doctiſſimo *D. Bathurſt*, Decano Wellenſi ac Præſidi in Collegio Trinitatis Oxonienſi: cujus ſtudio nempe relatio de miris hujus Ignium ſpeciei phænomenis conſignata in gratiam poſteritatis extat in *Tranſactionibus Philoſophicis Num.* 136. ex quo tempore ſimile quid annotatum fuit in cuniculis carbonariis Comitatus *Sommerſetenſis* ab ingenioſo *Dno. Beaumontio*, nec non a *Dn. Georgio Sinclaro* in anthracum fodinis *Scotiæ*. Non itaque dubito, quin facile mihi largituri ſitis, hanc non minus probabiliter materiam eſſe poſſe pro Oleo ſecundæ hujus Lampadum ſpeciei, quam Pitchfordienſem illam pro priori. At quomodo aut hæc, aut illa ita diſpenſari poſſet, ut Lampadi infunderetur, atque ea perpetua inde ſupplementa reciperet, collocari etiam quemcunque in locum pro lubitu valeret, (quemadmodum Antiquorum lampades potuiſſe videntur, dum ignis ille quandoque repertus fuit in urceolis, vitris aut urnis, abſque ullo talis modi ductu ad eas derivato, qualem ſupra in iſto Pitchfordiæ loco requiſivimus, atque hic ſimiliter eſſemus expetituri:) ea inquam difficultas eſt non ita promte ſuperabilis. Ad hoc ergo, fateor, nil habeo, quod reponam, præterquam hoc, quod, niſi forte quid per artem Chymicam præparari queat ex materiis talibus bituminoſis, quæ ita aut ſponte naturæ ignem concipiunt, aut eum abſque ellychnio conſervant, cujus quidem exigua quantitas ſufficeret nutriendæ flammæ tam tenui, ut nulla notabilis conſumtio materiæ fieret ſpatio plurium annorum, (qualiſmodi eſt flamma imminens puteo cuidam ac telluri circumſitæ in prædio *Dni Hawkleji* in Comitatu *Lancaſtriæ*, quæ, non ſecus ac ignis ille Platonis, lucet ſolum, non urit) contenti interim eſſe debeamus, patique nos ad loca talia coarctari, ubi iſtæ materiæ reperiantur. Quod ſi vero induci poſſemus, ut omiſſis talibus materialibus fomentis, ſtatueremus (uti quidem plures fecerunt,) Lampades tales nequaquam luxiſſe aut arſiſſe omni iſto tempore, quo incluſæ latuerint in hiſce tumbis, ſed ſolummodo accenſas fuiſſe per aeris, poſtquam

quam apertæ fuerint, admiſſionem: ita equidem modum in promtu haberem, qui nulli iſtorum defectuum aut incommodorum obnoxius foret, quibus priores illi ambo laborant; cujus ope videlicet Vitrum aliquod liquore plenum alii cuidam incluſum (inſter Urnarum Olybii) ad aeris externi immiſſionem certo lucere inciperet, quamvis antea nil tale feciſſet. Conſiſtit autem in hoc: ſcilicet capiatur exigua ampulla eique parum *Phoſphori liquidi* immittatur, (qnem omnes noſtis obturata ampulla penitus non lucere, dum externus aer ab eo ſecluditur:) hæc dein alii cuidam vitro includatur, verbi gratia, Vaſi recipienti Antliæ pneumaticæ: in quo nempe, ſi machinæ ſua conſtet integritas, ita ut aer probe exhauriri valeat, ipſe *Phoſphorus ſolidus* lucere deſinet intra decem horarum ſpatium, æſtivo licet tempore: *liquidus* vero intra pauciores adhuc, ita quidem, ut non plus lucis edat, quam cum lagena ipſum continens ſubere obturata eſt: uterque vero intra tempus adhuc proportione minus extinguetur, ſi aer ei ſubtrahatur menſibus hybernis: uti frequentibus experimentis cumprobatum eſt ab amico meo honoratiſſimo *Frid. Slare* M.D. quæ repetere animus eſt, quamprimum adipiſci potero accuratam Antliam pneumaticam propoſito huic aptam. Reponatur jam tale exhauſtum Recipiens cum incluſo Phoſphoro intra tumbam aut cryptam, quæ plerumque tenebricoſæ ſunt: ſane ſi ullo poſtmodum tempore inveniatur ibi, vitrumque exterius frangi contingat (uti plerumque talibus rebus accidit, dum homines rudes ad ſodiendum adhibentur) probabiliter dum, admiſſo aere, apparebit lampas perpetua æque bona, ac earum aliquæ in Antiquorum ſepulchris repertæ fuerunt, quamvis ut omnino videtur veroſimile, ab omnibus aut plerisque earum ſpecie diverſa.

DE NUMMO PANTHEO HADRIANI IMPERATOris, ad Illuſtriſſimum SPANHEMIUM Diſſertatio, in qua præter nonnulla de conſecrationibus veterum, illarumque origine, peculiaris quædam inſtituitur comparatio inter Hadrianum & Alexandrum Magnum, multaque illis communia demonſtrantur.

Lugduni apud Aniſſonios, Jo. Poſuel & Cl. Rigaud.

1689. in 4.

Conſtat 13 plagulis, exhibenturque in iis 30 nummorum ectypa.

Impe-

IMperatorum Romanorum & Græcorum hiſtoriam non rectius cognoſci poſſe quam e nummis, collecti inque certas claſſes digeſti a *Strada, Vico, Golzio, Erizzo, Occone, Urſino, Gorlæo, Arſchotano Duce, Angelono, Triſtano, Menetrio, Vaillantio, Seguino, Harduino, Patino*, aliisque, eorundem apparatus oſtendunt, & præclare docuit, quo nemo majori dignitate ac vaſtiori eruditione hanc priſcæ antiquitatis & memoriæ elegantiam excoluit, in doctiſſimis *de uſu & præſtantia numiſmatum* Diſſertationibus *Ezechiel Spanhemius*. Huic ergo illuſtriſſimo viro, vero monumentorum horum arbitro, quem olim Romæ ut omnium elegantiorum literarum theſaurum ſuſpexerat, jam laudabilem ſuam illuſtriam, in Hadriani Imp. hiſtoria e nummo quodam illuſtranda poſitam, probare ſtuduit *Claudius Nicaſius* Divionenſis; eidem, cum Sereniſſimi Electoris Brandenburgici (cui a ſecretioribus & intimis conſiliis eſt) Legatum is apud Regem Galliæ ſuperioribus annis ageret, Diſſertationem hanc de nummo Hadriani nuncupans. Græcum iſtum eſſe longe elegantiſſimum, & in anteriori parte caput Hadriani cum inſcriptione ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟC. CΕΒ. i. e. *IMPERATOR CÆSAR TRAIANUS HADRIANUS AUGUSTUS*; in averſa ejusdem Imperatoris ſub *Serapidis*, & Sabinæ uxoris ſub *Iſidis* imagine, effigies adſcriptis literis L. I. H. nec non *Antinoi* conſecrationem ſpectandam exhibere, refert. Eundem autem nummum a *Choulio, Menetrio, Golzio, Cupero*, forte etiam *Patino*, memoratum indicat: ita tamen, ut *Choulii* & *Menetrii* errores circa iſtum commiſſos quosdam in *Præfatione* notet. *Pantheum* cur eum vocet, tum in *Præf.* tum *cap. 5. p. 56.* cauſam hanc reddit, quod Serapis ſeu Oſiris, & Harpocrates, quorum effigies in altera nummi facie conſpici exiſtimat, cuncta deſignent numina; Iſis certe nullum non (ut loquitur) Deum agat: in quam rem locum Apuleji *Metamorph. Lib. XI.* & *Inſcriptionem Capuanam* adducit; nummum etiam Rigordi huc trahit, in quo Iſidis figura extet, adſcriptis verbis: ΘΕΟΥ ΠΑΝΟC, quibus Lunam denotari autumat; in adverſa autem parte tripodi impoſitus cancer, vel ſcarabæus, cantharus, ſtipes, lucerna, aut ciſtula quædam, aut utricularis tibia, quod inſtrumentum muſicum paſtoritium Gallis *muſette*, nobis Sackpfeiffe dici ſolet, (tot enim conjecturis *p. 57. ſeqq.* indulget) conſpiciatur. Conſecrationis non fallax documentum in eo *aquilam* eſſe, Jovis alitem & avium regem, ſtatuit, cujus in aliis nummis

reperiantur ſymbola, *fulmen, columna, pulvinaria, aræ, templa, thenſæ.* Originem autem conſecrationum *cap. I. & V. p.* 56. ex paradiſo accerſit, & iſtis ſerpentis verbis *Gen. III*, 5: *Eritis ſicut Dii.* Hanc enim primorum parentum animis inſtillatam φιλοθεότητα tranſiiſſe ad poſteros, ad Reges & Principes maxime, quibus ſubditi ex adulatione divinos tribuere honores ſueverint. Proprior conſecrationis ortus deducitur ex conſuetudine Græcorum, qui viris de republica bene meritis ἡρωικὰς τιμὰς decreverint: unde nata publica Cæſarum ἀποθέωσις, ut *Romuli* apud Romanos, *Nabuchodonoſoris* apud Babylonios, *Alexandri Magni* apud Græcos. Cum hoc poſtremo multa communia habuiſſe Hadrianum, *cap. II. & III.* tradit, & parallelismum utriusque inſtituit. Vanta autem ambitione Hadrianum fuiſſe narrat, ut cum Jove nomen commune *Olympii* ambiverit: quod in nummo quodam ex Italia ſibi a Wittio miſſo, reperiri teſtatur, ſed quem νοθείας vitio laborare oſtendit, eujus in locum poſtea ex Hollandia alium eumque genuinum ab eodem Wittio ſibi miſſum, in *Appendice* Diſſertationi ſubjecta Autor indicat. Pluribus igitur aliis argumentis, cumprimis operibus magnificis & templis gloriæ ac æternitati ſuæ conſtructis, quæ in nummis conſpiciuntur, divinitatem ab Hadriano affectatam fuiſſe demonſtrat: cujus haud leve etiam documentum ſit equus ipſius *Boryſthenes*, poſt mortem honore inſolito affectus, cujus monumentum, inſcriptionemque ei impoſitam, & nummum memoriæ eius factum (ſed quem genuinum eſſe ipſe Autor ambigit) profert. Conjugi Imperatoris *Sabinæ* conſecratæ nummum in Triſtani opere reperiri *cap. IV.* indicat: & ob mores auſteros, ſuſpicionesque varias, Imperatori minus gratam fuiſſe eam monet. Nimium erga Antinoum amorem Hadriani, & inde ortos rumores ſiniſtros, ejusque in flumine Nilo interitum, varia fama dilatum, ſecutamque conſecrationem, qua inter cœleſtes imagines in orbe Lunæ cum Endymione collocatus fuerit, eique Hoſtilius Marcellus ſacerdos lectus, *cap. V.* exponit: ubi &, cauſas poſtquam attuliſſet, cur *pantheum* nummum hunc vocaverit, ſupra recenſitas, de characterum iſtorum L. I H. aquilinis expanſis alis ſubjectorum ſignificatione diſquirit *p.* 65. *ſeqq.* ac aliorum conjecturis hanc præfert, ut per L. λυκάβαντα, hoc eſt, *annum* & per IH. *octavum & vigeſimum* numerum deſignatum fuiſſe doceat. Ita etiam vocem iſtam uſurpatam reperiri in Græca quadam Inſcriptione me-

metrica, quæ ſeptem hexametris abſolvitur, a puero ſeptenni ſcripta, & a doctiſſimo Fabretto Roma Autori miſſa, quam affabre exſculptam *p.* 68 ſiſtit, & Latine *p.* 69. redditam obſervationibus illuſtrat.

Præter has obſervationes, ad Græcas Romanasve antiquitates quæ ſpectant, ex hac Diſſertatione eum fructum capimus, ut intelligamus, quid in hoc literaturæ genere expectandum ſit iſtis, qui eo capiuntur. Ac de Hadriani vita e nummis antiquis illuſtrata commentarium *Præfecti Gazophylacii regii* ſub finem Præfatio promittit. A celeberrimo viro *Jo. Georgio Grævio* libros *Franciſci Junii* de pictura veterum Amſtelodami A. 1637 editos, infinitis acceſſionibus auctos, & cum non edito hactenus commentario de vitis & operibus pictorum & ſtatuariorum veterum ab heredibus Junii impetrato, ſperare nos *p.* 31. jubet. *Nicolai Bergerii* librum de viis magnis Romanorum cum *Itinerarii Antonini* tabulis Peutingerianis *p.* 31. *Caroli Cæſaris Bandelotii de Dairval* commentarium de utilitate & commodis, quæ ex peregrinatione Antiquitatum ſtudioſi conſequuntur, (a nobis *anno* 1688. *menſe Febr. p.* 116. recenſitum) eruditis plurimis obſervationibus ſecunda editione locupletiorem futurum, *p.* 31. M. Aurelii Antonini vitam & res geſtas variis nummis a *Theodorico Bignonio* illuſtratas *p.* 47. 48. Muſeum San Genovefianum, quod *Claudius Molinetus* Canon. Reg. S. Aug. adornaverat; a *Nicolao Safrebaſſio* in lucem proferendum *p.* 51. 52. *Raphaelis Fabretii*, quem Pontificis Alexandri VIII. libellis ſupplicibus præfectum eſſe indicat, Muſeum Urbinas *p.* 69. *Lloydii* chronologiam *p.* 72. *Toynardi* de nummis Græcorum commentarium *p.* 73, nec non Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi *Spanhemii* de præſtantia & uſu numiſmatum opus eruditum, novis Diſſertationibus auctius proditurum eſſe *p.* 55. certiores nos reddit. Quæ ut ſingula avide expectamus, ita Spanhemiana ab induſtria & nobis & literato orbi præclara & eximia omnia pollicemur.

EXPLICATION D'UN ANCIEN MONUMENT trouvé en Guienne dans le dioceſe d'Auſch.

id eſt,

Explicatio veteris monumenti, quod repertum eſt in Aquitaniæ Dioeceſi juxta civitatem Auſciorum.

Pariſiis apud Dan. Horthemels 1689. in 4.
conſtat plagulis 9 & figura ænea.

Sepul-

SEpulchrorum veterum, & in iis factorum monumentorum imaginibus exhibendis complures Scriptores integra volumina impleverunt; neque tamen ſtudium iſthoc ita exhauſerunt, quin multa conſpectum iſtorum fugientia, & vel terris obruta, vel undis ſubmerſa, vel alio caſu abſcondita, poſterorum induſtriæ ſcrutanda & oculis luſtranda relinquerent. Tale illud eſt, quod idem *Nicaſius*, qui enarratam modo de *nummo Pantheo* Diſſertationem evulgaverat, antiquitatis perſcrutandæ ſolertiſſimus Gallus, Auſchæ inventum & commentariolo explicatum Diœceſeos iſtius Archiepiſcopo obtulit. Refert iſtud cordis imaginem literis D. M. inſertam, & adſculptos habet varios iconiſmos Geniorum lampadas ferentium, noctuarum, roſarum, vitis item ac hederæ palmitum, ſuppellectilisque ſacrificiis faciendis idoneæ, & adſcripta habet verba:

HEDVNNIAE HER
MIONES FEMINAE
RARISSIMAE CON
JVGI INCOMPARAB
AEMILIUS FRONTO
MARITVS ET POMPE
IVS LEPIDVS FILIVS

Non pro cenotaphio ſeu tumulo honorario, ſed vero ſepulchro agnoſcit iſtud Autor, a marito & filio præſtantiſſimæ feminæ *Hedunniæ* ſtatutum, & omni cultus genere exornatum: ut *Pantaphium* ſeu *Pantheum* dici mereatur, eo loquendi genere, quo nummi etiam *panthei* dicti fuerint; qualem Adriani iſtum fuiſſe, in Diſſertatione modo memorata oſtendiſſe ſe affirmat. Locum, in quo repertum eſt hoc monumentum, qui eſt pagus S. Amandi prope civitatem Auſciorum (*cap.* 1.) materiam, quæ eſt marmor, magnitudinemque ſeu capacitatem, (*cap.* 2,) tempus, quo extructum conjicit, inter Conſtantini & Gordiani Impp. imperium, adeoque ſeculo tertio (*cap.* 3.) nomina Hedunniæ, quam Hermiones libertam fuiſſe exiſtimat, Frontonis item ac Æmilii & Lepidi (*cap.* 4.) explicat. De Diis manibus, quos pro bonis geniis habitos fuiſſe exiſtimat, qui adverſa omnia & mala averruncarent, & dictos putat, quod ex iis omnia tam proſpera quam adverſa *manarent*, (*cap.* 5.) de corde amoris ut ſede ita & imagine (*cap.* 6.) de noctua, virtutum ac prudentiæ ſigno (*cap.* 7.) de roſis, quæ venuſtatem feminæ, ſimulque fragi-

ſragilitatem, ac brevitatem miſeriamque vitæ humanæ denotarent, undique adverſitatibus, ceu roſa ſpinis, circumſeptæ, (*cap.* 8. de querna & hederacea fronde patientiam in calamitatibus innocentiamque, ac immortalitatem, ſimul amoris conjugalis conſtantiam ſignante, (*cap.* 9.) de herba Nymphæa ſanctitatis maritalis indice, (*cap.* 10.) de Genio alato, ardentes in manibus faces geſtante, (*cap.* 11.) de ſacrificiorum in nuptiis & funeribus uſitatorum inſtrumentis, malleo & ſecuri, queis porca cædebatur, (*cap.* 12.) de clypeo, Nobilitatis inſigni, qua Æmilius Fronto & filius ejus Pompejus Lepidus, in monumento nominati, fuerunt gaviſi, & arcu, velocitatis vitæ hujus ſigno, (*cap.* 13.) de coronis & lemniſcis invicem connexis, conjunctionis arctiſſimæ ob virtutem contractæ, floribus item fragilitatis humanæ ſignis, (*cap.* 14.) diſſerit.

DAVIDIS HUGUENINI CHRISTIANUS RATIOCINANS.

Lugduni Batav. apud Jordan. Luchtmans, A. 1690. in 8.
Conſtat plagulis 20.

HErmannus Alexander Roell, Theologiæ Profeſſor Franecqueranus e Carteſii & Cocceji ſchola, alibi in Actis noſtris memoratus, duas theſes propoſuerat, atque in una *Filium DEI ſecundam Deitatis perſonam improprie dici genitam* aſſeruerat, in altera *mortem temporalem etiam fidelium a peccato, & aliquam peccati pœnam eſſe* tradiderat. His ſe ſtatim opponens Collega ejusdem *Campegius Vitringa*, non ignotus quoque in Actis vir doctus, in Diſputatione quadam iſta inaudita in Eccleſia Reformata dogmata pronunciaverat, variisque abſurditatibus quas ſecum traherent, urſerat, contrarias autem ſententias defenderat, & *generationem Filii DEI ab æterno propriiſſime enunciari*, & *mortem temporalem fidelium pœnam proprio ſenſu non eſſe.* Quæ refutatio excitavit *Roellium*, ut diſſertationem aliam conſcriberet publicaretque, qua ſuas theſes plenius explicaret & contra adverſarium collegam tueretur. Hic vero mox epilogum Diſputationis a ſe habitæ edidit, in quo Roellio novitatem & abſurditatem theſium exprobare continuavit. Poſteriora iſta duo ſcripta A. 1689. edita ad manus noſtras pervenerunt, in quibus diſceptantes inter ſe Viri docti perſpicue ſuas ſententias argumentaque protulerunt. Iis autem ſupervenit extraneus Theologus *David Hugueninus* in Academia Duisburgenſi Profeſſor, ſuppetias fe-

rens communi doctrinæ in libello, cui titulum fecit *Chriſtiani Ratiocinantis.* Partitus hic eſt opuſculum in tres Sectiones.

In Sectione prima eaque brevi vindicat principium, quod Roellius ſubſtravit ſuæ Diſſertationi, non niſi clare & diſtincte perceptis aſſentiri nos oportere; id concedens, ſi in hunc canonem redigatur: *Quicquid immenſitati ſive æternitati repugnare clare & diſtincte percipitur, illud eſt de Deo omnino negandum.* Et contra: *Quicquid illi non repugnare clare & diſtincte percipitur, illud eſt de DEO omnino aſſerendum.*

In ſecunda Sectione prolixiore orthodoxiam receptam aſſerit contra argumenta adverſarii, quæ duo eſſe ait principalia. Prius: *Generationem improprie dictam DEO tribui; Ergo generationem proprie dictam non eſſe in DEO.* Hoc merum ſophiſma eſſe dicit, multa, tum circa conſequentiam, tum circa antecedens, monens. Et cum probaſſet *Roellius* antecedens, generationis vocem ex uſu communi notare productionem rei nondum exiſtentis ex materia & ſemine per varias diſpoſitiones, illam ad Deum translatam non poſſe non improprio ſenſu intelligi; reſpondet *Hugueninus*, Roellium, dum hanc generationis ideam traderet, non cogitaſſe de anima rationali circa generationem hominis: Et uti omnis realitatis vera & ſumma idea, in ſolius Dei perfectionis idea ſit: ita & generationem in Deo eſſe maxime veram & propriam. At, inquit adverſarius, Theologi generationem Filii divinam vulgo appellantes hyperphyſicam, eo ipſo tollunt ideam generationis proprie dictæ. Regerit Noſter, poſſe nos carere appellatione hyperphyſicæ generationis; alias enim omnes, quæ de Deo dicuntur perfectiones, etiam hyperphyſicas dici debere, quas ſufficiat tamen vocari divinas.

Poſterius argumentum principale eſt: *productio perſonæ vere divinæ ideam Deitatis evertit; Ergo productio talis non eſt in DEO.* Antecedens probat; quia perſonam divinam produci, dicit illam poſteriorem eſſe, non æternam eſſe, aut aliquando non fuiſſe. Cujus argumenti antecedens Hugueninus aggreditur, *Primo* errorem ipſum refutando, dicens, in naturalibus valere, non idem procedere in infinita & æterna Deitate. *Secundo* erroris fontem detegendo, quod Roellius clare & diſtincte percipere ſe non poſſe opinetur productionem absque mutatione & ſucceſſione. *Tertio* tandem claræ & diſtinctæ perceptio-

ceptionis viam, quam ſequi debuiſſet, monſtrando, in qua potuiſſet invenire, æternitati productionem ſui ſimilis non repugnare.

His præcipuis rationibus ſolutis, exiſtimat *Huguenius*, argumenta reliqua Roellii facile expugnari. Ea autem ad *quatuor dilemmata* redigit. *Primum* eſt: Generans perſona in actu generandi, perſonam divinam, quam gignit, ſibi repræſentat aut tanquam exiſtentem, aut tanquam non exiſtentem. Si ut non exiſtentem, producet eam ex nihilo, uti creaturas: ſi ut exiſtentem, generare eam & producere non poteſt. *Reſpondetur:* a phantaſmate animæ generantis ad DEi puriſſimi & ſimpliciſſimi generationem male concluditur. Genitura DEi eſt ipſius τῦ intelligere productio ſive ſapientia, vel in Deo ſui ipſius idea, εἰκὼν & χαρακτήρ: quin proprie loquendo eo ipſo, quod Patri obverſatur, illum generat, & eo ipſo generatus eſt, quod eſt Patris idea, εἰκὼν & χαρακτήρ. Deinde obſervatio iſta cum exiſtentiæ vel non exiſtentiæ ἀμφιβολία non connectitur. Affinguntur ſic momenta æternitati. *Alterum dilemma:* Perſona divina perſonam divinam generare perhibetur communicando eſſentiam ſuam. Iſta perſona aut exſtitit, cum illi communicaretur eſſentia divina, aut perſonalitas ſimul cum eſſentia fuit communicata. Si extitit, caruit eſſentia ante communicationem. Ergo perſona divina non fuit, & cum non eſſet, divina perſona facta eſt. Fuit nihilominus aliquid, ſi quid illi communicari potuit. Si per productionem perſonæ ſimul eſſentiam communicatam eſſe dicimus, ſequitur eſſentiam divinam generare, generari ac produci, quæ aſſertiones abſurdæ ſunt Theologis. *Reſpond.* verbum communicare, (uti dare, conferre, impertiri,) eſt generale, & de omnis rei, etiam de ipſius *eſſe* collatione uſurpatur. Produci vel generari divinam eſſentiam, abſolute dici non poteſt, ſed primam perſonam, gignendo ſecundam, ipſi divinam eſſentiam eandem communicaſſe, & actu Deitatis naturali & æterno eſſentiam divinam perſonam ipſam in eadem eſſentia genuiſſe, aſſerunt orthodoxi. *Tertium dilemma:* Si Pater in divinis Filium generavit emanando, vel ſimul fuit gignens & genitus, cauſa & effectus; vel genitus fuit poſterior eo, a quo tanquam cauſa emanavit. Non priori modo, quia talis emanatio non eſt generatio, hoc eſt productio perſonæ, ſed coexiſtentia duarum perſonarum: non poſteriori ratione; nam perſona divina nihil prius, ejusque nulla eſſe cauſa poteſt, *Reſp.* Membra dilemmatis accurate non opponuntur. Etenim in omni

 ema-

emanatione producens & productum ſimul ſunt duratione, & productum tamen poſterius natura & ordine. Generatio talis per emanationem non tantum coexiſtentia eſt, ſed ſimul proceſſio: uti Soli lumen coëxiſtit, ſed cum proceſſione ab eo; uti animæ cogitatio coexiſtit, ſed cum proceſſione. Perſona gignens eſt prior genito, non neceſſario duratione, ſed naturae ordine. Qui plus infert, generationem divinam metitur juxta modulum anguſtum generationis humanæ.

Quartum dilemma: In perſonam divinam potentia generandi nec activa, nec paſſiva cadit. Ergo nec generare, nec generari poteſt. Non activa, cum generare perſonam divinam ſit producere aliquid independens; at quod producitur, dependet a producente tanquam exiſtentiæ ſuæ cauſa: Nec paſſiva, quia perſona divina ab æterno, & neceſſario, atque adeo a ſe eſt, neque produci ab alio poteſt. *Reſp.* Terminis potentiæ activæ & paſſivæ hic melius abſtinemus, quam eos uſurpamus. Filius eſt a Patre quoad eſſe & operari; ſi dependere dicas, vox dura & forenſis ſano ſenſu accipienda erit. Filius *qua filius*, aut quoad ὑφιςάμενον, eſt neceſſario a Patre; *qua DEus*, eſt neceſſario a ſe, ſive αὐτόθεος. Quam diſtinctionem, *quatenus DEus*, & *quatenus Filius*, a Calvino, Zanchio, Polano, Danæo, Gomaro, Trelcatio, Voetio & aliis adhibitam, multis inſtantiis aggreditur Roellius, quas Noſter refellit.

In Tertia Sectione ad propriam adverſarii ſententiam accedit examinandam; & quidem *Primo* illam diſcutit, quæ eſt: *Generationem in DEO nihil aliud eſſe, quam tum communionem unius eſſentiæ, aut coëxiſtentiam perſonarum in illa, tum illius communionis aut coëxiſtentiæ manifeſtationem in mundo.* Quam aſſertionem ait Roellius convenientem eſſe tum Scripturæ, tum fidei analogiæ, tum naturæ rei. Contra pugnat Hugueninus, Scripturam, nominando Filium DEI, Patris Filium unicum, proprium, Filium, quem genuit, qui omnia habet, quæ Pater, Filium Dei æque proprie ac filium hominis, ſignificare ante coexiſtentiam productionem generativam. A Roellio Proverb. 17, 17. inſufficienter & fruſtra allegari, cum in eo nihil de coexiſtentia, neque de manifeſtatione habeatur: nam intelligi ibi quemvis amicum certum, qui providentia divina יולד *natus eſt*, ut ſit loco veri fratris in neceſſitate. Pro analogia fidei nimis generalem eſſe rationem a conſuetudine Scripturæ, quæ improprie de DEo & perſonis divi-

divinis loqui ſoleat; nec quicquam urgere, quod dicat, aſſertionem ſuam inniti veritatibus immotis his: ſecundam perſonam eſſe vere divinam, hoc eſt, verum & ſummum Deum, atque adeo αὐτόθεον (Deum a ſe,) & hinc independentem in exiſtendo & operando ab omni cauſa extranea, & porro æternam & primo coæternam, denique quoad omnia, quæ ad ſummam perfectionem requiruntur, illi æqualem. Nam & hæc per generationem æternam non everti, ab adverſario autem notionem Patris & Filii rectam non attingi. Id tandem, quod ajat, ſe convenientiſſime naturæ rei docere, non ſtatuendo eſſentiæ communicationem, nullam divinæ perſonæ productionem, nullam dependentiam, nullamque omnino imperfectionem, ſed perfectam naturæ divinæ communionem, & perſonæ divinæ æternam & neceſſariam exiſtentiam & ſummam perfectionem, nulla peculiari reſponſione indigere, cum ex ſupra diſputatis conſtet, ab adverſarii ſententia deſtrui generationem de Filio θεοπρεπῶς dictam, quæ notet in Deo perſonæ propriiſſime & perfectiſſime ſimilis productionem. *Secundo* conformitatem cum orthodoxis, ad quam provocat *Roellius*, nullam eſſe monſtrat. *Tertio* monet, faſtuoſe commendari ſententiam ſuam a Roelliio, quod Trinitatis Sacroſanctæ hoſtibus anſam cavillandi præcidat, & errandi occaſionem omnem tollat. *Quarto* difficultates, quas ſibi objici noverat *Roellius*, atque removere ſollicitus fuit, expendit, atque ſolutiones factas rejicit *Noſter*. Inter illas difficultates palmaria erat iſta: Si nihil aliud quam perfectiſſima ejusdem naturæ communio & æterna perſonarum coexiſtentia ſtatuatur, tolli perſonarum diſtinctionem, & characteriſticas, quibus dignoſci poſſint, proprietates. Ad hanc *reſpondet Roellius:* nomina Patris, Filii & Spiritus S. quibus perſonæ alias diſtingui ſolent, eſſe duntaxat œconomica, quibus ſe in operibus perſonæ divinæ manifeſtaverint. *Regerit Hugueninus:* hoc non ſufficere, & præter alia abſurda etiam hoc ſecum trahere, nullam eſſe in ipſa deitate rationem, quare Pater prima perſona ſit, Filius altera, Spiritus S. tertia. *Quinto* tandem rationis humanæ in Scriptura S. verius illuminatæ ſpecimen ſubjungit, quod doceat juxta notiones finitorum non eſſe menſurandum infinitum, ſed ideam infiniti in mente perpetuo habendam, qua bene perpenſa generare & generari non repugnare deitati deprehendatur.

Ita refutata opinione Roellii de generatione Filii, de *Quæſtione de morte fidelium temporali* judicium ſuum ſubnectit Hugueninus. Communis doctrina eſt: *Chriſtum paſſionibus & morte ſua Deo Patri ita perfecte ſatisfeciſſe, ipſumque nobis conciliaſſe, ut fide per ipſum juſtificati nulli plane reatui aut condemnationi ſint obnoxii: adeoque tribulationes, mortemque ipſam temporalem, non eſſe pœnam proprie dictam nobis ob peccata noſtra, tanquam non expiata eſſent, a Deo vindice, ſibi ſatisfieri volente, inflictam; ſed contra, clementes eſſe Patris Spirituum vias, nos ad ſanctificationem communionemque ſuam inducentis atque provehentis.* Roellius e contra ſentit: *Chriſtum quidem plene ſatisfeciſſe, ſed tantum pro æterna damnationis pœna; pro morte vero temporali & afflictionibus hujus vitæ non item: quippe ſi id voluiſſet, illis non eſſemus nunc obnoxii: adeoque & illas nobis ob peccata noſtra, ab ultore judice Deo, in ſatisfactionem aut pœnam proprie dictam infligi.* Quam aſſertionem Noſter probat evertere 1. DEI Patris prædeſtinationem, qua nos prædeſtinavit futuros conformes imagini filii ſui & perfectam in ipſo manifeſtato εὐδοκίαν: (2) DEI filii paſſi, mortui, reſuſcitati plenam ſatisfactionem & infinitam plenitudinem, perfectam in nos charitatem; (3) Spiritus S. cummunicationem intimam, inhabitationem, teſtimonium, efficaciam, conſolationem: (4) lætitiam certamque ſpem emerſuræ ſalutis & rependendæ gloriæ pro afflictionibus & tribulationibus, quibus crebris fideles in hac vita anguntur. Si roget adverſarius, cur nos Chriſtus ab æterna morte liberans, etiam a morte temporali, & ei annexis præeuntibusque amaroribus non abſolvat? multa ei reponit Hugueninus, ac inter alia & hoc, ut cum juſtificati a peccatis ſuis adhuc carnei maneant, homineque externo jugiter laceſſente lapſent, titubent, & ſæpe neſcii, ſæpe conſcii peccent atque cadant, ipſi variis amaroribus compuncti, excitati, ſicque ſenſim, etiam peccati conſcientia preſſi angantur, usque dum ad pœnitentiam perducantur, & ad eum amoris gradum reſurgant, ut ſcientes, tum ſe Deo acquieſcere & anniti ſupra omnia, tum ſe rurſus pacem conſcientiæ per Spiritus S. gratiam & virtutem indeptos eſſe, DEum glorificent.

DE

DE VERA SENONUM ORIGINE CHRISTIANA adverſus Johannis de Launoy Theologi quondam Pariſienſis criticas obſervationes Diſſertatio, autore D. Hugone Mathoud, Presbytero monacho Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Pariſ. apud Simonem La Gronne A. C. 1687. in 4. plagul. 51.

De primis Gallicarum eccleſiarum fundatoribus haud levis contentio inter ipſos Galliæ Doctores hoc ſeculo agitata fuit, e quorum numero *Johannes Launojus* vulgatas de ſedium in Gallia epiſcopalium natalibus traditiones variis opuſculis impugnavit. Fecit id imprimis in diſpunctione epiſtolæ, quam *Petrus de Marca* de tempore, quo primum in Galliis ſuſcepta eſt Chriſti fides, ad Henricum Valeſium ſcripſerat; item in tribus diſſertationibus, conjunctim editis, quarum prima Gregorii Turonenſis de ſeptem Epiſcoporum ſub Decii imperio in Gallias adventu teſtimonium; ſecunda Sulpicii Severi locum de primis in Gallia martyribus & religione trans Alpes ſerius ſuſcepta defendit; tertia, quid de primi Cenomanorum Antiſtitis epocha ſentiendum ſit, explicat: ut diſſertationem de ficto Lazari, Mariæ, Marthæ, Marcellæ & ſociorum in Gallias appulſu, ejusdemque diſſertationis adverſus Johannem Quesneum apologiam, & varia inſuper de duobus Dionyſiis opuſcula *Germano Milleto*, *Johanni Samblacato*, *Hugoni Menardo*, & *Petro Franciſco Chiffletio* oppoſita taceamus. Cum vero etiam Senonenſis eccleſiæ antiquitas & fama de Saviniano, qui a Petro miſſus hanc Galliæ metropolin fundaſſe perhibetur, periclitetur, ſi Sulpicii Severi ſententia a Launojo ſtabilita admittatur, & præterea Launojus in diſſertatione de Severi loco acta Saviniani authentica eſſe aperte neget, Mathoudius cum Launojo congrediendum ſibi cenſuit, ad quam pugnam ineundam ab Archiepiſcopo Senonenſi *Johanne de Montpezat* ſe incitatum, & a Decano Senonenſis capituli *Jacobo Boileau* literariæ ſupellectilis armis inſtructum refert, etſi ſe non tam contra ipſum Launojum, fatis ſuis jam defunctum, quam contra ejus diſcipulos aciem inſtruere profiteatur; ſiquidem cum Launojo, dum viveret, amicitiam coluerit, ejusque auxilio A. C. 1655. notas ſuas in octo libros

bros ſententiarum Roberti Pulli, una cum ſententiis Petri Pictavienſis in lucem dederit. Agnoſcit præterea inſignia Launoji in rempublicam literariam merita, id unice dolens, quod ſingularitatis ſtudio & altercandi libidine ea fere ſcribendi argumenta ſibi delegerit, quibus plerasque utriusque cleri ſocietates adverſus ſe irritaverit.

Rem ipſam ſic aggreditur, ut primum natales Senonenſis eccleſiæ exponat. Refert igitur, Savinianum & Potentianum cum Altino in Gallias a Petro Apoſtolo miſſos Senonas petiiſſe, per agrum Vaſtinenſem tranſeuntes diem Chriſti natalitium celebraſſe, & ob viſionem Chriſti in cunis vagientis oratorium Bethlehemi nomine inſignitum in Chriſti nati, Matrisque Deiparæ cultum conſecraſſe. Altino hic relicto, Savinianum & Potentianum Senonas ſe contuliſſe, & in eo ſuburbii loco, qui Vivus dicitur, a Victorino quodam hoſpitio exceptos Victorini familiam ſalutaribus aquis tinxiſſe, & alios duos viros Serotinum & Eodaldum ad ſacrum miniſterium ordinaſſe; Savinianum his auſpiciis lætum urbis mœnia impreſſo circumquaq; crucis ſignaculo obiiſſe, & ſaxorum rigorem tangentis digito ceſſiſſe, eaque ſtigmata, quæ Nicolaus de Lyra in Obadiam ſcribens a ſe viſa teſtatur, diuconſpicua manſiſſe, in vico, cui Vivo nomen, eccleſiam Salvatori, etſi hodie a Saviniano nomen ſortiatur, dedicatam, paulo poſt ad Petri & Pauli monitum eccleſiam S. Petri Vivi ibidem erectam fuiſſe, quam poſtea Clodoveus Francorum Rex cum Theodechilde filia, majori ambitu, regia dote, & inſigni monachorum ſodalitio decoraverit. Diſperſis in urbes vicinas ſociis, Savinianum autem Senonas manſiſſe, in eaque urbe inſigne gentilium templum ſolo nutu diruiſſe, ejusque loco tres ſibi cohærentes eccleſias ſub nomine Deiparæ Virginis, Chriſti præcurſoris, & Protomartyris Stephani ædificaſſe; Potentianum a Saviniano digreſſum apud Aurelianenſes, Carnotenſes, Pariſienſes & Trecenſes Chriſtianam religionem propagaſſe, Savinianum autem poſt multa præclare geſta coram Severo judice accuſatum, virgis & plumbatis cæſum, carceri incluſum, & morti denique devotum, cum duceretur impetrato orandi ſpatio in obviam Salvatoris eccleſiam ſeceſſiſſe, & in intimis ejus receſſibus Synaxin egiſſe, at lictores moræ impatientes in cryptam irruiſſe, & ſanctum Antiſtitem enſe & ſecuri bis in vertice percuſſum occidiſſe, ejusque corpus in eadem crypta ad tempora usque Venilonis Senonum

nonum Epiſcopi requieviſſe. Hanc Senonenſis eccleſiæ originem ut veram eſſe probet, ad traditionem primum provocat, quam ex actis paſſionis Saviniani, nec non ex actis martyrii S. Sanctiani, Columbæ & Beatæ confirmat. Idem probat ex inſtrumento fundationis monaſterii S. Petri Vivi, quod a falſi ſuſpicione contra *Sirmondum, Hadrianum Valeſium, Cointium, Mabillonium, Papebrochium, Fratres Sammarthanos, Labbeum* & alios diluere conatur. Nova argumenta depromit ex antiquis inſcriptionibus in Senonenſium eccleſia inventis, & ex variis martyrologiis editis & MSCtis, quæ Savinianum Apoſtolorum ævo ad Senonas miſſum atteſtantur. Cum vero Launojus a Galliarum eccleſiis circa Caroli M. tempora ſynchroniſmum apoſtolicum affectatum paſſim ſcribat, nonnihil operæ impendit diſſertationis hujus Autor, ut hoc aſſertum falſum eſſe convincat, & præterea ex ipſo Launojo nonnulla colligit, quæ ſuæ de Saviniani epocha ſententiæ favere arbitratur, & Sulpicio Severo, qui ſerius in Gallia Chriſti fidem ſuſceptam ſcripſit, plures alios opponit antiquos pariter & recentiores, quibus ipſa quoque Scripturæ teſtimonia de Evangelio per totum orbem Apoſtolorum ætate annunciato ſubjungit, variasque rationes ſuperaddit, quibus Galliam ſub ipſa naſcentis eccleſiæ Chriſtianæ incunabula Evangelii luce colluſtratam probat. Poſtremo ad ea reſpondet, quæ contra Saviniani acta a Launojo objecta fuerant. Veritati iſtorum actorum id minime obſtare aſſerit, quod autorem anonymum habeant. In genuinis Saviniani actis primatus nullam mentionem fieri obſervat, ideoque Launojum fruſtra urgere, quod Senonenſibus Epiſcopis primatus dignitas ante Johannis VIII Pontificatum non conceſſa fuerit. Ex ordine Sanctorum in Litaniis certum de tempore, quo vixerunt, judicium fieri poſſe negat, & Manuali Senonenſi, quod A. C. 1555 prodiit, alios codices opponit, in quibus Savinianus ſtatim poſt Stephani nomen legitur. Quod Savinianus in collegio 70 Chriſti diſcipulorum non fuerit, ex Scripturæ & Dorothei ſilentio minime concludi poſſe ſtatuit. Quod plures eccleſiæ epiſcoporum ſuorum ſeriem non tam plenam & perfectam exhibere poſſint, quin magni hiatus, præſertim in primis a Chriſto nato ſeculis deprehendantur, Diocletianeæ perſecutioni tribuit, in qua eccleſias ad ſolum usque dirutas, & ſacros libros flammis combuſtos conſtat. Addit quod ob atrociſſimas perſe-

cutiones ſæpe vix inventi fuerint, qui ſe ad ſacras infulas rapi ſinerent, & præterea gentiles haut raro, ne novus epiſcopus eligeretur, prohibuerint. Locum Gregorii Turonenſis, quem Scriptori huic ab alio aſſutum ſuſpicatur, Saviniani epochæ non obeſſe pronunciat, cum inter epiſcopos, quos ſub Decio in Galliam miſſos ex actis Saturnini Gregorius ille refert, Savinianus non compareat. Varia deniq; contra Sulpicii Severi locum excipit, eumq; tanti non eſſe ſcribit, ut propterea quisquam de apoſtolico Saviniani ſynchroniſmo dubitare debeat.

In appendice duæ aſſertiones *Elliet du Pin* ad examen revocantur, ex Bibliotheca, quam Gallice ſcripſit. Scriptorum eccleſiaſticorum excerptæ. Una Dionyſium Areopagitam concernit, quem Dupinius a Pariſienſi diſtinguendum probat. Altera verſatur circa vexatum illum Gregorii Turonenſis locum. Cum enim ex iſto loco Launojus Cypriani epiſtolam de Martiano Arelatenſi pſeudepigrapham eſſe ſtatuerit, argumentum illud Dupinius nullius ponderis eſſe exiſtimat, ſiquidem autor vitæ Saturnini tantum dixerit, Saturninum ſub Decio Toloſam miſſum, eaque occaſione Gregorius Turonenſis ſeptem alios epiſcopos in Galliam miſſos recenſuerit, e quibus forte nonnulli, & in his Trophimus quoque Arelatenſis, citius quam ſub Decii imperio in Galliam advenerint. In hiſce Dupinii aſſertionibus varia Mathoudius reprehendit, & illud maxime, quod ex illo Gregorii loco Dionyſium Pariſienſem Areopagita juniorem eſſe probet, & tamen poſtea in vindicanda Cypriani epiſtola, Gregorianum illum locum ipſe labefactet.

CATALOGUS ARCHIEPISCOPORUM SENONENSIUM ad fontes hiſtoriæ noviter accuratus autore HUGONE MATHOUD, Presbytero Monacho Ord. S. Benedicti e Congr. S. Mauri.

Pariſ. apud Simonem La Gronne via Victorini ſub Sole Oriente, 1688. in 4. plag. 28.

DIſſertationi de vera Senonum origine Chriſtiana, hunc Senonenſium Archiepiſcoporum catalogum, velut alteram partem attexere voluit Mathoudius. Quamvis enim *Claudius Robertus*, & *Fratres Sammarthani* in Gallia Chriſtiana, aliique Scriptores, in recenſendis Senonenſibus Archiepiſcopis jam occupati fuerint, operæ

tamen

tamen pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi denuo Antiſtitum illorum catalogum contexeret, cum præſertim monumenta quædam nactus fuerit, quæ chronologiæ Senonenſium Præſulum non exiguam lucem afferre poſſint. Præ cæteris commendat autographum volumen *Gaufridi a Collone* Monachi S. Petri Vivi, e cœnobii Viviani ruderibus A. C. 1656 erutum. Profitetur tamen, chronologiam Epiſcoporum Senonenſium, qui tribus primis ſeculis eccleſiæ illi præfuerunt, tam certam non eſſe, ut ejus ſponſor eſſe velit. Incipit a Saviniano, quem a Petro in Gallias miſſum iterum contendit, & progreditur usque ad præſentem Senonenſis eccleſiæ Archiepiſcopum Harduinum Fortin de la Hoguette. Appendicis loco huic Senonenſium Epiſcoporum hiſtoriæ ſubjicitur apologia pro Leotherico Senonenſi Archiepiſco, quem *Baronius* in annalibus ſuis hæreſeos accuſavit, quaſi Berengario & aliis Sacramentariis facem prætuliſſet. Helgaldum a Baronio non recte intellectum arguit Mathoudius, nec ullum objecti criminis veſtigium apud alios Scriptores deprehendi notat. Agnoſcit nonnulla Fulbertum Carnotenſem in Leotherico reprehendiſſe, verum quod hæreſi illa Leothericus infectus fuerit, a Fulberto nusquam ſcribi dicit. Quod autem Leothericus purgationem per Euchariſtiæ Sacramentum Roberto Regi indixerit, minime mirandum eſſe docet, cum nonnulli Pontifices Romani, plurimique Epiſcopi iſtud juramenti genus vel aliis injunxerint, vel ipſi uſurpaverint; cujus rei exempla varia producit.

JOANNIS COMMELINI CATALOGUS PLANTARUM Horti Medici Amſtelodamenſis. Pars prior.

Amſtelodami, ex typographia Commeliniana, ſumptibus Arnoldi Ooſaen, 1689. in 8. Plag. 24.

NOn ignobile in his Actis noſtris nomen eſt *Joannis Commelini*, Amſtelodamenſis Reipublicæ Senatoris ampliſſimi, Botanici excellentiſſimi; quippe cujus *Catalogum plantarum indigenarum Hollandiæ* A. 1683 editum, jam in Actis illius anni, menſe Decembri, pag. 517 recenſuimus; operam vero ac ſtudium, quod poſt *Dn. Henricum van Rhede tot Draakenſtein*, exornando *Horto Malabarico* impendit, in Actis A. 1684, menſe Aprili p. 161, iterumque A. 1688, menſe Septembri p. 479 ex merito laudavimus. Præſens vero hoc

Opus tardius ad nos, nec niſi ante paucos dies pervenit, ex Belgio benevole transmiſſum, nec adhuc in officinis librariis noſtris proſtrat; de quo proinde, ne utiliſſimi iibri notitia Botanophilis diutius carendum ſit, ſine mora, dum ſeptimam hanc Supplementorum Sectionem in lucem extrudimus, pauca nobis erunt dicenda.

Cum poſt everſum ob urbis ampliationem priorem Hortum Medicum, ante annos aliquot novum adornare Ampliſſimo Senatui Amſtelodamenſi viſum eſſet, ejus rei cura Duumviris ſpectatiſſimis, *Joanni Huidekoper*, Equiti, Toparchæ in Maarſeveen & Neerdyk, Conſuli & Senatori, atque *Commelino* noſtro fuit commiſſa. Iſti vero tam gnaviter ſtrenueque munere illo defuncti ſunt, ut loco omnino paludoſo cultiſſimus emerſerit Hortus, quodque merito mireris, intra quadriennii ſpatium tanta omnis generis & rariorum præcipue, tum indigenarum tum exoticarum plantarum copia fuerit exornatus, ut nulli hodie ſecundus ab incolis, accolis & advenis ſumma cum delectatione perluſtretur. Unum deerat, Catalogus nempe plantarum (quali Hortum Medicum Lugduno-Batavum clariſſimus *Hermannus* A. 1687, ut in Actis illius anni pag. 245 a nobis memoratum eſt, cum omnium applauſu illuſtraverat) multorum votis deſideratus; quem componere tandem, qui huic rei, quod plantas ipſe comparaſſet, digeſſiſſet, excoluiſſet, maxime idoneus erat, *Commelinus* noſter aggreſſus eſt, felicique ſtudio abſolvit; etſi prima tantum parte publici hactenus juris facta. Ordinem in eo ſecutus eſt celeberrimi *Raji*, cujus in diſtinguendis, per genuinas naturalesque earum notas characteriſticas, plantis induſtriam non immerito laudat, neque nos in Actis A. 1687. p. 105, & Sectione II Supplementorum pag. 111. laudare non potuimus. Itaque ſecundum litteras Alphabeticas, ejusdem generis plantas conjungit, notasque characteriſticas ex Raji Hiſtoria Plantarum ſubjungit. Denominationes vero plerumque ex *Caſparo* & *Joanne Bauhinis*, *Jacobo Breynio*, *Paulo Hermanno*, *Piſone*, *Horto Malabarico*: Synonyma ex *Recchio*, *Cluſio*, *Dodonæo* recentioribusque aliis deſumit; Belgicis etiam nominibus prudenti conſilio ſubjectis. Sed, ut diximus, prima tantum pars prodiit: alteram vero eo avidius harum rerum curioſi expectaturi ſunt, quia illi plantæ plurimæ in Europa antehac non cognitæ, tam ex ſeminibus productæ, quam ex utraque India & aliis locis allatæ magnis-

gniſque ſumptibus excultæ, & iconiſmis fortaſſe) ut in Horto Lugduno-Batavo *Hermannus* fecit) repræſentandæ, ab Auctore ſunt reſervatæ. Dubium vero non eſt, quin honeſtiſſima inter peritiſſimos in Hollandia Botanicæ ſcientiæ viros, *Hermannum* & *Commelinum* æmulatio, qua ille Lugdunenſem, hic Amſtelodamenſem Hortum rariſſimis plantis inſtruere laborant, ad Hollandiæ decus & gloriam haud parum cum tempore ſit collatura. Denique ignorare Lectorem Benevolum nolumus, ſpem a *Commelino* in Præfatione factam, vaſtiſſimum illud *Horti Malabarici* Opus, in quo typis exſcribendo ultra duodecim jam annos deſudatum eſt, abſolutum propediem iri, duodecim tomos complexurum.

DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ TRACTATUS Mroalis, Autore Joanne Chryſoſtomo Philippino,

Venetiis, apud P. A. Brigoncium, 1688, in fol.

Continet Alph. 5. Plag. 3.

AUtor Operis hujus Clericus Regularis Theatinus eſt, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Inquiſitionis Veronenſis Conſultor. Disquiritur in eo, *quando quibusve in caſibus per ignorantiam a peccato quis excuſetur, nec non a cenſuris, a pœnis eccleſiaſticis, aut a gravamine alio ſpirituali vel temporali (cauſa ejusdem) liberetur.* Munitum Opus eſt Approbationibus tum Veronenſium, *D. Michaelis Angeli Abaci* C.R. Sacræ Theologiæ Profeſſoris & S. Officii Veronæ Conſultoris, ac *D. Auguſtini Ferri* Cler. Reg. S. Theol. Profeſſoris & S. Officii Veronæ Conſultoris; tum Romanorum, *D. Caroli Clodinii* Congreg. Cleric. Regul. Præpoſiti generalis, *D. Auguſtini Bonelli* Cleric. Regul. Secretarii; tum Venetorum, *Fr. Joannis Thomæ Rovetti* Inquiſitoris Generalis Venetiarum, & *Fr. Anaſtaſii Parenti* Reviſoris, triumque Studii Patavini Reformatorum ac Secretarii. Argumentum ipſum magno volumini materiam ſufficere potuiſſe, facile agnoſcent, qui in Morali Theologi vel leviter ſunt verſati: neque Autor perfunctorie id tractavit, ſed ſummo ſtudio, reſolutis tantum non infinitis caſibus, qui ſub examen venire trahive tali in opere mereantur. Quemadmodum vero ad duo ſumma capita referri omnia poſſe videntur, ut ignorantia, inconſiderantia, inadvertentia *invincibilis*, quia involuntaria, a peccato excuſare; *vincibilis* vero, quia ſaltem indirecte volun-

taria cenſetur, etſi peccati gravitatem minuat, prorſus tamen a peccato non abſolvere ſtatuatur: ita reſolvi pleraque in eam quæſtionem apparet, quænam ignorantia *invincibilis* proprie ſit dicenda. Qua quidem in re Autor noſter, *Privilegiis* nempe *Ignorantiæ* pro virili patrocinaturus, laxiorem potius & indulgentiorem, quam rigidum ſe vel in ipſa Præfatione, qua inſtituti ſui rationem reddit, exhibet. Nam cum multi, & fortaſſe ſaniores, ignorantiam vincibilem reputent, quoties quis, etſi ipſo actu malitiam objecti non conſideravit, potuit tamen morali potentia & debuit eandem conſiderare; Autor alios ſecutus, omnem ignorantiam pro invincibili habere videtur, quam nulla expreſſa ſeu actualis cogitatio aut conſideratio malitiæ moralis præceſſit. *Quare*, inquit, *ut aliquis peccet mortaliter, debet expreſſe advertere & conſiderare malitiam objecti, vel ſaltem habere aliquam dubitandi rationem aut ſcrupulum. Quod ſi nihil horum præceſſerit, ignorantia & inadvertentia ſeu oblivio cenſentur omnino naturalia & invincibilia.* Qualis hypotheſis annon quodammodo faveat novæ illi, ſed publice jam damnatæ de peccato philoſophico doctrinæ (de qua in Actis Eruditorum A. 1689. pag. 620, & A. 1690. pag. 329. & 502. ſeqq. diximus, & propediem in recenſu quartæ & quintæ Denunciationis hujus hæreſeos plura dicturi ſumus) diſpiciendum cordatioribus relinquimus. Diſpoſitio Operis hæc eſt, ut c. 1. de Privilegiis Ignorantiæ circa legem naturalem; c. 2. circa legem civilem; c. 3. circa legem Divinam & myſteria fidei; c. 4. circa legem eccleſiaſticam; c. 5. circa præcepta charitatis; c. 6. usque ad 13. circa præcepta decalogi; c. 14. usque ad 18. circa præcepta Eccleſiæ; c. 19. usque ad 26. circa Sacramenta; c. 27. denique circa varia, tractetur.

HISTOIRE DU MONDE, PAR M. CHEVREAU, i. e. Hiſtoria Mundi, auctore Domino Chevreau, ſecundum edita.

Pariſiis, apud Joannem Boudotium &c. 1689. in 12. T. V. cum indice locupletiſſimo. Conſtant plag. 111.

AUtor, vir multæ lectionis, Ludovico Auguſto Borbonio Duci Cenomanenſi. Ludovici XIV. Regis Galliæ filio naturali, a ſecretioribus mandatis eſt. Edidit opus hoc ſuum prima vice Pariſiis 1686, in 4, voluminibus binis. Sed præterquam quod Renaudoti ſuaſu pluribus

ribus

ribus in locis id emendavit, integro nunc libro auctius reddidit. Libro *primo* memorantur homines primævi, regesque Aſſyriorum, Medorum ac Perſarum. *Secundo* Monarchæ Græcorum, Macedonum, Syrorum, Ægyptiorum. *Tertius* orditur hiſtoriam Romanam ab Urbis incunabulis, ac pertingit ad mortem usque Domitiani. Inde usque ad Conſtantinum Palæologum Imperatorem ultimum Conſtantinopolitanum libro *quarto* pergitur. Liber *quintus* plane novus eſt, ac de Imperatoribus Occidentis agit. *Sextus* Arabum atque Turcarum geſta complectitur. *Septimus* de præcipuis quibusdam urbibus inſcribitur, Babylone puta, Nineve, Hieroſolymis, Athenis, Troja, Sparta, Roma, &c. *Sequentis* argumentum ſunt ſeptem mundi miracula, quibus *octavum* additur templum Hieroſolymitanum. *Ultimo* libro novum orbem ὡς ἐν τύπῳ ſiſtit Auctor, inter elegantiores merito ſuo reponendus. Hac ratione, ſtylo quidem conciſiori, attamen perſpicuo ſatis, potiores hiſtoriæ *ſacræ profanæ*, ac ſigillatim quoque *literariæ*, partes recenſuit. Ubi enim *epochæ* primariæ alicujus (nominetenus a nobis indicatæ) *periodum* quandam abſolvit, conquirit dein ac chronologico ordine enarratum ſubnectit, quicquid memoria poſteritatis dignum eodem tempore egerunt aut paſſi ſunt Reges, Duces, Virive præſtantiores in regnis illis, quibus aliquid negotii interceſſit cum monarchia, de qua libro iſto ſermonem ex profeſſo inſtituit.

PHILIPPI CYPRII CHRONICON ECCLESIÆ Græcæ, cum Commentariis Henrici Hilarii.

Lipſiæ, apud J. C. Wohlfart, 1687. in 8. plag. 43.

PHilippus Cyprius Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ante hos quadraginta, & quod excedit, annos, Protonotarius fuit, cujus nomen in Subſcriptionibus utriusque Synodi A. 1639 & 1642. contra Cyrillum Lucarim celebratæ legitur. Compoſuerat is *Chronicon Eccleſiæ Græcæ*, aut ſi mavis Catalogum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum; qui libellus cum manuſcriptus in manus *Nicolai Blancardi*, in Franequerana Academia Juris & Hiſtoriarum Profeſſoris celeberrimi incidiſſet, dignus ab eo habitus fuit, quem Latine verteret, & una cum *Chriſtophori Angeli* de ſtatu & ritibus hodiernorum Græcorum commentario Franequeræ A. 1678, ederet. Cum vero Chronicon illud jejunum

junum valde, nec ab erroribus immune deprehendiſſet *Henricus Hilarius*, Scholæ quondam Cellerfeldenſis, dum ſtaret, Rector, νῦν ἐν ἁγίοις, rem gratiſſimam ſe Hiſtoriæ Græcorum Eccleſiaſticæ cultoribus facturum arbitratus eſt, ſi diligenti illud ſtudio recenſeret, lapſus Auctoris hic illic admiſſos emendaret, Hiſtoriamque Patriarcharum haud parum pleniorem atque locupletiorem exhiberet. Id quod ita præſtitit, ut & veram Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſeriem ab initio naſcentis Eccleſiæ usque ad hæc fere tempora, quantum fieri potuit, exhibuerit, & plerumque acta eorum ex Scriptoribus aliis eruta enarraverit, præcipuam vero induſtriam in deſcribenda accuratius Eccleſiæ Græcæ ſub Turcico jugo, poſtquam in barbarorum illorum manus Conſtantinopolis pervenit, facie occupaverit. Ita ergo Chronicon illud auctius multo & illuſtrius Lipſiæ prodiit, nonnunquam etiam Compendii ſeu Epitomes fines ſupergreſſum, in *Photii* inprimis, *Nicephori* & *Cyrilli Lucaris* rebus enarrandis. Quod jure indignabitur fortaſſe nemo, cum, quas ipſe Hilarius in præfatione ad Lectorem cauſas allegavit, in *Photii* tempore ſchisma utriusque Eccleſiæ inciderit; Patriarchatus vero *Nicephori* tempora iconomachiam & iconolatriam, modo abrogatam, modo permiſſam inſinuent; *Cyrilli* denique *Lucaris* tempore fides Græcorum per Orientem viſa fuerit innovari, certe fluctuare. Uno autem volumine Opus totum continetur, ſed quod commode rurſus in duas partes dividi ſic poteſt, ut prior Epiſcopos & Patriarchas ab Apoſtolorum ævo ad captam usque a Turcis Conſtantinopolin, altera vero Patriarchas qui poſt Conſtantinopolin captam ſub jugo Turcico Eccleſiæ Græcæ usque ad noſtra tempora præfuerunt, complectatur. Adjecta Operi Appendix exhibet haud pauca Hiſtoriæ Patriarchicæ inſervientia, quæ in ipſa tractatione proferri commode non potuere, epiſtolas inprimis doctorum virorum lectu non indignas, quas inter duæ etiam, a *Jeremia* quodam & *Athanaſio* ad maxime Reverendum *Joh. Olearium* noſtrum, S. Theologiæ hodie Profeſſorem celeberrimum, Græco idiomate exaratæ comparent; nec non Notitia Epiſcopatuum per Orientem, quæ Imperatorem Andronicum Palæologum ſeniorem auctorem habuiſſe creditur.

)(o)(

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio VIII.

JOURNAL DU PALAIS, OU RECUEIL DES PRINcipales deciſions de tous les Parlamens & Cours Souveraines de France,

hoc eſt,

Ephemerides Fori, ſive Sylloge potiorum Deciſionum in univerſis Parlamentis & ſupremis Galliæ Curiis latarum.

Pars Undecima.

Pariſiis, apud Dionyſ. Thierry & Joh. Guignard, 1689. in 4.

Plagul. 69.

NOn opus erit de methodo & inſtituto egregii hujus operis, cujus partem undecimam nunc (tarde ſatis, ſed præter noſtram culpam, cum nuper demum ad nos pervenerit,) ſiſtimus, multa præfari, quandoquidem nil attinet ea repetere, quæ in recenſione duorum proxime præcedentium Tomorum *in Actis anni 1685, pag. 300. & 1688. p. 84.* jamjam expoſita fuerunt. Id modo monendum nunc habemus, laborem hunc, qui hactenus communi opera *C. Blondelli* & *G. Guereti*, celebrium in Parlamento Pariſienſi Advocatorum, continuatus fuerat, ſoli nunc Blondello incumbere: Gueretus enim ſub finem anni 1688. defunctus in præfatione perhibetur, ad præſentem forenſium Definitionum faſciculum non niſi duodecim circiter pagellas contulit. Cæterum eadem, quantum apparet, in percenſendis Deciſionibus cauſarum, methodus ſervata eſt, quæ in præcedentibus tomis adhibita fuerat; nam in aliquibus quidem, maxime ubi de mero jure quæſtio eſt, ſuccincta valde recenſio editori placuit; alibi diffuſior relationis ſtylus eſt, potiſſimum, quando facta oc-

 currunt,

currunt, quorum circumſtantiæ pleniorem mereri diſcuſſionem viſæ ſunt; denique nonnunquam integræ cauſarum perorationes, uti ab earum patronis hinc inde prolatæ fuerunt, communicantur, pathetico ſatis multisque figurarum floribus exornato ſermonis genere conceptæ. His præmiſſis nil ſupereſt, quam ut more nobis familiari tenorem aliquarum Deciſionum, hoc in volumine contentarum, benevolo Lectori ſpeciminis loco nunc exhibeamus, quæ reliquas inter extare quodammodo viſæ fuerunt. Sic judicatum refertur fuiſſe, laudemium non deberi, uſufructu domus ad vitam certæ cujusdam perſonæ vendito: tametſi alioquin locatio ultra novennium facta, ut quæ generali regni conſuetudine pro alienatione habeatur, ejus præſtationem importet, *p. 19. ſeqq.* Statutum Pariſienſe, quod, patre ſuper defunctæ conjugis bonis inventarium facere negligente, dimidiam partem fructuum, interim ex continuata communione conjugali perceptorum, addicit liberis, ita ut morientium portiones ſuperſtitibus accreſcant, non extendendum eſſe ad caſum, ſi aliqui ex liberis renunciaverint huic lucro, *p. 37. ſeqq.* Lanionum collegio unum e ſuis ob venditas carnes morticinas accuſante, hujus ſocerum ab expenſis litis, viritim contribuendis, non poſſe ſe eximere affinitatis propinquæ prætextu, *p. 74. ſeqq.* Creditorem, licet in venditione certi cujusdam fundi renunciaverit hypothecæ, quam in illo habuerat, non ideo prohiberi a proſecutione pignoratitii juris in alio agro prius alienato retenti, ut maxime fundus ille, cujus intuitu renunciatio facta, pro hujus evictione una obſtrictus hæreret, *p. 82.* Reditus annuos, qui non in venditione fundi, ſed per ſimplicem modo aſſignationem in eo conſtituti eſſent, relui poſſe, tametſi primitus redemtioni tali certum tempus præfixum, idque elapſum eſſet, *p. 97. ſeqq.* Communione bonorum inter conjuges inita pactis dotalibus, hac lege, ut fœmina poſt mariti obitum renuncians communioni repeteret, quicquid intuliſſet: non comprehenſum ſub his verbis putari legatum univerſale, quod ei ſtante matrimonio delatum eſſet, *p. 109. ſeq.* Creditorem annuorum redituum non poſſe compenſatione uti ad extinguendam ſortem alius ſummæ, qua ipſe debitori ſuo obſtrictus eſſet, niſi ad concurrentem ſummam reliquorum, *pag. 121.* Eum qui cum alio in ſolidum ſe obligaverat pro certa ſumma mutuo ſumta, non teneri ad ſolvendum novum debitum, quod ille ſub uſuris levioribus apud alium contraxerat ad diluendum prius illud mutuum, gravioribus

nempe

nempe uſuris oneratum, *pag. 173. ſeqq.* Vigente alicubi conſuetudine, ut ad revocandum teſtamentum qualiscunque declaratio voluntatis contrariæ, utut non ſolennis, ſufficiat: teſtamentum poſterius, licet pro nullo declaratum a judice fuerit, ſatis eſſe ad tollendum prius aliquod teſtamentum, ad effectum transferendi bona ad hæredes ſanguinis *p. 245. ſeqq.* Teſtatore præmiſſis aliquot ſubſtitutionis fidei commiſſariæ, maſculos ex linea maſculina deſcendentes mere concernentis, gradibus, tandem generatim ſucceſſionem demandante proximis conſanguineis; id non exaudiendum eſſe de ſolis maſculis; ſed ultimo defuncti filiam ejusdem patruo in hæreditate anteferri, *pag. 273. ſeq.* Donationem a fœmina factam mariti viventis liberis e priore matrimonio genitis, pro lubitu revocari poſſe, *p. 394.* Hypothecam, quam quis in bonis coheredum nactus ſit, incipere non a tempore demum factæ diviſionis, ſed a die aditæ hæreditatis, *p. 404.* Annuos reditus fundo, non inhærentes ſubjacere perſecutioni hypothecariæ, etiamſi in tertium translati eſſent, in cujus domicilio pro mobilibus per ſtatutum reputarentur, & in Gallia alias res mobiles diſtractæ actioni hypothecariæ non ſubſint, p *408. ſeq.* Mariti prædefuncti heredes poſt viduæ mortem non poſſe petere portionem, quam illa in pactis dotalibus per donationem inter vivos marito adſignaverat de bonis poſt mortem ſuam ſuperfuturis, *p. 434. ſeq.* Privilegium illud, quo Graduati Academiarum Galliæ jus habent ad occupandam tertiam partem beneficiorum eccleſiaſticorum in regno vacantium, (vi Concordati inter Leonem X. & Franciſcum I. initi,) etiam ſe extendere ad loca, quæ ex illo tempore Coronæ Gallicæ jure belli acquiſita fuere, *p. 442. ſeq.* Doctores indigenas Academiæ alicujus non gaudere præcedentia præ advenis, alibi Gradum hunc nactis, niſi ex prioritate promotionis, *p. 471.* Cum Titius Semproniam ſuam ex Cajo fratre neptem dotaſſet ea ſub conditione, ut poſt obitum ipſius Titii Cajus, aut poſt mortem ejus Sempronia ejusque liberi, jure repræſentationis ad ſucceſſionem venientes, ſummam illam prius in communem maſſam conferrent; ac defuncto dein Titio, Caji præmortui filia Sempronia patrui ſucceſſioni renunciaſſet, hujus fratrem Mævium, ex eodem Cajo ortum, vi pacti illius ad collationem ſummæ iſtius obſtrictum eſſe, licet de ea nihil ad ipſum perveniſſet, *p. 488. ſeq.* Diverſis donationibus in liberos matrimonium contrahentes erogatis, partemque legitime liberorum

 non-

nondum elocatorum abſorbentibus, judicatum eſt, ad ſupplendam hanc non omnes iſtos, ſed noviſſimos tantum donatarios obſtrictos eſſe, quorum nempe donationem appareret inofficioſam fuiſſe, *p 511.* Porro ambigue in utramque partem diſceptatur *p. 484. ſeq* an mater, cui ſtatutum non niſi rerum mobilium ſucceſſionem defert, cum filio minorenni in hæreditate paterna per ſortem nil præter mobilia obtigiſſet, hujus monaſterium ingreſſi adeoque pro mortuo habiti bona univerſa capiat, an vero tantæ portionis detractionem pati debeat, quantam ille ex bonis immobilibus paternis adepturus fuiſſet, ſi æqualis mobilium immobiliumq; diviſio facta foret: cui poſteriori opinioni Blondellus editor accedere videtur, quamvis nil hac in cauſa deciſum referat. Notabilis præterea eſt ſententia, quæ *p. 163 ſeqq.* recenſetur, qua nempe matrimonium inter ſenem illuſtrem & puellam inferioris conditionis contractum, ob omiſſas ſolemnitates eccleſiaſticas poſt mortem illius ad inſtantiam agnatorum pro nullo declaratum fuit, vidua ejusque filio nomen defuncti gerere prohibitis, adjudicata tamen utrique certa penſione annua ex ejus bonis. Cæterum cum moribus Galliæ ad validitatem matrimonii minorennium requiratur conſenſus parentum vel curatorum, (quem ne quidem per diſpenſationem ab Archiepiſcopi Vicario obtentam ſuppleri poſſe judicatum eſt, *p. 240.*) communicatur *p. 256.* edictum a Rege emiſſum die 6. Aug. 1686, quo diſponitur, quid ſervandum ſit in contrahendo minorum conjugio, quorum parentes ob reformatæ religionis profeſſionem regno emigrarint: jubetur nimirum, ut ad conſenſum hunc ſupplendum, in præſentia judicis loci & procuratoris regii conveniant ſex agnati cognative proximi deſponſandorum, aut iis deficientibus tot amici vel vicini, ad conferendum ſuper ea re ſuum conſilium atque aſſenſum, ejusque tenor dein ſolenni inſtrumento tabuliſq; dotalibus inſeratur. Illud quoque Areſtum notatu non indignum eſt, quod *p. 242.* refertur, quo Nobili cuidam, qui ex petulantia & vindictæ ſtudio in alterius fundo ſexaginta circiter Arbores exciderat, præter 3000. libras ad penſandum damnum dictatas, mulctæ loco injunctum fuit, per triennium in caſtello quodam ſervitia militaria Regi præſtare: quæ ſententia etiam in Appellationis inſtantia a Parlamento Pariſienſi confirmata eſt, triennio tamen illo ſervitiorum in annuam ex provincia relegationem commutato. Deniq; nec illud reticendum putavimus, morem illum

in

in Galliæ regno antehac receptum, quo conjuges, de quorum impotentia moveri quæſtionem contigerat, membrorum externorum inſpectione peritis rem non ſatis manifeſtante, juſſi fuerant hora condicta in conſpectu teſtium congreſſum tentare, hodie abolitum perhiberi *p. 60*; abrogatum nempe per ſolennem ſententiam in cauſa Marchionis de Langey latam anno 1677. die 8 Februarii: de qua quidem probatione, incongrua non minus, quam incerta, jamjam in Actis Anni 1685. Menſ. April. pag. 157. nonnulla nos diſſeruiſſe meminimus.

LES OEUVRES DE M. ANTOINE D' ESPEISSES, Advocat & Juriſconſulte de Montpellier,

ſive

Antonii Speſſæi, Advocati quondam & Jureconſulti Monſpelienſis Opera.

Lugduni, apud Fratres Huguetanos, 1685. Fol.
Plag. 351.

Librum hic benevolo lectori ſiſtimus, quem Pandectas Juris Gallicanas haud immerito ſalutari poſſe, non abs re confiſus eſt Autor: cunctas quippe notabiliores Juris Romani materias methodice explicatas & ad uſum fori Gallici accommodatas complectentem. Nimirum quum *Speſſæus*, Advocati quondam in Pariſienſi Parlamento defungens munere, advertiſſet, Leges Juſtinianeas confuſæ ſatis congeriei ſpeciem in Corpore Juris exhibere, & quandoq; diu quæſitandum eſſe, minus exercitatis præſertim, antequam occurrentis alicujus quæſtionis deciſio reperiri in eo valeat: jam tum conſilium inierat cum conjunctiſſimo ſibi *Carolo de Bouques*, ſociata opera in univerſum jus civile commentandi, ita quidem, ut, ſingulis ad juſtum ordinem redactis, Jurisprudentiam redderent perſpicuam, lectu jucundam & a ſpinis liberam; deniq; cunctis regni ſui incolis etiam Latina non callentibus, expoſitam: cui conſequenter & mox *Tractatus de Succeſſionibus* ab utroque conſcriptus & in lucem editus fuerat Pariſiis anno 1623. Sed paulo poſt carum hunc ſuum commilitonem ſatis præreptum perdiderat noſter; nihilo tamen ſecius laborem cœptum continuandum ratus, non ceſſavit, donec illum paulo ante annum 1659, integris quadraginta annis in eo eum deſudaſſet, ad finem tandem perduceret. Non tamen

men ea ipſi obtigit felicitas, ut opus hocce ſuum typis publicis exſcriptum ipſemet oculis uſurparet: eodem enim tempore, quo de eo in lucem emittendo tractare cum bibliopola cœperat, repentino ſpirituum viriumque defectu correptus paucas intra horas finierat vitam. Quantam vero eidem componendo induſtriam adhibuerit, vel inde liquet, quod ſancte teſtetur in præfatione, ne unicum quidem vel textum juris vel autorem in univerſo hocce ſcripto a ſe allegatum eſſe, (quorum tamen utrorumque ingens ubiq; numerus comparet) quem non ipſemet propriis prius manibus evolviſſet. Cæterum ſpondet vix ullam fore quæſtionem, quæ ſuper quacunque materia Juris Romani, Canonici, Gallicive incidere queat, cujus deciſio promte in ſyſtemate hoc non valeat inveniri, ordine modo ejusdem parumper penſihabito, tam generali, qui ex frontiſpicio cujusque partis pateſcit; quam ſpeciali, in ſingulis titulis adhibito; ubi nempe cuncta comparent *juſta* ſerie diſpoſita, tam regulis, quam exceptionibus, quæ ubique occurrunt, per numeros ſuos diſtinctis. Neque ſatis habuit ſuper quavis quæſtione ſuam breviter mentem exponere, eamque legum autorum teſtimoniis corroborare: ſed contrariantes quoque textus paſſim commoda conciliatione removere ſategit; neque Doctores in diverſa abeuntes citare omiſit; quo teſtatum ita faceret, ſe nil niſi plena cum cauſæ cognitione ſtatuiſſe. Denique confidit plures hoc in opere Juris definitiones repertum iri, quam in voluminoſis aliorum quampluriüm commentariis, adeoque ejus adminiculo quempiam brevi tempore maximos in Jurisprudentiæ ſtudio progreſſus facere poſſe. Quatuor vero Tomis præſens Libri editio conſtat: (quamvis primam illam, anno 1659. datam, in tres modo digeſtam fuiſſe appareat, totidem tamen, quot nunc ſunt, tractatus complexam,) quorum ſingulis quid contineatur, pauciſſimis nunc indicabimus. Et *Primus* quidem *Tomus* de contractibus agit, cæterisque conventionibus iis affinibus, nec non eorum accidentibus; quorſum etiam materiam Servitutum referre placuit. Varia in eo, non minus ac in ſequentibus arreſta atque judicata afferuntur: quorum pleraq; quidem non admodum recentia ſunt, imo aliqua jam tum ab aliis autoribus publicata: cum tamen ii fere Gallico ſolum idiomate uſi fuerint, non pigebit in gratiam eorum, quibus ea lingua cordi non eſt, ex iſtis decretis aliqua hoc loco delibare. Sic deciſum refertur, pro inhoneſta & invalida habendam ſponſionem,

nem, num gravida ſit fœmina nec ne, item, fœmellamne an maſculum utero geſtet, *p. 147*. In permutatione, ob læſionem ultra dimidium reſciſſionem abſolute fieri debere, nec in in alterius arbitrio ponendum, an juſtum pretium ſupplere malit, *p. 148*. Liberos ex fœmina genitos, quæ ad perpetuum cœnobii carcerem condemnata, ſed evadendi occaſionem nacta alteri nupſerat, ſucceſſionis maternæ incapaces eſſe, *p. 154*. Promiſſum ab ægroto, quod etiam bona fide medicus ab eo impetrarit, non eſſe obligatorium, ſed ſummam ab illo promiſſam arbitrio judicis reducendam eſſe ad proportionem operæ ab hoc impenſæ, *p. 211*. Donatione fundi cujusdam facta ei, qui ſibi donatori primum maſculus naſciturus foret, illiusque nomine a Notario acceptata, cum donator aliquot poſt annis fundum alienaſſet, judicatum eſt, filium illum donatarium, paternæ hæreditati renunciantem, vindicare eum jure poſſe, *p. 220*. Donationem revocari ob liberos poſtea genitos valere, utut Legi *Si unquam* expreſſe renunciatum fuerit, *p. 247*. Revocata donatione, hypothecas a donatario interim conſtitutas donatorem ſtringere, ſi ob ingratitudinem revocatio facta: non item, ſi ob ſupervenientiam liberorum *p. 248*. Fœminam pro dote jus retentionis in domo quidem mariti habere, non etiam in aliis ejus bonis, *p. 288*. Quinque liberos a tutela non excuſare, ſi pendente demum appellatione, ſuper excuſationis rejectione interpoſita, quintum naſci contigiſſet, *p 308*. Domo in qua quis jus habitationis habuerat exuſta, iterumque reſuſcitata, non reviviſcere ſervitutem illam, *p. 356*. Executionem fieri non poſſe in arbores in fundo aliquo ſtantes; *p. 406*. Cauſam debiti præſumtam etiam ſufficere ad validitatem chirographi, v. g. ſi quis certam ſummam ſe debere ei profeſſus eſſet, quo chirurgo vel hoſpite ipſum uſum eſſe conſtaret, *p. 464*. Eum, qui in ſuprema curia contra uxorem adulteram obtinuerat ſententiam, ut fuſtigata in monaſterium mitteretur, non poſſe eam remiſſa injuria ad ſe recipere, niſi prius fuſtigatam, *p. 471*.

Tomus II. de Succeſſionibus tractat tam ex teſtamento, quam ab inteſtato delatis, atque hic quidem Tractatus, uti ſupra narravimus, omnium primo lucem vidit publicam: poſtmodum vero ab Autore, cum adverteret eum cum applauſu exceptum fuiſſe, recognitus altera fere parte auctior evaſit. *Allegat etiam Speſſæus peculiarem a ſe tractatum publicatum *de Succesſionibus ex Contractu*: quem tamen

in

in præſenti opere reperire nobis non licuit. Cæterum ex hujus Tomi deciſionibus ſequentes excerpere placuit: Monachum profeſſum ne quidem permiſſu Papæ teſtari poſſe, niſi forte ante juſtam ætatem, (annorum nempe 16, vel in Carthuſianis 18,) profeſſionem fecerit: hoc caſu enim poſt expletam illam ætatem intra trimeſtre adhuc ſpatium de bonis ſuis diſponere poſſe; non tamen in favorem alicujus monaſterii, ſive directe id fiat, ſive per indirectum, *p. 10.* Valere teſtamentum, in quo teſtatrix ſcribi juſſerat, ſe nunc quidem ob invaletudinem ſubſignare non poſſe, ſignaturam tamen intra paucos dies, licet id deinde non factum, *p. 13.* Principi alieno in bello extraneo militantem non poſſe militari modo valide teſtari, niſi bellum illud a Rege approbari meruiſſet, cujus ſubditus teſtator, *p. 38.* Teſtamentum patris inter liberos non revocari per aliud recentius, extraneis hæredibus favens, niſi expreſſis verbis in eo prius illud caſſatum ſit, *p. 57.* Herede fiduciario abſente per contumaciam ad mortem condemnato, bona nondum ad fideicommiſſarium, ſed ad fiſcum devolvi, *p. 116.* Ex teſtamento etiam, quod ſententia nullum declaraſſet, dotem pauperi puellæ legatam deberi, *p. 163.* Eum, cui relictum quid eſt ſub conditione ducendi perſonam intra gradum prohibitum ſibi cognatam, capere legatum, nec tamen invitum teneri iſtam ducere, ut maxime ea diſpenſationem a Papa obtinuiſſet, *p. 178.* Monaſterium ingreſſos non computari in determinanda legitimæ quantitate, *p. 196.* Parentes filio ab inteſtato ſuccedentes concurrentibus defuncti fratribus non poſſe tantam ſibi portionem vindicare, quanta quidem eorum Legitima fuiſſet, ſi ille teſtatus deceſſiſſet, *p. 225.*

Tomus III. tres complectitur Tractatus, quorum priores duo Praxin judiciariam, tam in civili, quam in criminali proceſſu apud Gallos receptam delineant: tertius vero de variis juribus agit ex dominio quodam directo aut juriſdictione dependentibus; qua occaſione Feudorum materia late pertractatur. Deciſum in eo inter alia refertur, pro Nobili nato & genuino habendum eſſe, qui pro ſe allegare potuerat antiquam templi inſcriptionem, in qua ejus avus Equitis titulo mactatus fuerat, *pag. 49.* Item, hermaphroditum laqueo necandum ac dein cremandum eſſe, qui electo ſemel maſculino ſexu, prægnans dein deprehenſus erat, *pag. 135.* Notatu etiam non indignum eſt, quod, *pag 45.* refertur de modo reprobandi teſtes apud Parlamen-

lamentum Tholoſanum recepto: nimirum teſtem ſuſpectum non mox in totum rejici, ſed fidem ejus depoſitionis pro ratione ſuſpicionis infirmari, modo pro quarta parte, quod indicari narratur, per adſcriptam vocem *Notetur*; modo pro dimidia, per vocem *Dubia*; modo pro tribus quartis, per conjunctam utramque vocem, *Dubia notetur*; modo pro ſeptem octavis partibus, ita ut non niſi una pars octava de robore depoſitionis ſalva maneat, ſi nempe hæc adſcribantur verba, *Dubia notetur nota forti.* Legi quoque meretur forma proceſſus contra Autochires obſervari ſolita, quæ *pag. 162.* deſcribitur: nimirum ante omnia cadaveri curator conſtituitur, qui pro defuncto reſpondeat, ejusque defenſioni invigilet: inde Judex, ſingulis proceſſus inquiſitorii partibus rite obſervatis, defunctoque ſic autochirias convicto, tandem ſententiam fert in cadavere exequendam: cujus plenus tenor *d. pag. 162.* communicatur. In *Tractatus* de Juribus ex dominio quodam eminenti competentibus (*des droits Seigneuriaux*) *tit. fin.* ſectio peculiaris impenditur iis regalibus, quæ olim quidem viguerint uſu, nunc tamen ob irrationabilem ſui naturam in deſuetudinem abierint: ubi inter alia narratur, Epiſcopum Ambianenſium olim ſolitum fuiſſe ab hominibus ſuæ diœceſeos exigere certum cenſum pro redimenda quaſi vexa, ne ipſe jure ſuo uteretur, quo fas ſibi eſſe prætenderit cum ſponſis ipſorum prima conjugii nocte cubandi, *pag. 306*: qua occaſione adducitur ſimile exemplum Regum Scotiæ, qui ex eodem capite dimidiam argenti marcam a neonymphis extorquere conſueverint: idque jus *Marchetæ* vocitatum fuiſſe fertur.

Supereſt *Tomus VI*, qui duabus partibus abſolvitur: alteram conſtituit *Tractatus de Tributis*, vectigalibus, variisque aliis exactionibus, tam perſonæ ſubditorum, quam fundis per Galliæ Regnum irrogari ſolitis: qui & ipſe ſeparato quondam volumine prodiit, antequam Speſſæus reliquas hujus operis partes compoſuerat: de quo, utut quamplurima lectu non minus jucunda quam utilia contineat, vel ideo multa dicere ſuperſedemus, quod Franciæ præſertim moribus adaptatus ſit, adeoque ad nos minus ſpectare videatur. Alteram partem facit *Tractatus de Beneficiis Eccleſiaſticis*; de quorum natura, collatione, amiſſione cæteriſque juribus late & ſolide ex principiis Juris Canonici diſſeritur; rurſus tamen reſpectu potiſſimum ad Galliæ regnum ejusque conſuetudines directo, utpote qui præcipuus, uti ſub initium jam monui-

mus, Autoris noſtri ſcopus fuit. Hinc facile cuivis Librum hunc pervolventi pateſcere poterit, quam multis in capitibus hodierna Galliæ obſervantia diſcrepet a legibus Romanis, etiam iis in provinciis, quæ alias jure Juſtinianeo utuntur: ſic v. g. Noſtro teſte, in regno hoc mala fides præſcriptioni non obeſt, *T. 1. p. 15.* Fœmina intra annum luctus nubens haud incurrit infamiam, *p. 193.* Donationes immobilium etiam minimæ inſinuatione indigent: mobilium, nulla opus habent, quantæcunque demum ſint, *p. 221.* Senatus conſultum Vellejanum ceſſat, *p. 368.* Hypotheca valide non conſtituitur, niſi publica Notarii manu, *p. 388.* Mobilia & immobilia eodem temporis intervallo præſcribuntur, nempe triginta annis, *pag. 390. & 440.* etiamſi res furtiva ſit, *pag. 439.* Teſtium ſubſcriptio in teſtamento ſolenni ſufficit absque ſigillis, *T. 2. p. 46.* Probatio per teſtes non admittitur, ſi quæſtio ſit de ſumma 100 libras excedente, *p. 48.* Teſtamentum non indiget heredis inſtitutione, ſaltem in ditione Pariſienſi, *p. 51.* Legatum invalidum eſt, quod litigans reliquit ſuo judici, advocato, vel procuratori: item quod minor ſuo curatori ejusve uxori aut liberis dari voluit, niſi jamjam plene redditis rationibus. *p. 170.* Heredes miniſtrorum Regis rationariorum non poſſunt uti beneficio inventarii, ſed aut pure acceptare, aut abſolute repudiare hereditatem tenentur, *p. 262.* Ne de jure Albinatus, Regi proprio & jamjam ſatis noto, dicamus, de quo abunde diſſeritur *pag. 243. ſeqq.* Denique dolendum eſt merito, Speſſæum noſtrum huic nobili ſuo operi non diutius ſupervixiſſe: in animo etenim habuit Librum huncce in exterorum gratiam etiam Latinam in linguam translatum publicare: quod quamplurimis dubio procul pergratum accidiſſet Gallica non callentibus, qui nunc egregio hoc Jurisprudentiæ Romano-Gallicæ Theſauro uti nequeunt: de cujus ubertate vel ſolus rerum in eo contentarum Index, qui locupletiſſimus ſubjungitur, apertum præbere teſtimonium poterit.

FRANCISCI ESCHINARDI, SOC. JESU &c. Curſus Phyſico-mathematici, Partis Primæ de Coſmographia Tomus Primus.

Romæ anno 1689, in Quarto. Conſtat Plagulis 48.

Ex quo Autor hujus Libri clariſſimus a ſuperioribus ſuis anno 1648 diſciplinis mathematicis admotus fuit, in id intendit vires ſerio, ut publi-

pub'icæ utilitati integrum *Curſum phyſico-mathematicum* adornaret; accedentibus huic inſtituto ſuo præcipue ſtimulis Eminentiſſimi Cardinalis *Gregorii Barberigi*. Dum vero Opus hoc molitur, deſideriis aliorum ſatisfacturus, de *Optica, Catoptrica & Dioptrica* editis ante annos plus viginti ſcriptis inclareſcere primum voluit; quæ anno 1684 inſecutus eſt de *Impetu tum ſolidorum tum fluidorum* Tractatus duplex. Nunc vero pridem deſtinata publico impertiturus, *Curſus phyſico-mathematici* primitias, hoc eſt *Partis primæ*, qua *Coſmographiam* traditurus eſt, *Tomum primum* ſiſtit, *duobus Tractatibus*, uno *de Sphæra*, altero de *Aſtronomia* agentem.

Prioris ſcopus eſt intelligentia Sphæræ armillaris, cujus rationem, uſibus cum Aſtronomiæ tum Geographiæ neceſſariis profuturam, brevibus hic exponuntur; uberiori doctrina, vivæ docentis voci, materiali ſphæræ deſcriptione adjutæ, commendata.

Altero ſcita explicantur aſtronomiæ. De hac fatetur optime hactenus aliquos eſſe meritos, præcipue inter recentiores *Ricciolum*: deſiderari tamen plura ad perfectionem hujus artis, quæ in hoc Opere, cumprimis in Quæſitis Operi ſubnexis exhibeantur, in quibus novæ cognitiones, etiam ad alias materias, quarum plurimæ Aſtronomiæ ſubſerviunt, pertinentes afferantur. Monitum autem Lectorem Clariſſimus Autor cupit, plura a ſe tum diverſis in Opuſculis (quorum aliquorum hinc inde hic fit mentio) a ſe editis, tum in publicis lectionibus, in Academia Phyſico-mathematica Romæ habitis, a multo tempore jam eſſe propoſita, unde non pauca autores quidam acceperint, & in proprium uſum opportune converterint. Sub finem occaſione controverſiæ de momentis gravium ſuper planis inæqualiter inclinatis, nuper agitatæ, mentem explicat *Galilæi* & *Torricellii*; qua perperam intellecta aliquos non bene uſos eſſe dictis autoribus, Noſter pronunciat.

OBSERVATIONS PHYSIQUES ET MATHEMATIQUES, envoyées de Siam à l'Academie Royale des ſciences &c. h. e.

Obſervationes phyſicæ & mathematicæ, e regno Siam ad Academiam Regiam ſcientiarum Pariſios miſſæ &c.

Pariſiis, Anno 1688, in 8.

Conſtant plagulis 18, iconiſmis 3.

PRæſens Liber fructus eſt peregrinationum, a quibusdam Patrum Je-
ſuitarum proximis abhinc annis in Indiam Orientalem Sinasq; ſuſce-
ptarum: quarum eas, quæ auſpiciis Regis Galliarum factæ ſunt, Anni 1688.
Januario, & 1689 Septembri recenſuimus. Exhibet autem obſervatio-
nes Phyſicas & mathematicas ibidem a dictis Patribus habitas, & Aca-
demiæ Regali Pariſienſi transmiſſas: quas notæ exornant, a Patre *Goüye*
hinc inde interjectæ, & animadverſiones Academicorum regiorum ce-
leberrimorum, *Caſſini & De La Hire*, illuſtrandis his obſervationibus
inſervientes, aut ex argumentis earum enatæ.

pag. 47. *Phyſicæ* maximam partem ſunt anatomicæ: brevioris quidem
recenſus anatome *Lacerti Indici Toc-Kaje* Siamenſibus, a voce quam
57. articulatim edit, quæque ad 100 usque paſſus aliquando audiri poteſt,
dicti; & *Tigridis majoris* (quam *regalem* Luſitani cognominant;) quibus
54. quædam de *Camelis*, ex relatione Perſici ad Siamenſes legati interſerun-
1. tur. Prolixior eſt deſcriptio diverſorum *Crocodilorum*, quos juſſu Re-
gis Siamenſis captos proſecuere. Præter capturæ rationem, Siamen-
ſibus ſuetam, partes hic *Crocodili* ſingulæ ſecundum longitudinem, craſ-
ſitiem, ſitum, figuram, colores, &c. referuntur; facta hinc inde diligen-
ti a P. *Goüye* collatione eorum, quæ *Academiæ Regali* ſimilis ſubjecti
ſectio diverſa oſtendit: quam quoniam prolixa & accurata narratione
25. propediem a laudata *Academia* editum iri fidem nobis facit memoratus
P. *Goüye*, tanto brevioribus hic nobis eſſe licet. Notatur autem *Ana-*
27. *tomicis noſtris* inter alia error *Thevenotii*, in *Itinerario Orientis Part.*
1. l. 2. p. 784. linguam Crocodilo denegantis: deprehenſus etiam iis-
15. dem videtur (vulgo creditus) maxillæ ſuperioris motus, ex cujus tamen
43. 44. ſtructura, & cum cranio conjunctione, idem non alius P. *Goüye* cenſe-
tur, quam qui maxillæ cum cranio communis eſt; cujus etiam indicio
33. Crocodilorum reſpiratio non periodica eſt & regularis, ſed ranarum,
teſtudinum & ſalamandrarum reſpirationi gemina.

88. Ad *Phyſicas* porro pertinet obſervata declinatio magnetis in
90. urbe Siamenſi *Louvo* 4°. 45′. magiſtriſans; pyxidum lignearum præ
cupreis, aut quarum pars aliqua ex cupro conſtat, præſtantia, ob ejusdem
acus diverſam ſemper in his quam alteris illis declinationem; & ſim-
plicis penduli ſecunda indicantis ope, longitudo 36 pollicum, ſex & di-
midiæ lineæ in urbe modo nominata deprehenſa, quanta etiam Domino
Varin in Inſula *Gorée*, (prope *Caput Viride*) quæ ſub eodem circiter
paralle-

parallelo cum dicta urbe jacet, inventa fuit. Memorabile etiam eſt 197.
argumentum pro *Typhonibus* mari Sinenſi infeſtis, ab ignium ſubterraneorum vehementia derivandis: deſumtum ab inſigni, quæ illos comitari ſolet maris ebullitione, & exhalationibus ſulphureis aërem adeo replentibus, ut velut cuprea cruſta coopertus, nullis licet nubibus intercedentibus, Solis & ſtellarum aſpectum inhibeat: quibus ignibus Obſervator etiam tribuit ejusdem maris teporem, hyberno tempore Lunaque præcipue nova ſemper obſervabilem.

Obſervationes *mathematicæ*, quarum aliquas, cum *Tachardi Itinerarium* primam olim recenſeremus, jam dum memoravimus, varii ſunt generis: eminent autem inter eas, Jovialis ſatellitis occultati, in
Caſtro Promontorii Bonæ Spei, urbeque Siamenſi *Louvo*; & Eclipſium 61. 80.
Lunarium, annorum 1682 & 1685, in prædicta urbe *Louvo*, *Manilla*, 66, 100.
Goa, *Juthia*, & *Macao* habitæ. His accedunt obſervationes Eclipſis Sola- 111, 183.
ris, d. 24 Jul. 1683 *Macao*; Solis meridianæ, & ſtellarum fixarum pro 202.
obtinendis latitudinibus *Juthiæ* & *Louvo* inſtitutæ; Cometæ An. 1686 in regno Siam; Fixarum Auſtralium inſigniorum, Acarnar, Canopi, earum quæ Crucem ſub Centauro formant, & aliquarum ipſius Centauri; latitudinum *Goæ*, *Cochini* & celebriorum *Malabaricarum*; *Cantoni*, *Nanquini* aliarumque civitatum *Sinenſium*. Quibus denique Miſſionarii cujusdam Hiſpani ſubnectitur ſyllabus exactus *Inſularum Latronum*, ſecundum nomina, magnitudinem, diſtantiam ab invicem, & latitudinem; in quo deficiunt hactenus mappæ geographicæ. Pro longitudine primariæ earum *Guaban* conferuntur obſervationes Eclipſis Lunaris anni 1649 *Panamæ* alibique celebratæ, cum intervallis longitudinariis locorum, a *Panama* ad dictam usque Inſulam, nauclerorum fide dignorum calculo ſtatuminatis. Harum obſervationum maxima pars uti conducit determinandis longitudinibus locorum, perperam hactenus in mappis geographicis recentioribus (quarum errores inſignes paſſim in hoc libro indicantur) collatorum; ita non minus argumento huic inſerviunt notæ & animadverſiones doctorum Virorum, ſupra memoratorum, quibus obſervationes iſtæ vel explicantur, vel cum alibi habitis obſervationibus, tabulisque celebrioribus comparantur, aut pro
re nata corriguntur. Ex iisdem autem *Caſſinus* eas maximi momenti 42.
reputat, quæ in urbe *Louvo*, circa occultationes ſatellitis Jovialis factæ ſunt: cum ex hujusmodi obſervatis Eclipſibus, reliquæ ejusdem men-

ſis (ſuppoſito ſcilicet numero revolutionum ſatellitis, inter binas quasque obſervatas; de quo ſatis certo jam conſtat) ad eundem meridianum deduci, & obſervationibus earum alibi factis conferri, indeque differentia longitudinis utriusque loci accurate poſſit ſtatui? Quod cum nemini, qui leviter doctrina Aſtronomica & Geographica imbutus eſt, non poſſit non eſſe manifeſtiſſimum; mirum eſt adeo ſagacitatem & judicium fugiſſe Cl. *Iſaaci Voſſii*, ut, cum in *obſervationibus Londini A. 1685.* editis, tum in literis, *Bibliothecæ univerſalis Tomo 8. p 429.* inſertis, Eclipſium Lunarium æque atque Satellitum Jovialium obſervationes poſthabuerit rudibus nautarum experimentis.

p. 106, 225. Cujus adeo ratiocinia non tantum merito a P. *Goüye* & *De la Hire* hic caſtigata B. L. deprehendet; ſed & egregiam a *Caſ-*
232. *ſino* navatam operam agnoſcet, methodo determinandi longitudines locorum, per obſervationes ſatellitum Jovialium, ſub finem Libri accurate expoſita & confirmata. Aſſeritur hic ab *Autore*, rationes ſitum locorum definiendi Geographis mutuo ſumtas ab Aſtronomis, quibus aſtra longitudine & latitudine ab invicem diſcriminantur. Et latitudinis quidem locorum conſtituendæ modos faciles ſuppeditaſſe Aſtronomiam Geographis; ſed longitudinis non æque promtos & exactos. Imploratam vero hucusque fruſtra Aſtronomiæ opem circa inventa Veterum, in noviter hoc ſeculo detectis Circumjovialibus felici ſucceſſu ſe præbuiſſe, poſtquam motus eorum certis regulis cœptus eſt conſtringi. Eorum uſum methodique, de qua nobis ſermo eſt, fundamenta, ſe conatum eſſe in *Ephemeridibus* anno 1668 publicatis perſpicue explicare, oſtendendo Eclipſes horum ſatellitum eſſe velut ſignum eodem temporis momento diverſis obſervatoribus e cœlo datum, ad quod tempora ſibi numerata exigere, & ex invicem comparatis longitudinum differentias elicere debeant. Operationis cardinem & ſummam verti in accuratione deſignandi temporis obſervationum duobus diverſis locis inſtitutarum; & hujus limites beneficio Tuborum 14 aut ſedecimpedalium duobus obſervatoribus mediocriter exercitatis intra 2″ aut 3″ utplurimum conſtitiſſe, raro ad 12″ pertigiſſe; quod exemplis pluribus confirmat. Omnium certiſſimam & evidentiſſimam rationem eſſe, obſervata in duobus diſtantibus locis eadem ſatellitis occultatione; proximam ab hac, ſi plures ejusdem menſis in uno, alia ab his diverſa in altero loco obſervetur; tertiam, ſi duarum ejusdem hebdomadis

aut

aut circiter, una in uno, altera in altero loco annotetur, intervallumq; earumad TabulasEclipſium correctas comparetur: poſtremam (paris tamen certitudinis cum ea, quæ ex obſervationibusEclipſiumLunarium deſumitur) ſi obſervatio alicubi facta conferatur cum Tabulis ad certum meridianum fixis, & per recentes obſervationes confirmatis; qua ratione unus obſervator, citra commercium cum aliis, longitudines diſſitorum locorum poſſit inveſtigare. Longitudines autem his modis inventas differre ab iis quas mappæ exhibent, quæ longitudines *Europæ*, *Africæ* & *America* communiter producant, *Maris Pacifici* contrahant. Prolixe poſt *Autor* recenſet, quam multis expoſitæ ſint erroribus aliæ rationes, ſive terra ſive mari iter facientibus initæ, & quam lubrica antiquis remedia ab itinerariis intervallis ſumta; nec reticet Geographorum popularium ſuorum varios errores in deſignandis diverſarum tam urbium quam tractuum *Galliæ* longitudinibus. Poſtremo occaſione *Voſſianæ* ſententiæ, in gratiam eorum, qui Geographiam Aſtronomia carere poſſe opinantur, utriusque nexum, & quomodo illa per hanc in præſenti argumento proficiat, luculenter oſtendit, cujus deductionem, ut & plura alia, quæ particulatim recenſere ſuperſedemus, Lectoris induſtriæ annotanda relinquimus.

DELLE OPERE DEL DANIELLO BARTOLI le Morali.

i. e.

Operum Danielis Bartoli Soc. J. ea, quæ Moralia inſcribuntur.

Romæ 1684. fol.

conſtat pl. 239.

QUid Opera hæc, quæ ſparſim antidhac edita, nunc vero conjunctim in juſto volumine collecta iterato proſtant, in ſe contineant, ut per compendium B. L. noſtro indicemus, Scriptoris a felicitate pariter ingenii & judicii acumine, tum multa veterum Autorum lectione & aptiſſima ad materiam, quam tractandam ſibi ſumpſit, accommodatione apprime commendabilis merita omnino exigere videntur. Agmen inter ea ducit LITERATUS DEFENSUS & EMENDATUS, ubi in *Parte priori* agitur primum de *Literatis ſatis felicibus*, quamvis a Pro-

a Proceribus parvi habeantur. Et quidem 1. *Delectatio ſui ipſius* ex literarum notitia, etiam quoad reliquas ſcientias, proveniens, ſpeciminis loco, in *Cœli ejusque Corporum* cognitione oſtenditur. 2. quomodo *Sapientia* etiam in miſeria, paupertate, carcere, morbo beata, & viciſſim. 3. *Ignorantia* in media felicitate miſera dicenda ſit, ſimulque delectationi allegatæ *Pudor* opponitur, qui ignorantiæ, ſeu loquatur, ſeu taceat, incutiatur. *Poſteriori parte* nonnulli *Literatorum Defectus*, qui tamen ipſis literis haud noceant, recenſentur. Tales ſunt 1. *Plagium*, quod vocant, *literarium*, cujus reos Autor in *tres* diſpeſcit *claſſes*. Eſſe enim, qui *diverſa ex diverſis Autoribus* ſub diverſo modo titulo, inverſo modo ordine compilata pro ſuis venditant, ſuasque novas mirantur frondes & non ſua poma: alios pejori auſu *affectos* excellentium virorum *fœtus* in ſuam adoptare prolem, cum tamen vel inter pictores imperfectas artificum tabulas magis interdum, quam ipſas perfectas, admirari ſoleamus: alios intolerabili impudentia *alienis laboribus* nil niſi *nomen ſuum* præfigere. Fuiſſe tamen, qui, cum ſimile furtum ſibi exprobratum eſſet, ſympatheticæ cujusdam unionis figmento, quod ſc. duo æqualia ingenia eosdem animi motus, eandem cogitationum ſeriem habere poſſint, ſe tueri non erubuerit. Contra vitioſam vero hanc alienæ induſtriæ famem *duo remedia* ſuggerit, 1. ne plagiarii ejusmodi ſibi perſuadeant, non detectum iri furtum. 2. credant autem potius, minus malum eſſe in publico plane non comparere doctum, quam ignorantem, qui nihil ex ſuo poſſidens aliena injuſte ſurripiat. Docet deinde, I. quomodo res novas ex ſuo ingenio invenire, aliena vero intacta relinquere deceat. II. quomodo ex aliorum ſcriptis bona conſcientia & cum laude aliquid ſurripi queat, nimirum 1. cum judicio eos imitando; 2. aliena opera ex ſuo ita emendando & expoliendo, ut eadem non amplius videantur; quanquam & hic fieri amet, ut *reformatio* talis in *deformationem* abeat, & furti infamiam fugiens homicidii culpam incurrat, vel Helenam in Hecubam, & Achillem in Therſiten transformet. II. Defectus eſt *Laſcivia*, Poetarum imprimis, quorum carminibus *nil ſit niſi fabula cœlum*, & Muſæ fiant meretrices publicæ, publicatis interdum, quibus abſcondendis nulla ſatis alta nox eſt. Refelluntur ſimul tres *Excuſationes*, quas ab Urbanitate, Philoſophiæ moralis velamento, & Gloriæ ſtudio petitas impudici ejusmodi Poëtæ pro ſe allegare ſoleant. Traditur

ditur deinceps, quomodo in ejus generis laſcivos libros incidens ſe gerere debeat, graviſſima ad impudicæ Poëſeos autores parænesi ſubjuncta. III. *Maledicentia*, cui qui ſtudeant, eos hanc manere pœnam Autor ait, ut a nemine amentur, a multis ſugiantur, ab omnibus demum habeantur odio; quin etiam, ſi potentiores laceſſere non vereantur, inſtar bombycum ore ſuo ſibi ipſis ſtruere carcerem, aut ſcorpionis inſtar vulneri, quod inflixerunt, obtritos immori. Adduntur monita quædam, veluti: inter ſcribendum lapſo emendationem non eſſe detrectandam: ab eo, qui ipſe non ſapiat, alios carpendos non eſſe, more *Johannis Ludovici*, qui *Auguſtinum* veras Logicæ formas docere auſus ſit; cum noſtra ſæpe ſit ignorantia, quæ nobis in aliis videatur error: quam periculoſum denique ſit contra alios armare calamum, & quomodo laceſſitus quis defendere ſe debeat. IV. *Inſolentia*, quoties quis ſuæ tantum eruditionis æſtimator alios juxta ſe deſpicatui habet, non ſolum in homines injuſtus, ſed in Deum etiam interdum impius, dum res Fidei curioſitate philoſophica rimatur, & res philoſophicas Fidei certitudine amplexatur. V. *Segnities*, ubi quis multa quidem ſcire cupiat, ſtudiorum vero aſſiduitate ſcientiam ſibi comparare pigretur. VI. *Imprudentia*, cujus notam illi incurrant, qui ſtudiis, a quibus tamen genius eorum abhorret, invita quaſi Minerva & conatu inutili ſe applicare intendunt; quod exemplis *Socratis* ſculpturæ, *Platonis* picturæ inanem primum operam impendentium confirmat, ſimulque contra *Joh. Bapt. Portam*, qui ex ſui vultus delineatione & ſignis particularibus univerſales de excellenti ingenio conjecturas collegerit, oſtendit, quam parum fidei tribuendum ſit ſignis ingenioſi hominis ex *Phyſiognomia* petitis; cum ſc. ex vaſto capite ingenii vaſtitatem metiens parvam exiſtimet *Intelligentiam*, quæ magna deſtituatur *ſphæra*, cum tamen mens ceu centrum capitis ad circuli amplitudinem nullo incremento opus habeat. Diſquirit etiam, unde excellentia & varietas ingeniorum, diverſæque genii inclinationes oriantur. VII. *Ambitio*; ubi eorum occurrit ſtoliditas, qui pro doctis haberi geſtientes, libris editis ignorantiam ſuam divulgant, dum pro Junone ſæpe nubem obtrudunt. Subjungit *tres rationes*, cur tot inutiles edantur libri: 1. videri nonnullos ſibi nihil non feciſſe, dummodo librum in lucem emittant, licet in ampliſſimo interdum verborum flumine ne guttam quidem ingenii reperias; cum tamen ſingula ſcribentis verba uniones, & ſingulæ

paginæ geminæ eſſe debeant: felicem igitur illam fuiſſe ætatem, qua mel ſcientiarum ceræ immittebatur, & ob lentos ſtyli ductus res ſcribendæ penſiculatius examinabantur. 2. eligi a quibusdam materiam, cui tractandæ tamen impar longe ingenium afferant. 3. multos properare ad edendos fœtus nondum perfecte formatos. Infelicem porro eorum laborem excutit, qui circa materias penitus inutiles occupantur, cum Alchymiſtis eatenus comparandi, qui poſt multos labores in verum tandem veterum *Philoſophorum lapidem* h. e. *paupertatem* ſe incidiſſe deprehendunt. Refert huc Fabulas, & illas, quæ *Romanenſes* audiunt, Quæſtiones ſupervacaneas, Poemata erotica, correctiones Autorum antiquiorum, imprimis vero Aſtrologiam judiciariam. VIII. *Avaritia*, cujus illos reos facit, qui ſcientiæ ſuæ talenta defodiant potius, quam in poſteriorum commodum publicata relinquant; vanasque ſimul eorum excuſationes, a libero rerum ſuarum arbitrio, ſenectutis imbecillitate & ſimilibus accerſitas diluit, & incomparabilem contra bonorum ſcriptorum, qui operum ſuorum divulgatione æternitatem memoriæ ſibi acquirere ſatagunt, felicitatem exponit. IX. *Obſcuritas*, cujus, *affectatæ* & *naturalis*, duo principia *ambitionem* & *confuſionem* indicat, quarum hæc commiſeratione, illa vituperio digna ſit, utraque vero *diſtinctionis* & *ordinis* remedio corrigenda, ita ut ſcripturus argumentum ingenio ſuo conveniens eligat, electum in membra ſua digerat, digeſtum inde ſufficienti librorum notitia & apparatu inſtructus elaborare aggrediatur, nec difficultate ſub initium ſe objiciente moveri ſe patiatur, ſtylum etiam pro materiæ varietate temperare, & quid circa quantitatem ejus & qualitatem obſervandum ſit, probe calleat. Qua occaſione in ſtyli Aſiatici, Laconici & Attici, hodierni item, qui *Conceptuoſus* dicatur, ex periodis conciſis compoſitus, naturam excurrit, & quomodo in conceptibus bene diſponendis *ingenium* & *judicium* æqualem operam conferre habeat, elaborationes quoque ſub rigidum & accuratum examen revocari debeant & emendari, ſolide inſtruit. Quæ omnia hujus Libri Capita uti optime ſe habent, ita in nervoſa eorum, quæ circa Literatum conſiderari merentur, enucleatione, celeberrimum illud doctæ Germaniæ lumen *Theophilum Spizelium*, cujus beatis Manibus hanc litandi occaſionem commode arripimus, in *Literato* ſuo *Infelice*, *Felice*, & *Feliciſſimo*, paria cum Autore hoc noſtro, ſi non plura, feciſſe, diffitendum non eſt.

De PAUPERTATE CONTENTA, qui tractat, Liber, vernacula quoque noſtra alicubi donatus, poſt præfationem ad Divites nunquam Contentos directam 17. *Capita* continet; in quorum 1. docetur, quod pauci paupertatis theſaurum norint, pauci eum quærant, &, cum Philoſophia mundi circa illum inveniendum cœcutiat, ſolum Evangelium eundem revelet. 2. Cum certæ mundo immineant ruinæ, in Pauperum Contentorum ſolatium cedere, quod in mundo nil poſſideant. 3. Quibus cruciatibus in acquirendo, qua ſollicitudine in conſervando, quibusve doloribus in amittendo divites nunquam contenti diſtringantur. 4. Quomodo ab his omnibus Paupertas Contenta immunis ſit & exemta. 5. Quam fallax hominum judicium ſit, ſi divites ex eo, quod habent, & pauperes ex eo quod eſſe videntur, neutros vero ex eo, quod revera ſunt, judicare velint. 6. Paupertatis provocatio proponitur a judicio mundi, qui illam ceu abjectam aſpernatur, ad judicium Chriſti, qui eam a ſe aſſumtam nobilitaverit, & cohoneſtaverit. 7. Qui Deum habeat, divitem eſſe, licet omnibus careat; qui Deum non habeat, eſſe pauperem, etſi omnibus abundet. 8. Divitum felicitatem non invidia, ſed commiſeratione dignam eſſe. 9. Pauperes contentos ſpe Paradiſi beatos, etiam in ipſa paupertatis miſeria non poſſe eſſe miſeros. 10. Nequitias *Auri* & proceſſum judiciarium circa maleficia ejus recenſet, & poſtquam ex JCto quodam *Pandulpho Pratti* retuliſſet, quomodo A. 1540 *Toloſæ* gladius in cadavere hominis cujusdam in publico occiſi repertus, in caput homicidæ, qui illo relicto fuga ſibi conſuluerat, tormentis ſubjectus, pro convicto declaratus, condemnatus & in furcam actus fuerit, per jucundam quandam proſopopœiam confeſſionem ſcelerum recitat, quam moneta aurea, (*Duplio* dicta, ſeu *doppia d'oro*) ſi ſimili modo in quæſtionem arriperetur, ſingulatim editura foret, annexa accuſatione, quam *Honeſtas*, *Veritas*, *Fidelitas*, *Miſericordia*, *Cœlum* & *Terra*, & ipſi demum *divites* Auro intentant. 11. Sumptuoſa divitum circa veſtes & ornamenta inutilia vanitas ſimplici pauperum amictui oppoſita delineatur. 12. Superba divitum habitacula cum pauperum tuguriis, &c. 13. menſa eorum cum ea, qui pauperes aſſident, comparatur. 14. Auri defenſio ſuſcipitur, quomodo efficaciſſimum virtutum haud vulgarium acquirendarum inſtrumentum, adeoque qui dives & pauper eſſe dicerit, dives idem queat eſſe & ſanctus. 15. Mors divitum nunquam contentorum omnis conſolationis expers graphice deſcribitur, & quo-

 modo

modo iis, qui per vitam ſuam nil niſi illud hirudinis Salomoneæ *affer, affer* in ore habuerint, triſte nunc & querulum *Relinquo* intonandum ſit, *Henrici VIII* Angliæ Regis, qui moribundus ſub capacioris poculi hauſtum ad circumſtantes dixerit: *amici, perdidimus omnia*, exemplo confirmat. 16. Mors pauperum contentorum conſolationis pleniſſima explicatur, & 17. poſt diverſa divitum & pauperum ſepulchra deſcripta, gravi ad Pauperes Contentos alloquio Opuſculum hoc abſolvitur.

II. Lib I. RECREATIO SAPIENTIS duobus libris explanatur. L. I. C. 1. inſcribitur *Mare in portu*, i. e. Sapiens turbationibus externis agitatus ad quietem internam retractus, *Oceano Atlantico* ſimilis, qui in *Mare Mediterraneum*, per fretum Gaditanum, in portum quaſi ſe inſinuet. Talem recreationem vero ex Dei & Naturæ contemplatione in eum redundare. 2. Agitur de *Deo abſcondito* & *manifeſtato* ſub pellucido creaturarum velo, quæ illum & tegant & retegant. 3. Quomodo mundus ex nihilo fœcundatus fuerit, Verbo divino ſe in illo diſſeminante, juxta illud *Aratoris: cum fierent, vox ſemen erat*. 4. De Mundo phantaſtico ex *Atomis*, quas Democriti cerebrum evaporaverit, elaborato. 5. De Harmonia mundi, ex partibus per naturalem diſcordiam diſſonantibus in naturalem tamen concordiam redactis, producta. 6. Naturam ſemper *eandem* eſſe, & ſemper *aliam* in ſucceſſiva perpetuitate rerum, quæ deficiunt. 7. Anatomia ventris in minutiſſimo ſemine inſtituitur, in quo integrum proceriſſimæ arboris corpus continetur, & inde producitur. 8. Mundum contemplatur Autor, ad novum Architecturæ ordinem, qui incompoſitus plane videri queat, eo majori artificio compoſitum: 9. Cœlum, patriam mentis in terra feliciter exulantis: 10. *Solem*, ceu magnum Dei *Eleemoſynarium*: 11. 12. 13. Deum in minimis operibus ſuis maximum, e. g. in portatili & vivo *cochlearum* domicilio, in *floris* viliſſimi amictu regalem Salomonis cultum ſuperante, & *Microſcopio*, quo ſtupendum in tenuiſſimorum animalculorum compage artificium conſideratur: 14. Archetypon vultus humani a divina Providentia tot diverſis diverſæ inventionis exemplis, naturæ tamen convenientibus, in nobis expreſſum; ubi in nobiliſſimi iſtius pictoris *Michaelis Angeli Buonaroti* encomium aſſeritur, nunquam duos ſibi ſimiles vultus humanos ab eo pictos fuiſſe: 15. Magiſterium ingenioſæ mentis, & Miniſterium *manuum*, & harum decoram ſtructuram cum utilitate operæ conjunctam. 16. Naturam *Somnii* per ideam Co-

mœdiæ

mœdiæ a Phantaſiis in imaginationis theatro recitatæ indagat, & ſibi ipſi accidiſſe teſtatur, ut ſomnians alium in ſoluto & ligato dicendi genere tam ornate loqui audiverit, quam quidem nec a vigilante expectari poſſit. Lib. II. C. 1. *Ignorantiam* producit de Sapientiæ divinæ judiciis abſque judicio philoſophantem. 2. Sapientiam Dei ex mundi gubernatione undique relucentem exiguo capitis noſtri circulo male circumſcribi. 3. quomodo unius reſponſionis filo, ſc. *pro univerſis rationibus autor Deus*, ex tot labyrinthis dubiorum circa ſecretiores Providentiæ divinæ diſpoſitiones, nos extricare queamus. 4. Monſtrat, quam bene *mala culpæ* a providentia divina ordinentur, eaque cum *umbra* picturis majorem gratiam addente comparata exemplis *Joſephi* & *Jobi* illuſtrat. 5. Mundum in Deo, & Deum in mundo proponit, & quomodo ipſi omnia ſint præſentia, & ipſe præſens omnibus. 6. Mundum univerſum eſſe unam domum, omnes homines unam familiam, providentiam divinam matrem circa ſingulos æque ſollicitam, ac ſi in uno habeat omnes. 7. Benignitatem divinam gratiæ quaſi ſibi ducere, ſi gratiam largiendi occaſionem habeat, matri comparandam dolenti, ſi deſit, qui lactis ſibi exugat abundantiam. 8. Naturam & tempus ab anima conculcari, cum nec bona illius vitam, nec iſtius mala mortem huic inferre valeant. 9. *Neceſſitatem* vitæ civilis, *Paupertatem* omnium artium parentem, utramque inter primas providentiæ gubernatricis miniſtras referendam eſſe. 10. Tres *fatuæ* ſiſtuntur condemnatæ, *Fortuna nuda* ad fuſtigationem: *Aſtrologia vana* ad Anticyras: *Atheiſmi* impietas ad compedes & catenas; & quidem ad exterminandam e mundo Fortunam alia re opus non eſſe, quam ut ex imaginatione noſtra exturbetur. 11. *Aſtrologia* coram tribunali cauſam ſuam orat, quinque falſis ſtipata teſtibus, veridicam eam aſſerentibus. 12. Bartolus agit de telis aranearum, quas Aſtrologia ſe paſcendi cauſa ſilet, textat, tendat & ſummos mundi Aquilas iis irretiat. 13. Artificium detegit componendi faſtos, ex quibus in ſingulos dies cognoſcas id, quod nunquam futurum eſt. 14. In Cœlo Aſtrologiæ omnes ſtellas docet eſſe maleficas. 15. Quomodo Aſtrologia interdum vera divinare ſoleat, ſed caſu; allegato exemplo *Juvenis* cujusdam *Itali*, cui Aſtrologus ex hora genitali, omnia quæ ipſi jam contigiſſent, accuratiſſime indicaverat; ſed qui in patriam reverſus integri anni, ejusque ab illo, quem vati ſuo deſignaverat, ratione poſitus ſtellarum longe abeuntis, errorem in anna- Lib. II.

libus domeſticis deprehenderit. 16. Gulæ, *Athei*, a Ratione, omnium Gentium conſenſu, & Rerum naturalium multitudine convicti, reſtis injicitur.

IV. GEOGRAPHIA *ad uſum moralem reducta* hæc fere complectitur. *Inſulæ* nimirum *fortunatæ*, (de quarum nominibus magna expectari, ſed infra famam vocabuli rem eſſe *Solinus* c. 60. ſcripſit,) ſpem aulicam effingunt: *Ætna* ignivomus, infamiam frenantem Potentiorum licentiam: *Ithaca* ſuavem Genii violentiam: *China* cœcitatem ejus, qui ſe ipſum non cognoſcit: Promontorium *Capo Non* dictum, turpem petitionem lepida quadam negatione retuſam: *Atlas*, ingentes humeros amplo officio pares: *Cataractæ Nili*, proprietatem Grandiloquorum, aures auditorum obtundentium, aut ut eos locuturos fugiant, adigentium: Campi *Urabæ* in America Septentrionali terna per annum fertilitate ſuorum remunerantes cultorum induſtriam, dum eodem die ſemen, quod metitur, in novæ ſpem meſſis terræ ſtatim mandatur, docent, vitam longam brevem eſſe illis, qui ſaltem vivunt, brevem vero fieri longam operoſa diligentia: *Zeilan*, cinnamomi copia celebris inſula, homines denotat, quorum tota bonitas in extraneo ſaltem cortice hæret: *Rapiditas ſecundi fluminis*, eos, qui a recta via ad ſtolidam vulgi opinionem ſe abripi patiuntur: *Ultima Thule*, pravæ ſolitudinis mala, & probatæ converſationis bona: *Caput B. Spei*, malum, quod prævíſum, dimidia ex parte jam ſuperatum eſt; improviſum vero, hominem tantum non penitus ſuperavit: *Strophades* juſtitiam ſub avaritiæ jugum redactam: *Madera* inſula ſylvis olim horrida, nunc in hortum quaſi maris Atlantici verſa, quomodo quis ex ſe ipſo melior, quam natus fuit, renaſci poſſit: *Mytilene*, oppidum *eleganter* ædificatum, ſed *non prudenter* poſitum, cum flante *Auſtro* habitatores ibi omnes ſimul ægrotent, *Cauro* tuſſiant, *Aquilone* revaleſcant; ſtolidam vitæ certæ electionem materiam pœnitendi per totam vitam præbere: *Capreæ*, immenſæ altitudinis prærupta rupes, vitam Magnatum, ideo quia magni ſunt, non poſſe occultari: *Moluccæ* per ſe incultæ & nil niſi caryophylla producentes; certos homines philoſophiæ deditos, ſi externa videas, nil egregii in ſe habentes, ſed ſumme bonos, ſi probentur, & interius perſpiciantur: *Promontorium Caphareum*; adulationem, inſtar ſcopuli ad dictum promontorium ſub aqua latentis, Principibus periculoſam eſſe: *Antipodes*, certos homines contrarium ſemper ſtatuentes: *Rhodus* vigorem animi

animi etiam inter damna ſua triumphantis, præſertim in ordine Equeſtri Rhodienſi: *Mare glaciale* timorem prudentem & timiditatem ſtolidam: *Thermopylæ*, circa quas *Leonidas* cum 300 Spartanis numeroſiſſimum Xerxis exercitum repulit; quomodo vitia uno ſimul impetu inſuperabilia vinci poſſint, ſi unum poſt alterum adoriaris: *Theſſalia Centaurorum* ſedes, ſemihomines & ſemibeſtias in mundo paſſim obvi-antes: *Lybia deſerta*, in qua viatoribus ſtellæ cynoſuræ vicem præbent; in mundi deſerto ambulanti, niſi cœlum pro duce habeat, pereundum eſſe: *Anticyra*, prudentem monitorem tempeſtive adhibitum inſulſum reddere ſapientem: *Terra incognita*, ſemper mortuos in oblivione, & ſemper ſuperſtites in gloria: *Lacus Avernus*, peſtilentem oris maledici afflatum: *Scylla & Charybdis*, deſperationem, ut quis ex minori in malus ſe malum præcipitet, ſuadentem: *Mare mortuum* Jordanum recipiens, nobilitatem ſanguinis in morum ignobilitate evaneſcentem: *Terra ſancta*, quomodo ſuæ cuique ædes Terra ſancta eſſe valeant.

Sequuntur tandem tres Libri Symbolici ſeu SYMBOLA ad *moralem* uſum itidem accommodata. Ita L. I. c. 1. per *Solem* ex limatiſſimo & rutilante auro conflatum, terſisſimæ cryſtalli globo incluſum, & ſupra *Regum Perſiæ* tentorium collocari ſolitum, qua machina ſe movente totus exercitus, ordine compoſito pariter ut ſe moveret & ſequeretur, admonitus fuit, *boni & mali exempli* a *Principibus promanantis boni & mali influxus* in ſubditos adumbrantur. 2. *Echo ſeptem Turrium Cizyci* ſepties reſonans eos notat, qui pro ſuo obtrudunt, quod ex alterius ore hauſerunt. 3. *Urna porphyretica*, quam *Severus Imp.* felicem dixit, quod intra anguſtum ſuum ſinum magnum illum *Septimium Severum* receptura eſſet, nimiam ſui ipſius æſtimationem arguit. 4. *Dentes apri Adonidi lethales*, jocoſam dicacitatem alios ſerio lacerantem innuunt; reſpicitur enim ad excuſationes apri iſtius in judicium ob cædem Adonidi illatam adducti, quod ſcilicet ex nimio amore Adonidi dormienti oſculum infigere voluerit, adeoque invitus mortiferum ipſi ictum inflixerit. 5. *Remus* dimidia ſui parte aquæ immerſus & *fracto* ſimilis; veritatem accuſationis primo indagandam, & deinde ferendum judicium eſſe. 6. *Navis ſacra Athenienſium* olim ad ſacros ſaltem, poſtea vero ad varios eosque viliſsimos uſus adhibita, ad ſtatum conditione ſua indignum ſe non demittere admonet. 7. *Nilus capite carens*, librum

V. Lib. I.

librum maledicum absque nomine Editoris: 8. *Oculi minervæ* ab Amulio excellentiſſimo pictore ita picti, ut ſpectatorem aſpectaret quacunque adſpiceretur; civilitatem Virorum in eminenti faſtigio conſtitutorum: 9. *Umbra Bucephalum* intractabilem reddens, animum ſuſpicacem ſimulque remedium ſuſpicioni eximendæ idoneum: 10. *Effigies Antigoni* ab Apelle oblique depicta, ut pars faciei altero oculo orbatæ artificioſe tegeretur; errores, quos judicium affectibus, amoris imprimis, abreptum committere faciat: 11. *Canis* in *Capitolio* in actu vulnus lingendo ſibi ſanantis, *ex ære* ad vivum & ſtuporem affabre fuſus, *ægrotum* decore ferentem dolores, & patientia iis medentem: 12. *Apis ſuccino* caſu *involuta*, & inde *viſibilis* ſimul & *abſcondita*; in mulieribus, quas non ita indutas eſſe deceat, ut nudæ videantur, honeſtatem animi ex modeſtia amictus elucentem: 13. *Vivi cum Mortuis a Mezentio colligati*, innocentes per aliorum culpam culpabiles factos: 14. *Scorpionis ſuper locum ictum comminuti medela*, hominem malæ linguæ & malæ vitæ malefactis ſuis omnem fidem maledicentiæ ſuæ tollentem; 15. *Cervi* mutuo adjutorio ſibi præſtito *mare trajicientes*, Literatos ad detegendas novas veritates, ut antiquis eas adjungant, ſe conjungentes delineant. In Lib. II. C. 1. *Gigantes* ita *picti*, ut lacunarium ſuſtentacula mentiantur, homines nihil agentes, qui tamen omnia ſe facere videri velint; 2. *Athenarum mœnia* a reliquis Græciæ civitatibus, quibus illæ antea inſultaverant, *ad tibicinum cantus diruta*, exterminationem hominum rixoſorum anſam publicæ lætitiæ præbentem; 3. *Minos* victis Athenienſibus ab iis ad judicis infernalis munia obeunda condemnatus, damnoſum lucrum, quod ex contracta cœtus literati inimicitia reportatur: 4 *Berecynthia* ſeu mater Deorum Cybele, coronæ loco, *caſtellis* & *turribus redimita*; Superioribus ſemper de ſubditis ſuis cogitandum: 5. *Turres bellicæ* mobiles *pluribus* adhuc *turribus* inſtructæ; unum interdum æque tantum valentem, quantum complures alii valent: 6. *Grues Caucaſum & Taurum transvolantes*, & ne clangore aquilis ſe prodant, lapillis claudentes roſtra; de potentioribus absque maximo periculo ſermones non fieri: 7. *Spelunca*, in qua *Euripides Tragœdias* ſuas compoſuit, effigiem Melancholici ſeipſum ſibi repræſentantis ſiſtit, 8. *Mauſoleum Cariæ*, cujus quatuor facies exteriores ob admirabile artificium optimos ſculpturæ magiſtros reddere potuerunt; majeſtaticum & ſimul utilem, quem vir magnus

Lib. II.

præ

præ ſe fert aſpectum, ut ex eo vel tacente proficias: 9. *Panes* a Manlio *projecti ex Capitolio*, cujus obſidionem ſolverunt Galli ſimulata illa annonæ abundantia decepti; eos, qui externo faſtu ſuperbientes domi non habent, unde vivant: 10. *Boletus Claudio mortifer*; laudes venenatas, & tam adulatorum, quam adulationi auſcultantium culpa publico pernicioſas: 11. *Tres lineæ Apellis & Protogenis* de ſubtilitate ductus certantium, quarum tertia & Apelle ducta nullum exactiori ſubtilitati locum reliquit; eo usque in ceremoniis *urbanitatis* progrediendum, ne gratiam amittant: 12. *Harpyiæ* Æneæ menſæ advolantes, diripientes dapes & omnia contactu fœdantes; gulæ & linguæ in conviviis exceſſus: 13. *Pendulum*; vilitatem & infelicitatem eorum, qui ab aliis dependere eorumque ſe accommodare coguntur moribus: 14. *Lucernæ Sepulchrales*, dum ſepulchra aperiuntur, extinctæ; virtutem, ad datam ſe exerendi occaſionem, deficientem: 15. *Socratis effigies* in poculis aliisque vilioris generis vaſis expreſſa; indignum Philoſophorum antiquorum contemptum. Lib. III. Cap. 1. *Tragœdia & Comœdia*, Lib. III. duæ ita dictæ villæ Plinii ad Lacum Comenſem, altera in *planitie*, altera in *monticulo ſaxoſo* proxime ſibi vicinæ, in mentem nobis revocant, quomodo a ſeriis ad jucundam innocentemque recreationem optime quis transgredi poſſit; 2. *Statua Vulcani* ab Alcamene ita ære expreſſa, ut pedis claudicantis defectus & venuſte pateret, & lateret artificioſe; alterius defectus artificioſe tegere pariter, ac venuſte, ubi opus, detegere, nos decet. 3. *Murrhina vaſa Cleopatræ*, in memoriam vaſorum argillaceorum, quæ Regibus alias Ægypti in uſu fuerant, *fictilia* ab ea vocari ſolita; *Vocabularium* referunt, quo Vitia Virtutum, quibuscum *convenientiam* aliquam habere deprehendas, appellatione pallientur: 4. *Theatrum Pompeji* a Tiberio reſtauratum & *Sejani* ſtatua ornatum; injuriam, quæ benemeritis indignorum exaltatione infertur: 5. *Fluvii* intra terræ viſcera ſe *condentes* & alicubi iterum *erumpentes*; famam & infamiam, qua mortui reviviſcunt: 6. *Chiron*, qui equitandi arte Achillem inſtruxit, inferiori corporis parte equum referens; dextram juventutis informationem, ſi magiſtri ipſi faciant, quod pueros docent: 7. *Menſa Agathoclis*; qualis eſſe ſoleat & debeat ex tenui ſorte in altum evectus. 8. Signum *Urſæ majoris* pectori *Auguſti* a natura impreſſum; feram aliquam beſtiam in cujusvis ſinu latentem, cujus natura ſollicite inveſtigari, & ne ab ea lædamur, præcaveri debeat:

9. *Vaſa ſerpentibus plena* ab *Hannibale* per ſtrategema adhibita; diſcordiam domeſticam: 10. *Nilus Ægyptum ſicciſſima* anni tempeſtate inundans; verum amicum ſolatio & adjumento opportune nobis ſuccurrentem: 11. *Hannibal ridens*, reliquis Reip. ſuæ Senatoribus miſeriam ſtatus publici deplorantibus; ſtultos perſtringit, tunc ſaltem prudenter agere occipientes, quando commoditas prudenter agendi jam elapſa eſt: 12. *Stellæ cadentes, inter cadendum* ſolum *luminoſæ*; infelicem virum, qui ſingulari magnanimitate præditus mala ſua in bonum, & damna in utilitatem ſuam vertere ſciat: 12. *Enſis Brenni* iniquis lancis ſuæ, in qua Romani aurum pro libertate redempta promiſſum pendebant, ponderibus inſolenter ab ipſo adjectus cum hoc ſarcaſmo: *Væ victis eſſe*; indecentia & violenta acrium & ſcrupuloſorum nimis ingeniorum poſtulata: 14. *Ptolomæus II. podagroſus*, qui agricolas quosdam poſt parciſſimum jentaculum vitulantes & in terram ſe invicem proſternentes conſpicatus exclamavit: *heu me infelicem, qui neque unus ex iis eſſe poſſum*; alium paucis *contentum*, alium inter opes & delicias non contentum: 15. *Magnes*, qui chalybe *armatus* duplo majus ferri pondus attrahit, quam rudis; bonum Principis miniſtrum apposite repræſentat. Et ſic ex hiſce Operum *Bartoli* argumentis, ad quæ digitum ſaltem intendiſſe ſufficiat, de recondito ibi variæ ejusque utiliſſimæ, quæ in Veterum libris maxime latet, prudentiæ theſauro, per tranſennam quaſi & ex ungue leonem conjicere licebit; ut adeo, qui alibi in Actis noſtris nobis dictus fuit, exactiſſimi judicii Vir *Daniel Caſpari* a *Lobenſtein* aliquando noſtratium cuipiam in Italiam tendenti de conquirendis maxime *Bartoli* operibus haud vanus auctor extiterit, nec eundum ſit inficias, qui omnia vel aliquam eorum partem vernacule loqui docere pergat, operam non male collocaturum, & apud eos, qui Italica non intelligunt, haud levem initurum gratiam.

ILLUSTRE STEMMA RUTHENICUM,
das iſt,
Gräffl. Reüß-Plauiſche Stamm-Taffel.

Schleizæ, apud Wolfg. Adrianum Wertherum, 1684. in Folio.

Plagul. 136.

VIr doctiſſimus, Petrus *Becklerus*, de illuſtriſſimis Comitibus Ruthenis

thenis non uno modo optime meritus, operis hujus auctor, *arborem genealogicam Ruthenæ Gentis* in tabula unica ænea quinque & dimidium cubitos alta, lata vero cubitos quatuor & dimidium, anno 1681. repræſentari curaverat. Cum autem hæc auguſta ſua mole argumento quidem, quod pertractat, optime reſponderet, minus autem commode in eruditorum muſeis locum reperiret, viſum fuit Becklero, *Stemma Ruthenicum* in plures tabulas diſpeſcere, ac commentario ampliſſimo, luculento, variisque diplomatibus veteribus ac memoria poſteritatis digniſſimis exornato illuſtrare. Antiquiſſimæ autem familiæ origines non altius repetiit, quam ab Ecberto Comite Oſterrodenſi, ut & poſtmodum Schvvarzenbergenſi & Plavienſi, ſeculo X. clariſſimo; quod ab eo tantum tempore acta & monumenta indubitatæ fidei affatim ſuppeterent, quibus hiſtoriam ad noſtrum usque ævum pertexendam ſuperſtrueret. Utut enim diplomati Imperatorum Romanorum, inter κειμήλια Comitum Ruthenorum ſuperſint non una, ubi hi e gente aliqua Romanâ pervetuſta ortum traxiſſe perhibentur; merito tamen Becklerus judicavit rem altioris indaginis dignamque eſſe, quæ peculiari opere, ex reſiduis antiquitatum Romanarum Germanicarumque ruderibus erueretur, & quanta fieri poſſet, diligentia explicaretur. Hoc igitur facere conſtituerat in *Speculo honoris Ruthenici* (Reuß-Plauiſchen Ehren-Spiegel,) ſexcentis fere figuris æneis ſtipando. Sed incendium, quod non ita pridem maximam Schleizæ partem horrendum in modum in cineres redegit, non tantum pleraque præſentis libri exempla, ſed & (inſigni rei literariæ jactura) ſciagraphiam & apparatum operis illius corripuit ac optimos Auctoris conatus ſufflaminavit. Fortaſſis tamen ille non gravabitur, telam iſtam iterum ordiri; quod ut magis auſpicato fiat, nos, pro eo, quo in veritatem hiſtoricam ferimur, ſtudio, vehementer cupimus animitusque vovemus. Cæterum ad prælum paravit omnibusque jam numeris abſolvit opus aliud Germanicum, cujus titulum Latine ita expreſſeris: *HOWORA REDIVIVUS, h. e. Hiſtoria poſterorum HOWORÆ I. Dynaſtæ Bohemi, quadripartita ſecundum numerum familiarum illuſtrium illinc ortarum, nempe Dominorum de Leippa, de Ronova, de Lichtenburgo & de Berka.*

M. JOH. Weiſſenborns GYMN. EVANG. HILDES. DIrectoris *Nucleus Artis Logicæ præceptis ac notis ſelectioribus exhibitus, & juſſu Superiorum pro Gymnaſio Hildeſienſi publicatus.*

Hildeſiæ ap. Benedict. Gentſchen, Anno 1689. in 12

Plagul. 24.

TAmetſi non abs re Philoſophus Altorffinus acutiſſimus, Michael Piccartus, ſua jam ætate dixerit: *Logicos libros de arte dialectica ſcriptos, quis tam peritus eſt artis arithmeticæ, qui numeret? quod mare tam patulum aut altum uſpiam reperiatur, tantis oneribus ferendis par?* tamen non male de Juventutis ſtudiis cenſetur Autor meritus, quando rejectis opinionum putaminibus, *Nucleum Artis Logicæ* luci publicæ expoſuit. Improbo enim labore collectum eum cernimus ex probatiſſimis Ariſtotelis interpretibus Logicisque præſtantiſſimis, Bechmanno, Höpfnero, Piccarto, Neldelio, Zeidlero, Viotto, Scheiblero, Wichelmanno, Dannhavvero, Keslero, Martini, Hornejo, Zeiloldo, Stahlio &c. eoque accommodate omnia ad ſeculi præſentis uſum, ſententiamque primi artis hujus magiſtri Ariſtotelis (fatetur enim is, alios quidem ante ſe τὰ ἀπὸ τῆς τέχνης, verum non ipſam τέχνην: ἐπιστήμην item, non vero τρόπον ἐπιστήμης tradidiſſe) in eodem explicari, non eſt, cur dubites. Tritam ergo præcipuorum mentis noſtræ officiorum ſeriem ſecutus, initio de Terminis, poſtea de Enunciatis, & tandem de Syllogiſmo agere hic inſtituit: utque Demonſtrativum Syllogiſmum doctrina de definiendi, dividendi, atque diſponendi ratione excipit; ita poſt Topicum de Pſeudographemate, & Elenchis Sophiſticis, eorumque recta ſolutione præcipitur. Cum enim probe intellexerit vir optimus, ſcientis in re qualibet officium eſſe, non modo non mentiri in iis, quæ novit, verum & alium mentientem patefacere & protrahere in lucem poſſe: adeoque officium artis Logicæ non verſari in veris ſolum argumentis connectendis, ſed in male cohærentibus ſeu falſis quoque retexendis atque refutandis, ut Philippus loquitur; paralogiſmorum vitiis, & iis ſubinde conſequentiis, quæ impingunt in regulas artificum, manifeſtandis operæ non nihil tribuendum judicavit. Poſt capitum, rerumque indicem, nuda quoque artis hujus principia, Logicarum pu-

ro

ta rerum definitiones, in Summam aliquam ex ipſo Nucleo contractæ, ſubjiciuntur eo fine, ut artis alumni, quæ memoriæ potiſſimum mandandæ ſint, uno intuitu poſſint perſpicere. Præmittitur autem Nucleo Duumvirorum celeberrimorum, Dn. D. Valentini Alberti, & Dn. L. Georgii Goëzii præclarum de hoc ſcripto judicium.

RELATION DE LA NIGRITIE,
ſive
Relatio de Nigritarum regione.
Pariſiis apud Edm. Couterot, 1689. in 8.
Plag. dimid. 9.

INter partes Orbis terrarum nondum ſatis hucusq; nobis cognitas haud poſtremum locum obtinet illa Africæ portio, quæ a Nigritis, nomen a famoſo amne Nigro nactis, habitatur, cujusque hiſtoriam libelli hujus Rubrica pollicetur. Scilicet promittit ea exactam deſcriptionem Regnorum hujus tractus: ſicut & præmiſſa præfatio nobis ſpondet accuratam ejus notitiam Hydrographicam, Uranographicam ac Geographicam, curioſitati eorum, qui hisce ſtudiis oblectentur, abunde ſatisfacturam. Sed tantum abeſt, ut exactam nobis deſcriptionem iſtarum terrarum largitus in hoc libello Auctor fuerit; ut vix quidquam præter ſola nomina regnorum, ne quidem omnium, ſed maximorum duntaxat iſtius regionis exhibeat, quæ enumerat *Foulles, Tombut, Brak, Guiolopb, Galaam, Thim, Cabior*: certe ad Coſmographicam ſcientiam quæ facere queant, tam parce tetigit, ut vix generales magni hujus Imperii limites inde ſatis pateant, nedum ſpecialis locorum ſitus. Ut adeo non habuiſſet Autor, cur tantopere culparet Hiſtoricorum ac Geographorum plerosque, quod de hac regione tam pauca & ne ea quidem ſatis certa nobis tradant, falſis nempe relationibus nixi: quandoquidem ipſe parum aut nihil attulit, quod ſupplendo tali defectui ſufficere poſſet; præterquam quod teſtatur, ſe ſciſcitando ibi nil quidquam inaudire valuiſſe aut de Regno *Senega*, aut de urbe ejus nominis, quæ & alias *Tulucatan* vocetur, in regione Nigritarum ſitis, uti quidem *Morerius* in ſuo Dictionario (de quo in *Actis M. Mart. 1682. p. 68.* diſſeruimus,) ſcriptum reliquerit: negare tamen nequit, egregium terræ tractum & ad plusquam 400 leucas ab oriente verſus occaſum ſemet extendentem a Senega (quod unum eſt e brachiis, in quæ Niger amnis ſeſe dividit) includi, quem ipſe Noſter alicu

P. 79. (margin, beside line "beat, quæ enumerat…")
83. (margin, beside line "riente verſus occaſum…")

81. alicubi inſulam Senega vocitat, & in quo ſitam refert Gallorum habitationem, *S. Ludovici* dictam, quindecim cum dimidio gradibus a linea æquinoctiali diſtantem & mari Atlantico adjacentem, ubi Autor ſe potiſſimum tenuit, dum iis in oris commoratus eſt. Nimirum ipſe, qui in præfixa dedicatione ſemet nominat *E. J. B. Gaby*, Superiorem Conventus Obſervantiæ S. Franciſci de Loches, cum tribus aliis ejus ordinis
3. Patribus, *Tartari, Piſon* & *la Chaire*, ſub initium anni 1686 a Rege
2. Galliæ ablegatus fuerat ad propagandam apud Nigritas religionem Chriſtianam. Conſcenſa itaque nave, S. Catharinam pro inſigni geſtante ac Dn. Deslandes Capitaneum habente, ſalutatisque in itinere in-
14. ſulis Canariis (quarum incolas ab hoſpitalitate, ingenio, modeſtia converſatione, & gravitate faſtus experte, magnopere laudat) ineunte Junio ad eas oras appulerat. Quantos ibi cum ſociis progreſſus in con-
33. vertendis infidelibus fecerit, non ſatis exponit; diſcurſus tamen ab eorum aliquibus ſecum ſubinde habitos commemorat, indeque arguit, ipſos non adeo abhorrere a regulis evangelii, ſatisque propendere ad amplectendam doctrinam puriorem probitatemque Chriſtianis di-
38. gnam; nonnullos etiam audita a ſe habita concione ad ſuſcipiendum baptiſmum proclives fuiſſe narrat. Cæterum maxima libelli hujus pars inſumitur recenſendis conſuetudinibus moribusque hujusce gentis, nec non aliquibus ad hiſtoriam naturalem regionis facientibus; e quibus non pigebit nonnulla huc tranſcribere. Ac primo, quod religionem incolarum concernit, docet, eos quidem Mahometis ſectæ ad-
39. dictos eſſe, ejus tamen præceptis non ita ſtricte parere: indeque nec ab uſu vini abſtinere, nec diem Veneris reliquis ſanctiorem reputare:
40. quin potius ſeptimæ diei celebrationem penitus ignorare. Quatuor vero potiſſimum feſta obſervare eos memorat, quæ ſint *Ramadam*, *Circumciſionis*, *Tabaſket* ac *Gemon*. Primum horum, iis cum Turcis commune, incipere a novilunio Novembris & conſiſtere in jejunio menſtruo; dum per hoc ſpatium interdiu ab omni cibo potuque abſtineant, noctu tamen bis terve ad comedendum ſurgant. Alterum *Circumciſionis feſtum* tribus quatuorve ſeptimanis poſt Ramadam incidere ait, quo ipſorum filiis circumciſionem ſuſcipere ſolenne ſit: huic vero ceremoniæ nullam certam ætatem præfiniri, ſed fere inter decimum & decimum octavum annum eam fieri, ac politicam potius, quam ſacram haberi, indeque nec a ſacerdotibus, quos *Marabouſios* vocitent,

tent, ſed a quovis obvio expediri: circumciſos vero abſque ullo doloris ſigno totum illum diem choreis, tripudiis epuliſque tranſigere, eo præterea privilegio gaudentes, quod usque donec vulnus plene fuerit conſolidatum, liberum ipſis ſit obvias quasque pecudes, etiam alienas, 43.
pro lubitu mactare: ut alias ejus diei feſtivitates, quas Autor memorat, taceamus. Feſtum *Tabeſquet* die decima poſt novilunium Februarii 46.
celebrari aſſerit, ac præter ſolennes preces, (quas *Sala* nominant certis- 40.
que ritibus faciunt, ſpeciatim partibus corporis ſecretioribus prius aqua luſtratis) conſiſtere fere in exercitiis equeſtribus & convivio ex arietibus ſacrificatis apparato. Denique Feſtum *Gomon* in diem decimam Maji 46.
incidere refert, qua annum ſuum auſpicari ſoleant: atque tum per tres noctes proximas congregatos a Solis occaſu usque ad ortum continua circa Marabuſium, caput aliquod ex Alcorano prælegentem, tripudia ab ſonum tympani agere, iisque finitis junctim exclamare *Hiamamar*, quod ipſorum lingua ſignet, *Deus nos conſervare dignetur ad ſequentem usque annum.* 53 73.
Cæterum Marabuſios illos & judicium munere defungi ait, & juventuti informandæ adhiberi, quam tamen, ipſi ſcilicet ſatis indocti, vix aliud docere ſoleant, quam Arabicas literas legere ac exarare, nec non varia ex Alcorano loca ſolennia certis ſchedulis (*Gris-gris* dictis) inſcribere, quas complicatas dein ſatis caro pretio ſuperſtitioſæ plebeculæ divendant, amuletorum inſtar collo appendendas pro 74.
variis uſibus, puta averruncandis in prælio vulneribus, recuperanda ſanitate, fauſto itinere, felici conjugii ſucceſſu & ſimilibus. Cœnæ ac- 76.
cubituris fert ſolenne eſſe, prius plenam manum de ſuo *Kouſcou* (quod communiſſimum ipſorum edulium eſt, panis micam ſpecie referens) pauperi cuidam largiri, aut ſi talis non adſit, canibus domeſticis objicere aut in aerem ſpargere, quaſi Deo oblaturos. Metempſychoſin quo- 77.
que ſtatuere eos arguit, ideoque a ſuffocatis animalibus abſtinere, ne fortaſſis cujusdam e majoribus ſuis animam una deglutiant. Potiores 69.
in funere defunctorum ceremonias in barbaris ululatibus fœminarum præſertim & Marabuſiorum, conſiſtere ait: in Regum tamen ſepultu- 71.
ra id ſpeciale obſervari, quod plura mancipia ſimul mactentur foſſæque injiciantur, ac bos immoletur (quod *Sacrificium Chincnſe* vocare ſueverint) ſub arbore quapiam prope mare, cujus ramis dein appendant cornua ac pedes, quæque inde tam ſacra reputetur, ut vel folium inde decerpere, ſcelus ſit carcere, ſi non graviori ſupplicio piandum. Sta-

tum

tum politicum quod attinet, notat Autor, fœminas ibi nunquam ad re-
48. gnum admitti: regnum vero filios ſucceſſionis in regimine non magis
ſecuros eſſe poſſe, quam remotiſſimos ex agnatis, dum rege defuncto
moris ſit, ut primores ejus ditiones ex ipſius familia libere eligant, quem
inter cæteros ſceptro magis aptum judicent: ac plerumque vota in eum
collimare, qui ſecundas a Rege vices ipſo adhuc in vivis exiſtente te-
nuerit Præfectus. Bella eorum impetu potius & ſubitis incurſionibus,
quam juſto ordine geri perhibet: & quamvis utrinque educto numeroſo
63. militum agmine acria ſubinde prælia miſcere ſoleant, non tamen facile
occiſorum ultra 60 aut 80 numerari, cum reliqui propere fuga ſibi con-
ſulere ſoleant, aliarum nationum pertinaciam in dimicando ridentes,
60. quaſi neſcirent, quantum vita bonum eſſet. Obſidiones vero apud eos
penitus ignorari dicit, cum locis urbibusve munitis plane deſtituantur,
vel ideo maxime, quod eorum regio ita comparata fere ſit, ut vix ad du-
orum triumve pedum profunditatem fodere ad excitandum murum
vallumve liceat, quin aquas offendant operarii labori ulteriori obſtacu-
la creantes. Potiora militum arma præter acinacem & ſpiculum me-
morat ſariſſas, quas ſenas ſeptenasve ſinguli geſtent & jaculorum inſtar
56. dexterrime vibrare norint: ſcuta item coriacea tam bene ſubacta & præ-
parata, ut vel ictum ſclopeti vulgaris ſuſtineant illæſa: non tamen fidu-
ciæ ſatis aut in armis aut in fortitudine ſua pleroſque eorum reponere,
57. ſicubi pugnandum ſit, niſi *Grisgriſiis* illis ſeu ſchedulis magicis capilli-
64. tio implicatis ſemet abunde etiam muniverint. Quoad reliquam vi-
tam perhibet eos primariam voluptatem in cibi potusque, quibus ſe præ-
ter modum ingurgitare ament, deliciis quærere, nec non in luxurioſo
concubinarum uſu, quarum nempe tantum habere numerum liceat,
quantum alere valeant. Nihilo tamen ſecius matrimonii quoque juſti
65. ſpeciem apud eos ſervari: ubi moris ſit, ut ſponſus ipſe ſponſam dotet
eamve certo donario a parentibus redimat: quo facto mox invicem
deſponſati cohabitent, dilatis nuptialibus ſolennitatibus, donec prius
per aliquod tempus alter alterius animum probare valuerit: hunc ete-
nim ſi non ſatis inter ſe conſonare deprehendant, libere iterum invi-
cem diſcedunt, abſque ullo præjudicio puellæ ejusque famæ hinc metu-
endo; cum innuptis alioqui paſſim ſe proſtituere indulgeatur. Semel
tamen conjugii vinculo nexas teſtatur Autor fidem maritis ſanctiſſime
66. ſervare, in tantum ut adulterium inter eos pene res inaudita ſit, ac tanto

apud

apud omnes in odio & contemtu habeatur, ut ne quidem per leges illud interdicere hactenus opus ibi fuerit creditum. Artes manuarias inter haſce gentes non magnopere frequentari aſſerit; imo præter textores, aurifices, ſutores, ephippiarios fabrosque lignarios, vix ullum apud eos opificem haberi. E rebus ad hiſtoriam naturalem ſpectantibus, notamus arbores aquis copioſe adnaſcentes, *Paleſouvies* dictas, multa medulla & perpetuo virore gaudentes, fructibus tamen penitus deſtitutas; quibus naturale eſt de ramis majoribus teneros ſurculos filorum inſtar in terram ſponte demittere, ubi radicibus captis in novas evadunt arbores, ita ut continuata hac propagatione, intra breve tempus vel arbor una nemus efficere videatur. Porro obſervavit ibi Autor milvos, pellem moſchi odore præditam habentes, quæ pectori applicata ſtomachi morbos curare creditur; item avicularum ſpeciem, Gallicas omnes exilitate ſuperantem, variaque plumarum venuſtate vel pſittacis, cantus vero ſuavitate paſſeribus Canarienſibus longe anteferendam, cujus tamen nomen reticet; culicum genus moleſtiſſimum, *Maringoins* dictum, quorum ictus, niſi beſtiola mox ſuper vulnere contrita occidatur, non minus periculoſi ſint, ac ſcorpionum Languedociæ: denique frequentes per ſpatium hibernorum menſium, a Majo nempe ad Decembrem usque, pluvias gelidiſſimas, guttis pollicem latis decidentes, tamque malignas, ut & cutem arrodant atque exulcerent, & veſtibus exceptæ tineas vermesque producant. Atque hæc fere ſunt notabiliora, quæ ex libelli hujus lectione compilare licuit. De ipſo regionis ſitu ejusque diviſione & partibus nihil addimus, cum hac de re, uti ſupra monuimus, Autor parce ſatis, nec niſi ex incertis aliorum relationibus egerit, ipſe ſcilicet ob non tutas ſatis vias non ita longe a Gallorum manſione profectus, quam ſupra diximus a *S. Ludovico* appellari, duabus tribusve domibus & quatuor turriculis conſtantem: præter quam inſula *Gorée*, oſtio fluvii Senega adſita, aliam adhuc arcem iidem poſſidere feruntur. Cæterum non dubitat Autor, & detectionem ulteriorem harum orarum expeditam ſatis, & incolarum converſionem faciliorem fore, ſiquidem Regi Galliæ placuerit mille circiter, aut amplius milites ſacræ ejusmodi expeditioni impendere: quem modum prædicandi Evangelium ſcilicet, Apoſtolis quidem penitus quondam incognitum, at noſtro tempore in reducendis ſub jugum Hugonotis tanto cum ſucceſſu adhibitum,

67. 28. 29. 87. 86. 81. 79.

Autor ſemel iterumque arrepta occaſione in præſenti tractatu ſummis laudibus extollere non omiſit.

TABLE-TALK.

i. e.

COLLOQUIA MENSALIA, JANI SELDENI, ARMIGERI.

Londini imp. E. Smithi, 1689. in 4.

Conſtant plagul. 8.

J*Anus Seldenus*, JCtorum Philologorumque Anglorum coryphæus, mortuus eſt d. 30. Nov. A. 1654. Inter multa, quibus famam æternam meruit, ingenii monumenta, æquum fuit, nec *poſthuma* negligere; qualia in Actis Erud. A. 1684. p. 304. 305. a nobis recenſita meminimus. Sed & *Apophthegmata* tanti viri, ejus per quatuor luſtra commenſalis, *Richardus Milwardus*, ab interitu vindicanda autumavit. Studioſe ergo ea excepit auribus primo & dein calamo, ac in locos tandem communes alphabeticos poſt Seldeni fata digeſſit. Quin autem dudum obierit, neque adeo ipſemet editionem hanc accurarit, vix eſt, quod dubitemus. Sunt effata illa ſtylo concepta familiari, perquam jucundo ac plus ſimplici vice jocoſo, quamvis de rebus Eccleſiæ & Status Anglicani maxime ſeriis agant. Plerumque ſimili aliquo conſtant, eoque a re viliſſima vel hiſtoriola admodum ludicra quandoque petito. Non raro ſibi invicem aliquo modo contraria deprehendas, juſte queſturus, non ordine temporis conſignata eſſe, ut liqueret, qua ratione ſenſim a Regiis in Parlamentarias partes Auctor pertractus fuerit. Crebro invenias dicta, quæ nec Epiſcopalibus, nec Presbyterianis approbatura ſe putes. Admiſcentur quædam minoris momenti, aut a communis moralis doctrinæ præceptis aliquantum aliena; qualia propalari vix paſſus fuiſſet ſuperſtites Seldenus. Speciminis cauſſa, farraginem excerpemus, ut ex omnibus generibus indicatis exempla Lectori curioſo ſuppetant.

pag. 7. n. 9. Epiſcopi (ait) eruditione ſua inepti fiunt gubernando populo, Heterogeneæ enim legi innutriti ſunt. Hinc ad Biblia ſtatim amant ruere, ac inde expromere rem apud Judæos uſitatam, quæ tamen Anglos nihil attinet. Similes ſane homini, qui a fabro fieri vellet catenulam,

non

non ut is vulgo facere ſolet, ſed tali modo, quo Hiram in templo Salomonis faciebat.

Num, ſi Timotheus Epheſi, Titusve in Creta poteſtatem obtinuit in Presbyteros, conſequitur inde, Anglos Epiſcopis egere? Quæ quæſo neceſſitas eſt, gubernari nos in modum Epheſiorum Cretenſiumve? p. 8. n. 1.

Qui Epiſcopale munus ita jure divino niti aſſerunt, ut Epiſcopos abdicare univerſos non liceat, quique ex diverſa parte hos ita Antichriſtianos ſibi imaginantur, ut neceſſe ſit, hierarchia Anglicana eos exturbare, pariter inſaniunt. Tales enim ſunt Epiſcopi, quales eos hoc illove tempore judicaverit Reſpublica. p. 8. n. 7.

Duellum certis caſibus, auctoritate Regum regni, in Anglia, non alibi, permittitur. Eccleſia olim duellis licentiam indulgebat, ut apparet ex veteribus liturgiis, preces complexis, a duellum inituris in æde ſacra dicendas. Bellum ſane licitum fatearis neceſſe eſt, quia Deus unicus Judex eſt inter duos nulli humanæ poteſtati ſubjectos. Jam vero ponamus, litem intercedere binis ſubditis, quæ teſtimonio humano non poſſit dirimi; cur non permiſſu Principis DEO illa dedicenda tradatur? p. 18. n. 1.

Amici veteres ſunt optimi. Jacobus Rex veteres calceos lubentius induebat, quod pedi jam aptati eſſent. p. 21.

Omnia bene verterent in republica, modo ſingula Parlamenti membra curam propriæ utilitatis deponerent, & de publica ſolum ſollicita eſſent. Nam ſi univerſum Medicorum collegium ægrum aliquem, communicatis conſiliis, juxta ſolas artis regulas curaret, ſpes eſſet, ſanitati illum reſtitutum iri. At ſi Medicorum aliquis multum habeat Scammonii, & ea propter recipi jubeat Scammonium, ut lucellum inde aucupetur; alter multum Rhabarbari habeat, eaque propter recipi jubeat Rhabarbarum, ut partem illius divendat, &c. &c. occident dubio procul hominem. p. 25.

Hiſpanus quidam in larario ſuo Sancti imaginem e pruno fabrefactam adoraverat. Accidit forte fortuna, ut ea confringeretur. Tunc faber lignarius novam ei paravit e pruno in proprio hominis horto exiſtente Verum nolebat is cultum novo huic Sanctulo præſtare, quod lignum noſſet, unde exſculptus eſſet. Sic dum in Anglia noſtra novi Comites Baroneſque creantur, temni eos vulgo videmus, quod nimium nota ſit eorum origo; quum e contrario cæteros omni honore ubivis p. 32. & 24.

dignos haberi animadvertamus, eo potiſſimum nomine, quod horum originem ignoremus.

Sunt Concionatores, qui quidlibet textui inferre norunt. Juniores artium Magiſtri concionabantur adverſus *Non-Reſidentes* in Academia. Decreto igitur a Senioribus cavebatur, ne quis aliquid pro concione diceret, niſi quod textui ſacro conveniret. Sequenti die cuidam concio erat habenda de dicto: *Abraham genuit Iſaacum.* Is eum aliquantum de eo diſſeruiſſet, ut par erat, obſervabat tandem, Abrahamum fuiſſe *Reſidentem*; ſi enim fuiſſet domi ſuæ *Non-Reſidens*, non geniturum fuiſſe Iſaacum: hinc in poriſma epanorthoticum adverſus *Non-Reſidentes* effundebatur.

p. 45. n. 7.

Qui novam Hierarchiam Angliæ obtrudere ſatagunt, perſuadere nobis cupiunt, reperiſſe ſe eam in antiquitate. Sic enim in rem ſuam interpretantur vocabulum *Presbyterorum*, quotiescunque id in Patribus offendunt. Ita nempe & alia profeſſionum genera antiquitatis gloriam affectant. Alchymiſta in Virgilii *aureo ramo*; Opticus in Cæſaris & Taciti *ſpeculatoribus*, *ſpeculis*, *ſpeculatoriis* navigiis artem ſuam reperit.

p. 48. n. 1.

Olim Oxonienſes abjectiſſime loquebantur de *Hiſtoria* mea *Decimarum*. Vertente vero tempore ſententiam mutarunt, & ſepoſito jure divino, non alibi plura argumenta pro jure ſuo Decimas recipiendi extare faſſi ſunt. Hinc eorum aliquis mihi ſcripſit, eſſe illam inſtar haſtæ *Pelei* quæ non minus ſanaret, quam vulneraret. (Putabat, quantum juris divini per eam decederet decimis, tantum accreſcere per ejusdem argumenta juris humani, majoris certe ponderis futuri in id genus controverſiis a politicis decidendis.) Reſpondi maluiſſe me comparari *Ariſtoteli*, *Avicennæ* & *Averroi*, quos quinque abhinc ſeculis *Stephanus* Pariſienſis epiſcopus *excommunicaverit*, (excommunicandi quippe termino uſus eſt) quod turbarent offenderentque Theologiam Chriſtianam; qui tamen quadraginta annis poſt revocati, ac cum auctoritate ex illo tempore in eccleſiis ſcholisque Romanenſium verſati ſint.

p. 55.

Quisquis ex Academia evocatur ad regimen ſtatus publici, antequam viros moresque aulæ probe norit, non aliter ſeſe geret, ac ſi ocreatis pedibus, lacerna indutus, coma ſudore diffluente, Regis cubiculum ingrediatur. Eruditio enim illa ac mores academici in itinere quaſi uſui eſſe poſſunt, ſed nova vita novum morum apparatum poſtulat.

p. 57.

Plura

Plura eſſent, quæ non inviti hoc e libello excerperemus, niſi putaremus fore, ut totus Latine vertatur: utut aliquando Φορτικὰ admiſceat ἀκούσματα, v. g. quod epiſcopum non deceat concionari, pag. 4. n. 4; quod chartas amuleta mentientes collo melancholici dæmonibusque ſeſe obſideri credentis appendere liceat, p. 18. n. 1; quod procumbere integrum ſit coram altari idololatrico, cum intentione verum Deum venerandi, pag. 23; quod e legibus contra ſagas non evincatur, dari ſagas, p. 59. n. 1; quod Judæi in V. T. utut non credentes in Chriſtum, moraliter tamen boni ſeu virtutum ſtudioſi, ſalutis divinæ capaces participesque ex charitate Chriſtiana credendi ſint, p. 53. n. 1. &c. Cæterum non miraberis, adeo ſevere in dogma abſolutæ prædeſtinationis animadvertere Seldenum, cum Anglos tantum non omnes ita ſentire, ac ea in re Lutheranis magis, quam Reformatis Gallis, Batavis aut Germanis adſtipulari, in vulgus notum ſit.

DISSERTATION SUR LA GOUTTE TANT LA chaude que la froide &c.

i. e.

Diſſertatio de Arthritide calida & frigida, ubi vera cauſa hucusq; incognita manifeſtatur, certumq; remedium præſervativum indicatur. Secunda Editio.

Pariſiis apud Laurentium d'Houry, 1689. in 12.

Plag. dimid. 16.

Diſſertationis hujus autor, quia multoties ſæviora mali arthritici tormenta in ſeipſo perpeſſus eſt, tam certo veram ejus cauſam ſe inveniſſe credit, ut & methodum tradat infallibilem, quomodo quilibet pro lubitu arthritidem ſibi comparare poſſit. In duas autem partes diviſa eſt hæc diſſertatio; in prima agitur de Arthritide calida, in altera de frigida. Calidam quod attinet, materam ejus dicit eſſe ſanguinem arterioſum, extravaſatum ab inſpiratione aeris frigidi in pulmonem intemperie calida affectum. Cum enim aer frigidior, aut malignis mixtus vaporibus, aut valde agitatus, per os præſertim inſpiratur, ramos venæ & arteriæ pulmonalis in anaſtomoſi reſerat, ita ut ſanguinis pars inter arteriam & venam regurgitet, indeque guttulæ quæ-

dam circum circa effundantur in ſuperficiem pulmonum, non aliter ac ſi lagenæ vino plenæ ulterius vinum affundere velles per infundibulum, cujus extremitas non recte reſpondet orificio lagenæ; quod enim affundis per ſpatium iſtud regurgitat. Sanguis ille extravaſatus ibidem non ſubſiſtit, ſed inſinuando ſe membranis muſculos involventibus pergit usque ad juncturas articulorum, ubi cavitates adſunt, in quibus ſummo cum dolore detinetur, ulteriusque fermentatur & inflammatur. Tunc vero partes viciniores corripit, muſculos, potiſſimum ſi externe apponantur ea, quæ agitationem iſtam interiorem ulterius augmentare valent, cum cruciatu intolerabili a ſe invicem ſeparat, usque dum mediante naturali ſanguinis calore omnis illa materia per tranſpirationem diſcuſſa fuerit. Quodſi vero arthritis durante adhuc digeſtione ægrum invadit, pars quædam inſtar emplaſtri aut ſalis, compoſita ex partibus chyli, nondum exacte cum ſanguine commiſti, in loco affecto remanet, unde indiſſolubiles fere nodi efformantur. Ex recenſitis remedium præſervativum conflare autor exiſtimat, in cura autem reſpirationem aeris tepidioris, modum partis ægrotantis continuum, licet dolorificum, & ſtrictum denique diætæ regimen utramque facere paginam certo promittit. Venæ ſectionem pro ſcopo præſervandi approbat, ad curam autem eam nil conferre, quin potius hujus loco tumorem urticis cædendum eſſe contendit. Vini potum pro ratione ætatis & temperamenti concedit, imo aqua mixtum omni noxa carere aſſerit. Hactenus de calida. Frigidam quod concernit, in parte dolente tumor ſine ulla aut cum exigua ſaltem inflammatione apparet, cutisque colorem naturalem retinet. Materia eſt pituita ſpiſſa viſcida & ſalina, in cerebro ſuperfluitatibus pleno orta, quæ guttatim deſtillando muſculorum membranas percurrit usque ad juncturas artuum, ibidemque majores aut minores excitat dolores, quo majus aut minus de bile participat prædictus humor. Hyeme in aere pluvioſo aut intenſo frigore, ſi nudo incedas capite, facillime contrahitur, & mediante calore externo, ſtricta diæta, moderatoque exercitio iterum curatur commode. Methodus ſanandi hernias Prioris de Cabriere, quæ conſiſtit in uſu ſpir. ſalis rect. per tres ſeptimanas, & applicatione emplaſtri præſcripti cum convenienti ſubligaculo, in fine hujus diſſertationis adjecta eſt.

JOSE-

JOSEPHI ANTELMII DISSERTATIONES CRItica de veris Operibus Leonis Magni & Proſperi Aquitani.

Lutetiæ Pariſiorum apud Antonium Dezallier 1689. in 4.
Alph. 2. plag. 13.

PAſchaſius Queſnellus, cum A. 1675 Leonis Magni Opera Pariſiis recenſeret, tria ſcripta, de quorum vero auctore inter eruditos nondum convenerat, nempe *Capitula de gratia Dei*, *Epiſtolam ad Demetriadem virginem, & Libros de Vocatione omnium Gentium*, Leoni ſuo attribuit. Illi autem ſe opponens Antelmius, tanto apparatu Proſpero Aquitano ea vindicavit, ut luculentiſſime cum cæteris Proſperi ſcriptis, qua res & ſtylum congruere videantur. Quo labore per *tres Priores Diſſertationes* defunctus, *quarta* Leonis Magni *duas contra Pelagianos epiſtolas* adgreditur, quarum *alteram Januario* inſcriptam Queſnellus authenticam declaraverat, *alteram* vero *ad Septimium* ſuppoſititiam. Verum tantum abeſt, ut his acquieſcat Antelmius, ut potius unam eandemque epiſtolam eſſe demonſtret, demptis ſcilicet coloribus ſurtivis, qui ex epiſtola *6.* ad Aquileienſem priori adſperſi erant, doceatque, vagam illam ad Aquileienſem epiſtolam Januarii nomine fore prænotandam. *Quinta Diſſertatione* Gennadium omnesque alios antiquos, qui *Epiſtolam Leonis ad Flavianum in cauſa Eutychis* a Proſpero (tanquam ejus Notario,) dictatas ſcribunt, adverſus Bellarminum Labbeumque vindicat, ad oculum oſtendens, non ſolum in hac, ſed & in aliis Leonis epiſtolis haud obſcura ſtyli Proſperiani veſtigia apparere. Eadem cum in Sermonibus quoque Leonis deprehenderit, in *ſexta Diſſertatione* varia promit exempla, inprimis ex Sermone 4. in Natali Leonis, & ex Sermonibus de Collectis & Jejunio, cauſasque ejus rei inquirens, potiorem judicat, quia Sermones ea ætate expetebantur ab aliis Epiſcopis recitandi, ſiquidem Gennadius teſtatur, multas Salvianum Presbyterum Homilias pro Epiſcopis compoſuiſſe, indeque *Magiſtri Epiſcoporum* laudem, non ut vulgo volunt, quia Salonium & Veranum Epiſcopos in adoleſcentia docuerat, reportaſſe; quanto magis Leonis, Summi Pontifi-

tificis, Sermones alii expetierint, *cui interdum aliquos orationis ornatus contulerit Proſper, vir ſui ævi doctiſſimus & facundiſſimus, qui occupatiſſimo Pontifici a conſiliis ac epiſtolis, aut præcipuus erat, aut unicus*, ut verbis Antelmii hæc efferamus; qui *Septima Diſſertatione* perluſtrat reliqua opera Proſpero adſcripta, contenditque *Opus de Promiſſionibus & Prædictionibus*, a Caſſiodoro falſo adſcribi, & hominem ex Africa oriundum auctorem habere; *libros de vita contemplativa* Juliani Pomerii eſſe, de quo multa notatu digna congeſſit; *confeſſionem Tyronis Proſperi* a Sirmondo editam vix aliquid exhibere Proſperi noſtri ſtylo famæque ſatis conſentaneum. *Octavum Diſſertationem* Chronico Proſperi impendit, idque, prout vulgo exſtat, Aquitano noſtro adverſus Garnerium prolixe vindicat, prout vero a Pithoeo editum eſt, interpolatum infartumque probat. *Nova* denique Carmina Proſperi examinat, ita ut illud *de Providentia* ſuppoſititium judicet; *Anacreonticum ad uxorem* dubium relinquat; *Epitaphium hæreſeos Pelagianæ & Neſtorianæ* Aquitano Proſpero contra Garnerium adſerat; *Carmen de ingratis* cum 97 *Epigrammatis*, *aliisque duobus in Auguſtini obtrectatorem* genuina maxime eſſe arbitretur, illumque obtrectatorum ex *Secretis* ſuis *Lirinenſibus* (libro novo, in quo ordinando & illuſtrando totus pene ſit) non alium eſſe prodat, quam Vincentium Lirinenſem, qui in Commonitorio ſuo Auguſtini etiam doctrinam perſtringere affectarit. Claudit denique hoc volumen Antelmius, promiſſa illorum *Secretorum*, & nova integraque omnium Proſperi operum editione.

MANUDUCTIO AD PHILOSOPHIÆ ARISTOTELeæ, Epicureæ, & Carteſianæ Parallelismum, Auctore Petro de Villemandy V. D. M. ac Publico Philoſophiæ in Salmurienſi Academia olim Profeſſore

Amſtolædami apud Henr. Wetſteinium A. 1685. in 4.

Conſtant plag. 14

IN Manuductione iſta Triplicis memoratæ Philoſophiæ, alteriusque cujusvis tum veteris tum novæ conditio, partes, ordo partium, origo, progreſſus, complementum, ſectæ, methodus ac uſus afferuntur, conve-

conveniensque ex his Philoſophiæ notio indigitatur. Præmiſſis paucis de nominibus Philoſophiæ, *Finem* ejus proponit, qui juxta Ariſtotelicos veritatis contemplatio in parte ſpeculativa, virtutis exercitium in practica: ſecundum Epicureos felicitas hujus vitæ, ex juſta rerum æſtimatione, convenienti moderatione affectuum, dolorumque vacuitate conſurgens: juxta Carteſianos eadem vitæ præſentis felicitas, ex debita animi conſtitutione, convenienti corporis habitu, optataque commodorum externorum poſſeſſione effloreſcens. Logica & Metaphyſica intellectum ſuis præjudiciis liberant, libertatumque certa illuſtrant rerum ſciendarum cognitione: Ethica voluntatis affectus moderatur, & ad virtutem informat: Phyſica & Medicina vires ac valetudinem tuentur: Mechanicæ artes commoda vitæ ſuppeditant. Obſervat Auctor, Sectarum Principes in aſſignando Philoſophiæ fine aliquantulum diſſentire, aliis intermedium finem, aliis ultimum conſtituentibus: aliis Philoſophiam fuſiori ſignificatu uſurpantibus, pro artium omnium ingenuarum choro, cujusmodi ſunt Carteſiani; aliis anguſtiore, pro iis duntaxat artibus ingenuis, quæ ad animi cultum ſunt inſtitutæ, cujusmodi Ariſtotelei ac Epicurei: omnes tamen in ſumma amice conſpirare oſtendit. Pro *Objecto Philoſophiæ* Ariſtotelis Sectatores res divinas ac humanas habent, nimirum tum quæ captum hominis non excedunt, tum ad ejus felicitatem ſunt momentoſæ. Epicuri diſcipulis materia circa quam Philoſophia exercetur, ſunt tum naturalia tum moralia. Carteſii Sectatoribus philoſophia per totam rerum univerſitatem longe lateque diffunditur, omnia tum ſuperna tum inferna, tum materialia tum immaterialia perluſtrans. Exigua in his Philoſophorum diſſenſio annotatur, dum Epicurei Philoſophiam anguſtioribus circumſcribunt cancellis, quam vel Ariſtotelei vel Carteſiani: qua ſepoſita levi diſcrepantia, nullus inter eos diſſenſus exiſtat; quippe qui omnes fateantur, Philoſophiam ea tantum contemplari, quæ ad vitæ felicitatem pondus habeant. Ad *Principia* progredimur. De quibus ſi Peripatetici conſulantur, ſunt inter ſe diſcordes. Ariſtoteles nonnunquam ſtatuere videtur, Philoſophiæ principia eſſe communes rerum notiones, menti a natura impreſſas, ex quibus ratiocinationis ductu ſingularia quæque deducantur. Sæpius contendit ea eſſe experientiam, dum ſingularium inductione univerſalia quæque conſtare decernit. Sectatores experimenta, notiones communes, & Doctorum auctoritatem conjun-

jungunt, triplexque illud ſubſternunt Philoſophiæ fundamentum. Immo nonnulli ſunt usque adeo pii cum Alſtedio, Danæo, Comenio, ut ex Scriptura Sacra unice propemodum philoſophentur, nec quicquam in rebus naturalibus ſtatuant, quin ex Revelationis divinæ fonte derivent. Epicurei axiomata naturali lumine nota, ex quibus concluſiones philoſophicæ deducantur, nulla prorſus admittunt, ſola ſenſuum experimenta, cum anticipationibus inde natis, ad earum confirmationem vocant. Unde vulgatiſſimum Epicureæ Scholæ principium ex Ariſtotelea tranſumtum: nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Carteſiani cum Magiſtro fatentur quidem, in rebus Phyſicis adhiberi poſſe nonunquam vulgaria quædam experimenta, quibus illæ ſtabiliantur: verum cum ſenſus ſint maxime fallaces, nec interiorem rerum eſſentiam attingere poſſint, imo nec exteriores earundem apparentias exhibere queant ſatis diſtincte, propterea ipſos neque in Phyſicis, neque in Metaphyſicis, neque in Moralibus eſſe audiendos: ſi evidentem & certam earum cognitionem ſectemur, conſulendas eſſe duntaxat communes animi notiones, ex quibus tanquam ex principiis minime fallacibus, univerſa philoſophiæ dogmata decernantur. His expoſitis, *Philoſophiæ fundamenta noſter Auctor ſic conſtituit:* Vulgaris rerum cognitionis principia ſunt multiplicia ſenſuum experimenta, confuſæque rerum notiones inde obortæ menti: Evidens rerum cognitio ejusque demonſtratio accurata arceſſenda ex generalibus rerum ideis, a Natura menti impreſſis, atque axiomatibus naturali lumine perſpectis, quæ genuina ſint & prima illius principia: Experientia tamen, eruditorumque placita, poſſunt haberi principia, ſed ſubordinata ac confirmativa: Scripturæ S. oracula utiliſſime etiam audiuntur in rebus philoſophicis, ſi minus ad demonſtrationem, ad illuſtrationem earum certe ac confirmationem.

Ex fine, objecto ac principiis Philoſophiæ hactenus expoſitis ac præſtructis, plenam ejus delineationem indagat in definitionibus Peripateticorum, Epicureorum, Carteſianorum, judicans nullam earum eſſe, quæ non poſſit tuto admitti; poſſe etiam convenientiſſime definiri Scientiam eorum, quæ ad vitæ hujus felicitatem pertinent. Dari autem ejusmodi Scientiam, prolixe adſtruit contra Philoſophos tum veteres plurimos, tum novos nonnullos, qui negarunt. Hinc ejusdem amplitudinem partesque determinaturus, hodiernorum partitiones

potiſ-

potiſſimum memorat. Ariſtotelei vulgo diſtinguunt a Fine *in Theoreticam*, cujus finis eſt veritas, nudaque rerum contemplatio, *Practicam*, cujus finis eſt praxis, ſive actio interna, ex intellectus vel voluntatis libertate proficiſcens, & *Poëticam*, cujus finis eſt affectio, ſive operatio externa, tum opus poſt ſe relinquens, ut ædificatio, lanificium, tum non relinquens, ut ſaltatio, cantus, & alia. Pars Theoretica rurſus eſt triplex, Phyſica, Mathematica, Metaphyſica. Practica quoque duplex, alia dialectica, quæ functiones intellectus dirigit, alia Moralis, quæ actiones voluntatis moderatur. Nonnulli Dialecticam malunt inter artes recenſere, alii ſpecialem eſſe diſciplinam volunt. Poetica ars proprie dicitur, ac duplex ſtatuitur, Sermocinalis, quæ in ſermone, & Realis, quæ in aliis humanis operibus externis componendis operatur, atque iterum diſtinguitur. Epicureæ Philoſophiæ partes numerantur tres, Canonica, quæ veritatis dijudicandæ regulas præſcribit, Phyſica, quæ univerſam Naturæ contemplationem habet, & Moralis, quæ vitam inſtituit. Juxta Carteſianos duo debent in Philoſophia diſtingui, apparatus ſive *προπαιδεία*, & Philoſophia ipſa ſive *παιδεία*. Duo complectitur Apparatus, primo generalem aliquam honeſte vivendi rationem, qua cupiditatum æſtus temperentur, corporisque mitigentur dolores, ne hæc in philoſophando vel veritatem oblatam præripiant agitatione, vel latentem inquiri non ſinant diſtractione: ſecundo, compendioſam quandam rationis regendæ methodum, cujus directione ad verum facilius ducamur. In Philoſophia ipſa tanquam arbore ſpatioſa tria continentur, *Radix*, id eſt Methaphyſica, quæ humanæ mentis notionem, DEI exiſtentiam ac veracitatem, genuina veri & falſi criteria, aliaque ejuscemodi definiens, generalia ſtruit humanæ ſcientiæ fundamenta: *Truncus*, id eſt Phyſica, quæ in Naturæ contemplationem aſſurgens, cæteris omnibus diſciplinis quaſi ſubſternitur, ſuccumque ſubminiſtrat: *Rami* denique ſunt tum diſciplina Moralis, tum Medicina, tum artes Mechanicæ. Inter quas Philoſophiæ diſtributiones nulla eſt, quæ ſi tantillum emendetur, ex judicio Auctoris noſtri, non poſſit adoptari. Verum cum Peripatetici cum Carteſianis philoſophiam paulo latius diffundant, Epicurei paulo ſtrictius circumſcribant, mediocritatem quandam ipſe ſequitur. Nimirum Philoſophiæ generatim ſumtæ duplex eſt pars, Theoretica & Practica. Speculativa rurſus alia eſt Generalis, quæ Ens contemplatur, qua ens,

vel potius notiones rerum a natura nobis inſitas, omnibusque diſciplinis communes percenſet ac evolvit; alia Specialis, quæ ſingularem aliquam entis ſpeciem conſiderat. Prior ſolet ab Ariſtoteleis Metaphyſica appellari, a Carteſianis Scientia generalis vel Ontologia. Poſterior eſt vel pneumatologia, quæ in Subſtantiæ Spiritualis, vel Mathematica, quæ in Quantitatis, vel phyſica, quæ in Corporis naturalis contemplatione occupatur. Practica ſimiliter eſt duplex, pro duplici actionum humanarum præceptis dirigendarum genere. Logica intellectus, Ethica voluntatis regit operationes. Hinc *ordo* innoteſcere poteſt *tractandarum diſciplinarum*. Peripatetici Logicam præmittunt, ſuccedunt Ethica & Phyſica, coronis eſt Methaphyſica. Apud Epicureos prima pars eſt Canonica, Phyſica ſecunda, Ethica ultima. Juxta Carteſianos hoc ordine diſponuntur. Arti cogitandi primum locum dant; ſequitur Ontologia; accedunt Phyſica & Ethica. Hic diſſenſus ita tollitur. Si facilitatis habeatur ratio, Philoſophiæ partes eo ordine poſſunt tractari, quo præcipiunt Ariſtotelei; ſi diſciplinæ accuratioris ordo ſervandus ſit, eo poſſunt ordine explicari, quo vel ab Epicureis, vel a Carteſianis traduntur; licebit etiam alium commodum eligere. Nunc Philoſophiæ *originem*, *progreſſum*, *adultamque ætatem* inveſtigat, ſectas varias ſecundum eam partitionem referens: & quidem adultæ & ad ſupremam perfectionem contendentis ſectas quatuor enumerat, Ariſtoteleam, Epicuream, Carteſianam, Electivam quam reliquis præfert, & de ratione juxta eam philoſophandi diſſerit. Tandem *Uſum Philoſophiæ* oſtendit, primo generatim in excolendis animi facultatibus; ſecundo ſpeciatim in omnibus artibus tum inferioribus, tum ſuperioribus. In inferiobus, uti Grammatica, Rhetorica, Poetice, Hiſtorice, Aſtronomia, Organica, optice, Muſica, Pictura, variisque diſciplinis ipſi affinibus, Militari, Nautica, Fabrili, Textoria &c. Deinde in ſuperioribus, quæ ſunt, *Medicina*, quæ nihil aliud eſt, quam Phyſice activa, ad vitæ conſervationem traducta; *Jurisprudentia*, quæ nihil aliud eſt, quam ſpecialis Politica, ad Reipublicæ vel Eccleſiæ adminiſtrationem translata; *Theologia*, quæ utitur philoſophia, cum dogmata ex Scripturis definit, cum eadem adverſus hoſtes tuetur, cum a vitiis deterret homines, cum ad virtutem impellit, cum ſua fundamenta fulcit.

ΠΑΣΧΑ.

ΠΑΣΧΑΛΙΟΝ, *SEU CHRONICON PASCHALE A MUNdo condito ad Heraclii Imperatoris annum viceſimum, nunc tandem auctius & emendatius prodit, cum nova Latina verſione & notis chronicis ac hiſtoricis, cura & ſtudio Caroli du Freſne, Domini du Cange, Regi a Conſiliis & Franciæ apud Ambianos Quæſtoris.*

Pariſiis e Typographia Regia A. 1688. in fol. maj.

Alph. 7. plag. 16.

CArolus du Freſne Dominus du Cange, cujus induſtriæ novam hujus Chronici editionem debemus, A. C. 1610. 15. Cal. Januar. apud Samarobrivam Ambianorum civitatem in provincia Belgica ſecunda, patre Ludovico Toparcha Frigidæ Vallis ac Præpoſito Belli-Quercus, & matre Helena Relya natus eſt, & primis ſtudiorum rudimentis in Collegio Ambianenſi Patrum Societatis Jeſu poſitis, in Academiam Aurelianenſem, ut juri diſcendo operam daret miſſus, ac A. C. 1631 Lutetiæ in Advocatorum ordinem cooptatus. Sed mox patriæ redditus, in bonarum literarum ſtudiis totus fuit. A. C. 1638. conjugem duxit Catharinam Boſiam Drancurtiam, ſplendidis apud Ambianos natalibus ortam, cum qua 10. liberos genuit, e quibus quatuor ſuperſtites reliquit, & in his Philippum natu majorem Franciæ apud Pictavos Quæſtorem. A. C. 1645 Quæſturæ apud Ambianos dignitatem obtinuit, ſed magno literarum bono factum eſt, ut A. C. 1668, occaſione peſtis apud Samarobrivam graſſantis, familiam ſuam Lutetiam transferret, ubi per viginti annos ad mortem usque commoratus eſt, quæ ipſi 10. Kal. Novembr. A. C. 1688 obtigit, cum ante extremum morbum per quinquaginta & quinque poſtremos vitæ ſuæ annos firma & incorrupta valetudine uſus fuiſſet, & ætatis annum octavum & ſeptuageſimum ferme in altiſſima tranquillitate expleviſſet. Edidit præter nonnulla vernaculo idiomate ſcripta, Johannis Cinnami hiſtoriarum libros 6, cum eruditis in Nicephorum Bryennium, Annam Comnenam, & Cinnamum notis, nec non Pauli Silentiarii deſcriptionem templi S. Sophiæ cum uberiori commentario Pariſ. A. 1670; Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis A. 1678; Cyrilli, Philoxeni aliorumque veterum Gloſſaria Latino-Græca & Græco-Latina A.

 C. 1679;

A. 1679; Hiſtoriam Byzantinam duplici commentario illuſtratam A. 1680; Johannis Zonaræ Annales cum notis A. 1687; Gloſſarium mediæ & infimæ Græcitatis Lugduni A. 1688, & poſtremo Chronicon hoc Paſchale, cui in lucem edendo dum incubuit, graviſſimo morbo oppreſſus ad plures abiit.

Inventum eſt hoc Chronicon primum in Sicilia ab Hieronymo Surita, ejusque & Antonii Auguſtini opera ex Sicilia Romam delatum, unde & Faſti Conſulares huic Chronico interjecti, quos *Carolus Sigonius* & *Onuphrius Panvinius* inde tranſcriptos primi evulgarunt, *Faſti Siculi* a pluribus appellati ſunt. Aliud hujus Chronici exemplar manu Andreæ Darmarii antiquarii deſcriptum Sylburgius 36. aureis ſolaribus emptum Hœſchelio donavit, qui illud Reipublicæ Auguſtanæ obtulit. Ex eo pleraque Caſaubonus manu ſua deſcripſit, & *Scaligero* communicavit, qui cum Euſebii Chronicon una cum aliis Chronicis ederet, illa quoque Caſauboni excerpta typis imprimi curavit, & *chronicam temporum epitomen* inſcripſit & in notis ad Euſebium ſub *Chronici Caſauboniani* nomine ſubinde allegavit. Nono poſt Scaligeri editionem anno, Monachii Chronicon hoc integrum cum Latina verſione *Matthæi Raderi* Jeſuitæ lucem publicam adſpexit, qui *Chronicon* hoc *Alexandrinum* dici voluit, nullo alio ductus fundamento, quam quod in fronte codicis Auguſtani, Petri Alexandrini nomen legiſſet. At ſi vel maxime Petrus Alexandrinus Chronici hujus autor eſſet, Alexandrinum tamen, Cangio noſtro judice, dici commode non poteſt, cum non ſolum de rebus Alexandrinis agat, quemadmodum opus Callinici Sophiſtæ, qui ſub Gallieno decem libris res Alexandrinas perſecutus eſt, neque tempora ſecundum Alexandrinorum æram ac epochas deſignet. Rectius illud Chronicon Alexandrinum dici cenſet, quod in bibliotheca Regia hoc titulo notatur: *Chronicon Georgii Ambianenſis Epiſcopi, vel ſicut alii volunt, Victoris Turonenſis Epiſcopi,* quod Chronicon etiam a Jacobo Gothofredo in notis ad Codicem Theodoſianum non ſemel ſub farraginis Alexandrinæ lemmate laudatur. Quamvis autem nonnulli Chronicon, quod Raderus Alexandrinum inſcripſit, Antiochenum vel Conſtantinopolitanum dicere maluerint, Cangio tamen opus hoc Πασχάλιον ſeu *Chronicon Paſchale* inſignire placuit, cujus conſilii rationes in præfatione reddit, in qua etiam de Paſchalium ſcribendorum duplici methodo, & de variis veterum Paſchalibus, ac imprimis de Paſchali

ſchali Hippolyti portuenſis fuſe diſſerit, & inter alia Hippolytum ejus Chronici autorem eſſe ſuſpicatur, quod Caniſius tom. 2. antiqu. lect. & Philippus Labbeus tom. 1. novæ bibliothecæ hoc titulo vulgavit: *de diviſionibus & generationibus gentium.* Agit quoque de faſtorum conditoribus, & unde faſti Chronici hujus Paſchalis deprompti fuerint, diſquirit. Autorem hujus chronici neque Petrum Alexandrinum eſſe ſtatuit, neque Georgium Piſidem, neque *S.* Maximum, ſed Autorem quendam hactenus adhuc incognitum, quamvis non uni ſed duobus potius Autoribus πασχάλιον hoc tribuendum putet. Docet enim ex Holſtenii obſervationibus, quas Chronico ſuo Alexandrino adſcripſit, in anno Conſtantii 17, qui eſt Chriſti 354, definire priorem autorem Chronici Paſchalis, quod deinde ab alio quodam usque ad 20. Heraclii annum continuatum ſit. Et quamvis hoc Chronicon neque a Georgio Syncello, neque a Photio lectum fuerit, indeque Goarus autorem hujus Chronici Heraclii tempeſtate vixiſſe dubitaverit, Cangio tamen dubium non eſt, quin continuator hujus chronici ſub Heraclio, quem ἡμῶν βασιλέα vocat, floruerit, cum quæ de Heraclio ejusque geſtis narrantur, & exſcriptæ prolixiores ad Perſarum Regem vel Toparcham epiſtolæ aliaque id omnino ſuadeant. Prolixiorem Cangii de hoc opere præfationem excipit Analyſis chronologica ad Chronicon Paſchale, ex obſervationibus *Johannis Baptiſtæ Hautini* Regii in præfectura Pariſienſi Conſiliarii, nec non *Stephani Baluzii* epiſtolam ad Euſebium Renaudotum de vita & morte Caroli du Freſnii, ex qua excerpſimus, quæ ſupra de ipſo memoravimus.

Sequitur ipſum Πασχάλιον, quod ut emendatius prodiret, per *Mabillonium* & *Germanum*, cum in itinere Italico verſarentur, exemplar Vaticanum, ex quo forte & Auguſtanum deſcriptum fuit, conſuli curavit, qui ipſius deſideriis non difficulter annuentes, una cum *Stephanotio* codicem Vaticanum inſpexerunt, & nonnullas lectiones, de quibus ab ipſo rogati fuerant, notarunt. Porro cum Raderus Autoris mentem non ubivis aſſecutus fuerit, ſive quod codice mendoſo uteretur, ſive quod extremam verſioni ſuæ manum addere eamque recenſere per otium non licuiſſet, novam verſionem Græco textui adjunxit, quæ ſi minus culta videatur, Autori id imputari cupit, qui pleraque ſtylo humili & plebejo exaraverit, unde & a Scaligero Idiota dictus eſt. Ac ut temporum notæ certiores eſſent, Conſulum faſtis annos U. C. &

poſt

poſt Chriſti nativitatem ſingulis Conſulum paribus annos Dionyſianos, & ſubinde etiam annos mundi juxta Græcos in margine adſcripſit, prout hos ſuo codici *Antonius Allenus* adſcripſerat. Addidit & notas, quibus obſcuriora loca breviter illuſtravit, & nonnunquam lectorem ad Scaligeri in Euſebium notas aliosque Autores amandavit. Inſertæ quoque ſubinde ſunt his notis variæ lectiones & conjecturæ *Holſtenii.* Præcedunt autem notas ſelecta quædam ad illuſtrationem Chronici Paſchalis ſpectantia, quorum nonnulla *Petavius* in Doctrina temporum & Uranologio, nonnulla *Bucherius* in Doctrina temporum, nonnulla *Dodwellus* in appendice ad diſſertationes Cyprianicas vulgavit, nonnulla ex codicibus MSC. nunc primum prodeunt.

ORATIONES HABITÆ PISIS AUCTORE BENEdicto Averanio, in Piſano Lyceo Literarum Humaniorum Profeſſore.

Florentiæ apud Petrum Matini, 1688. in 4.

Plagul. 31.

DUodecim hoc volumine exhibentur Orationes, in ſolennibus Studiorum in Lyceo Piſano Inſtaurationibus ab Auctore diſertiſſimo habitæ, ut Academica Juventus ad humaniores literas debita induſtria excolendas excitaretur. Hinc plerarumque argumenta circa bonas literas verſantur, quarum gloria, dignitas, jucunditas & in bello paceque uſus, quinque orationibus commendatur: ſicut peculiari oratione Græcæ linguæ vindicatur præſtantia, alia docetur ſtudiis literarum deditos mediocri laude contentos eſſe non oportere, alia adoleſcentiæ tempus idoneum maxime ſtudiis eſſe demonſtratur, alia denique literas veriſſimam pacem animo largiri evincitur. Duæ ſunt argumenti alterius, nec a ſcopo tamen plane alieni, & inſignem Auctoris eloquentiam abunde comprobantes, quarum prima reliquis omnibus præmiſſa continet Panegyricum, occaſione nuptiarum inter Ferdinandum Principem Hetruriæ & Violantam Beatricem Vindelicorum Principem, Sereniſſimæ Domui Mediceæ dictum & in laudes potentiſſimi Electoris Bavari, quem Fratrem Sponſa habebat, deſinentem: altera Chriſtianorum luculentas victorias de Turcis hoc bello reportatas graviter ornateque deprædicat.

(* * * * * * * * *)

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sect. IX.

PETRI ET FRANCISCI PITHOEI JURISCONſultorum Obſervationes ad Codicem & Novellas Juſtiniani Imperatoris per Julianum translatas.

Pariſiis, e typographia Regia, 1689. in ſol.
Plag. 217.

CLarum eſt non ob juris ſaltem ſcientiam, ſed & elegantiorem literaturam, & merita de Antiquorum ſcriptis, vel a mendis vel interitu vindicatis evulgatisque, *Pithoeorum* nomen, a duobus fratribus *Petro* & *Franciſco*, Petri filiis, Petri nepotibus, ingentem famam adeptum, & hodie ab illuſtri Pronepotis dignitate ſublimem gloriam nactum. Eſt is *Claudius Pelleterius* digniſſimus in ærarii regii præfectura Colberti ſucceſſor, & ſupremus Galliarum Senatus in infula præſes (*Meſſire Claude le Peletier*, *Miniſtre d' etat*, *Conſeiller au Conſeil Royal & Controleur general des finances de France*) qui dum arduum ſibi commiſſum munus adminiſtrat, literarum curam haud abjicit, neque orbem literarium editione proavi ſui *Petri Pithœi* ejusque fratris *Franciſci*, operum ἀνεκδότων ſibi devincire ceſſat. De Juris Canonici nova editione ſplendidiſſima, illuſtris hujus Viri auſpiciis, cum notis & emendationibus Majorum ſuorum, anno 1687 evulgata, in *Supplementorum* horum *Sect. I. p. 23. ſeqq.* diximus. Codicem canonum veteris Eccleſiæ Romanæ a Fr. Pithœo illuſtratum in *Actis* anni 1688, *menſe Majo, p. 230.* enarravimus. Jam de nitore, quem gemini hi Tyndaridæ (quo nomine eos adpellatos eſſe, Scæv. Sammarthanus indicat) Civili Juri conciliarunt, nonnihil commemorandum eſt. Cum univerſam veteris juris ſcientiam animo complexi eſſent, integrum Juſtinianeum Codicem, qui duodecim libris abſolvitur, obſervationi-

bus eruditis illuſtrare aggreſſi fuerunt. Verum poſt ipſorum obitum, (qui *Petro* quinquaginta & ſeptem annos nato anno 1596, *Franciſco* ſeptuagenarium ſeptem annis ſupergreſſo anno 1621 obtigit) reliquis inter ſchedas disjectis vel non ſatis integre extantibus, eas ſolum Obſervationes ſuperſtites reperit illuſtriſſimus Hæres, quas ad priorem librum commentati fuerant doctiſſimi Viri: in quibus ex hiſtoria eccleſiaſtica, Conciliorum generalium canonibus, aut Synodorum (quarum omnium placita colligere, & in publicum proferre animo conſtituerat Petrus, narrante in vita ejus Joſ. Mercero) decretis, ſententiis item & autoritatibus Patrum, Imperatorum conſtitutiones & leges illuſtratæ ſunt: additis multarum legum libri primi & quarundam reliquorum Græcis interpretationibus, depromtis ex Eccleſiaſticarum conſtitutionum collectionibus, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus: nempe *Lib. I.* tit. I. lex 3. 5. 6. 7. II. 15. 17. 18. 20. 20. 24. 25. 26. III. 29. 30. 36. 39. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 57. IV. 14. 17. 18. 20. 22. 23. 25. 26, 29. 30. 32. 33. 34. V. 9. 11. 12. 13. 14, 15. 16. 17. 18. 20. IX. 18. X. 2. XI, 9. 10. XII. 3. 7. 8. XIV. 10. XV. 2. XVII. 3. XXXIII. 2. LI. 13. *Lib. II.* II, 4. VII. 18. 19. XIII. 27. 28. *Lib. III.* I. 11. 12. II. 2. 4. X. 1. XLIII, 1. *Lib. IV.* XX. 1. 13, 15. 16. XXI. 16, 17. XXIV. 1. XXXII. 29. LXV. 33. *Lib. V.* I. 6. IV. 29. XVII. 12. *Lib. VII.* XLV. 15. LI. 5. 35. 36. *Lib. VIII.* X. 12. XVII. 3. *Lib. IX.* IV. 6. XXIX. 2. XLIX. 11. Subjunctæ ſunt Codicis libro primo obſervationibus inſtructo Juſtiniani Imp. Novellæ a *Juliano* Anteceſſore Conſtantinopolitano e Græcis Latinæ redditæ, ſingulorum autem capitum ſententia paucis verbis dilucide explicata, & procemiis ac perorationibus ſublatis, in epitomen redactæ, quas *Franc. Pithœus* e veteri Codice reſtituit & emendavit, Gloſſario erudito & ſcholiis obſcuriora Juliani verba interpretatus. Adjectæ ſunt Præfationes, quas ſuis editionibus præmiſerant epitomes hujus Julianeæ priores Editores, *Nic. Boerius*, *Lud. Miræus* & *And. Auguſtinus*: quorum poſtremus de utilitate hujus collectionis diſſeruit, multa etiam Juliano contulit, paratitla, indices, varias lectiones, obſcurorum verborum ſignificationes: quæ omnia editioni huic acceſſerunt. Subnexa ſunt: Juliani de Conſiliariis dictatum, *pag. 645.* Ejusdem de contutoribus collectio *p. 650.* Juſtiniani edictum confeſſionem fidei exhibens & refutationes hæreſium, p. 651. quod Græce in Chronico Alexandrino extare annotat Pithœus p. 671. Ejusdem pragmatica ſanctio

ad

ad Vigilii Papæ petitionem facta, varia complectens capitula, *p. 673.* alia item de adſcriptitiis & colonis *p. 679.* & duæ pro Concilii Vizaceni, ſeu Byzacenorum, privilegio, *p. 680. 681.* Juſtini Imp. tres conſtitutiones *p. 682. 683. 684.* Tiberii Conſtantini Imp. pragmaticum de confirmatione Conſtitutionum Juſtini Imp. *p. 685.* Juſtiniani novellæ conſtitutiones quædam, quæ in editis hactenus deſideratæ fuerunt, *p. 686. ſeqq.* Impp. Theodoſii, Valentiniani, Majoriani & Anthemii conſtitutiones novellæ XLII, Jacobo Cujacio anno 1571 a P. Pithæo dicatæ *p. 697. ſeqq.* Agmen claudit *Moſaicarum & Romanarum legum collatio*, ex veterum JCtorum monumentis deſumta, anno 1572 a Petro Pithœo primum edita, nitidior jam recuſa, ne quid deſit venuſto operi Pithœana ſcripta ad Jus civile ſpectantia complectenti. Reliqua quæ a Petro Pithœo publici juris facta fuerunt opera, uno volumine complexus eſt, quod Jac. Aug. Thuano (cujus de P. Pithœo inſigne elogium libro 116 Hiſtor. legitur) dedicavit, *Carolus Labbeus* A. 1609, præfixa hiſtoria vitæ ejus a *Joſia Mercero* conſcripta. Eandem nimirum operam tribuens Pithœanis eo tempore evulgatis ſcriptis, quam his, quæ recenſuimus, ad civile Jus pertinentibus doctiſſimorum Fratrum monumentis præſtitit *Franciſcus Marcſius* (Desmares) Dominus de Palis & de Luyeres, in Curia Patronus & Facultatis Jurium in Pariſienſi Univerſitate Doctor honorarius, cujus ſtudio hanc ſub auſpiciis illuſtriſſimi Pelleterii ſuſceptam debemus collectionem.

OBSERVATIONES DE CICINDELA VOLANTE, habitæ a Richardo Wallero, Armigero, ac Societatis Regiæ Sodali.

Translatæ ex Transact. Phil. Angl. M. Jan. 1685.
N. 167. p. 841.

Cicindela Volans utut non male a diverſis Autoribus, qui de Inſectis tractarunt, jam tum fuerit deſcripta, nemo tamen adhuc, quantum novi, eandem in Anglia reperiri prodidit: & omnino negari nequit, eam viſu admodum raram eſſe. Bis tamen ſors tulit, ut capere tales mihi licuerit prope Northaviam in Comitatu Hertfordienſi: ſemel quidem media æſtate anni 1680, ac dein anno proxime elapſo 1684 per duas circiter ſeptimanas menſe Junio: circum candelam nempe

 volita-

volitabant, mox cum ingruerent tenebræ: utroque vero iſto tempore aer valde calebat, & fortaſſis non alias lucent, niſi tali tempeſtate: qvamvis animal paſſim facile ſatis inveniatur alatum, dum non ſplendet, uti & ſplendens ſed alarum expers, quæ vulgaris eſt Lampyris repens.

Ab *Ulyſſe Aldrovando L. 4. c. 8.* ſequenti modo deſcribitur: Cicindela pennata pennas habet in vaginis fuſcis incluſas, caput a ſuperna parte ceu cucullo quodam, clypei inverſi & incumbentis formam habente, totum contegitur, fuſci, ut vaginæ, coloris. Capitulum ei parvum nigerrimum in duo tubercula diſpartitum, ceu gagatis ſplendore ocellos. Alvum habet annuloſam multis ſegmentis diviſam, in cujus extremo guttulæ duæ ignis inſtar pellucidæ, ſed e lucido igneo ad viride ſeu ſubcæruleum tendentes, qualis nonnunquam flammæ eſt ex ſulphure incenſo color. Conſpiciuntur tunc maxime, cum alvo compreſſa humor ille diaphanus ad extremum alvi vergit &c.

Conſulto prolixior fui in recitanda hac Deſcriptione, eo quod apprime congruit cum animali, cujus hic imaginem Societati ſiſto. Generationem ejus quod concernit, Aldrovandus ibidem aſſerit, ex ovis, quæ parit Cicindela, Erucam quandam fieri, & ex hac tandem alatam gigni, &c. Ad eundem pene modum deſcribitur a *Mouſeto c. 15. p. 108.* ac *Thoma Bartholino L. 2. cap. 12. de Luce animalium*: niſi quod uterque eorum, ut arbitror, hallucinatur, ſoli maſculo nempe alas tribuens, cum tamen uterque ſexus æque volitet: quod & ipſum jam tum *Julio Scaligero* perſpectum fuiſſe, colligere eſt, ex ipſius *Exerc. 191.* qui quidem locus non ſatis videtur fuiſſe conſideratus, citatus licet a Mouſeto, ubi ait: Cicindelam volantem cum ſuo mari in coitu deprehendi, &c. Quod & ipſum mihi quoque obtigit: cepi enim aliquando marem fœmellamque copula junctos, neque ullam inter utrumque differentiam advertere potui, præterquam in mole corporis, dum fœmella nonnihil grandior erat: at utriſque æqualis erat ſplendor. Lumen ejus admodum vividum, ita quidem ut clare cerneretur, candela licet in conclavi accenſa: ejus vero vibrationes inæquales erant & color ſubviridis, qualiſmodi & in lampyride reptili eſt. Patrem luminoſam conſtituebant exiguæ duæ maculæ lucidæ in regione alvi inferiori prope ejus extremitatem. Pauxillo tempore continuabat ſplendor, poſtquam alvus reſecta erat: ſenſibiliter tamen mox decreſcebat,

TAB. VI. *ad Supplement. Sect. IX. pag.* 445.



Icebat,

ſcebat, donec tandem penitus extingueretur. An diutius luxerit, quam vitæ aliquid ea in parte fuerit reſiduum (quæ ipſa nempe notabili temporis ſpatio in cunctis inſectis vivacitatem tueri adſolet, poſtquam a corpore ſeparata eſt) equidem admodum dubito; ac Mouſetus ait, clariſſimum illum ſplendorem una cum ſpiritu vitali prorſus evaneſcere. Uſus hujusce luminis fortaſſe hic eſt, ut inſecto huic laternæ inſtar ſit, dum prædam ſuam capiat, utque ejus ope ſuum per noctum curſum dirigere valeat: id quod vel exinde magis redditur probabile, dum illud ſitum eſt in inferiori parte alvi, ut adeo, dum eandem deorſum flectit, (uti quidem jugiter facere obſervatur) ſplendorem antrorſum emittendo colluſtret prædam ſive objectum: luminoſis illis radiis interim nil quidquam ejus viſui officientibus; uti quidem metuendum fuiſſet, ſi fax hæc præferri ante ipſum debuiſſet. Huic ipſi porro conjecturæ favet etiam ſitus oculorum, utpote qui non in faſtigio, ſed inferiori capitis parte ſtant. Id quoque animadverti, & poſſe & ſolere inſectum hoc ſuum ſubinde lumen occulere, atque ſic quandam laternæ cœcæ ſpeciem efficere. Perquam mihi gratum fuiſſet, ſi de ejus luce aliquam dare relationem licuiſſet experimentis fultam, quæ hac in re fieri potuiſſent. Verum dum opportunitate deſtitutus fui tale quid faciendi dum Muſcæ vita gauderent, qua quidem non ultra unum diem potitæ ſunt, poſtquam captæ; dumque Microſcopio meo ruri carui, ad examinandum eas penitius, dum adhuc ſplenderent: contentus eſſe cogor offerendo delineationem Inſecti, qualem tum parare potis fui, nec non grandiorem ejus repræſentationem, prout illud dorſo impoſitum Microſcopio ſemet exhibuit, poſtquam aliquo jam tempore vita functum erat. TAB. VI.

Figura 1. monſtrat Inſectum pedibus ſuis inſiſtens dorſo ſupino, Fig. 1. unde apparet e Scarabæorum genere eſſe; coloris eſt obſcure fuſci absque politura: cum vaginæ ſeu alares capſulæ panduntur, duas extendit alas membranaceas valde latas, ſuperiori thoracis parti affixas. Caput velut clypeo tegitur, ſeu petaſo latioribus oris.

Figura 2. idem repræſentat dorſo incumbens, ad oſtendendum par oculorum ſub lato iſto tegmine ſitorum. Fig. 2. Sunt ii nigri ac perquam largi, totum propemodum caput abſolventes, dum ſane præter eos parum de ipſo apparet: ſuntque hi mobiles, ita ut animalculum eosdem antrorſum protrudere valeat ad marginem usque ſui petaſi.

 E me-

E medio horum interſtitio extare cernuntur geminæ illæ antennæ piloſæ aut ſcopulæ fortaſſis, mundandis oculis inſervientes. Inter oculos atque thoracem rictui ſuus eſt locus: thoraci vero adhærent ſex crura, ejusdem propemodum cuncta longitudinis. Alvus componitur e ſeptenis annulis cruſtaceis, in quorum poſtremo bina illa puncta lucida conſpiciuntur.

Fig. 3. *Figura 3.* exhibet Inſectum ſitu ſupino, prout mortuum jam Microſcopio conſpiciendum ſe præbuit: ubi

A A repræſentat bina illa cornicula, antennas ſive ſcopulas, quæ conſtant e denis articulationibus ſubrotundis præter primam, quæ nempe longitudine cæterarum binas adæquat: undiquaque pilis obſita ſunt hæc cornicula, ac iis non abſimilia, queis gaudent papilionum aliqui: non enim omnes talibus inſtructi ſunt.

B B eſt latum illud tegmen ſeu pileus capiti ſuperincumbens, cujus color apparebat variegatus ex fuſco & ſubflavo ad inſtar teſtudinum cruſtæ.

C C. Uterque oculus compoſitus ex innumeris hemiſphæriolis quaſi vitreis, per ſeries diſpoſitis: qualem nempe fere oculorum in Inſectis ſtructuram eſſe, quo defectus motionis oculorum ſuppleretur per numerum pupillarum, obſervavit ingenioſus ille *Dn. Hooke* in *Micrographia* ſua. (*Cujus Libri elegantiſſimi & omnigena rarioris Hiſtoriæ Naturalis penu refertiſſimi Latinam Verſionem, anxie dudum a multis expetitam, noſtratium nonnemo non ita pridem concinnavit, in lucem editurus, quamprimum æquus aliquis Bibliopola obſtetricantem operi manum admovebit: id quod Lectori talium curioſo obiter hic indicandum putavimus.*) Equidem vidi ſphærica hæcce corpora in oculis papilionum quorundam diſpoſita in circulos, non per ordines lineares: pilis longiuſculis enaſcentibus e quolibet interſtitio, per connexionem ternorum quorumque hemiſphæriorum relicto.

D D D D D D. Pedes teſtacea ſtructura conſtantes, ut in Aſtacis, pariterque articulati. In hac æque ac aliis muſcis obſiti ſunt pluſculis pilis rigidis: non tamen ita denſe, uti crura muſcæ cæruleæ, ceu videre eſt, comparatione facta inter curioſam illam modo dicti Inſecti figuram, a Dn. *Hookio* datam *Microgr. Tab. XXVI.* & præſentem hanc noſtram. Ipſe pedum Mechaniſmus, quantum equidem percipio, utrobique fere idem eſt: niſi quod pars illa, quæ apud *Dn. Hoockium* ſub

Selca-

Solcarum nomine venit, hic deficeret, (niſi forte hic abruptæ fuerunt, quod tamen haud ſuſpicor) ejusque uſus ſuppleretur per partem illam gibboſam, repræſentatam per *d d d.* Ungues *e, e, e, e, e, e* in pedibus, nitidi erant ac perquam acute cuſpidati. Crura conſiſtebant e binis longis articulis, pedesque in ſuper quaternis, præter eam partem, quæ unguibus armata erat: videbanturque mutuo ſibimet invicem inſerti: denique tota denſo pilorum ſeu ſetarum agmine obtegebantur.

E. Thorax non niſi unica conſtans cruſta, cupri politi colorem æmulans, multumque obſitus ſetis acute faſtigiatis, quarum quælibet ubi erumpit; puſillus in cruſta ſcrobiculus conſpicitur.

F. Alvus e ſeptem annulis compoſitus, ejusdem coloris ſubfuſci: hi pilos non habebant, præterquam circa margines, quippe qui tenuis inſtar peniculamenti iis prætexti erant, cujusmodi quid & in caudis aſtacorum etſ. conſpicitur. Annuli hi cruſta inæqualiter nitida tegebantur.

ff. Dorſum ſeu pars ſuperior duorum triumve alvi annulorum ſurſum flexorum, ad oſtendendam ſtructuram cruſtæ ab iſto latere. Cæterum in poſtremi horum latere interiori lumen illud antea ſedem ſuam habebat; de quo tamen nunc nil quidquam videre erat, niſi quod ea pars dilutius paulo colorata eſſet, quam reliqua alvus.

g g g g. Alæ membranoſæ, qualibet in re gemellæ iis, quas Muſca cærulea habet, pilos etiam ſuper venis ſeu partibus cauliformibus nactæ.

h h h h. Interior facies alarum capſularium, pilis obſita, quorum omnium acies deorſum dirigebatur. Pariter & exterior harum vaginarum facies valde ſetoſa eſt.

DESCRIPTIO INVENTI, CUJUS AUXILIO diviſiones Barometri ad datam quamlibet proportionem ampliare licet; exhibiti coram Regia Societate a M. Rob. Hookio, ejusdem Sodali & Profeſſ. Geom. Gresham.

Tranſlata ex Philoſ. Tranſact. Angl. M. Decemb. 1686- n. 185. pag. 241.

POſt detectas beneficio *tubi Torricelliani* alterationes, quæ in hiſce mundi

mundi partibus circa Atmoſphæræ gravitatem contingunt, cogitatum de variis technaſmatis fuit, quorum ope minutiores etiam in Aeris preſſura variationes ſenſibus expoſitæ reddi poſſent.

Ac primo quidem *Barometrum Orbiculatum* inventum ac publicatum a *Dno. Hookio* fuit anno 1665 in *Micrographia* ſua, (ubi id largius deſcriptum extat:) attamen hoc non omnino ſpem de exacta ejus operatione conceptam implere deprehenſum eſt; tum ex eo, quod Mercurius, facillime adhæreſcens vitri lateribus, ſubinde aſcenderet ac deſcenderet per ſaltum & uno impetu; tum quia perquam difficile eſt juſte adaptare ſphærulam, filum ac reliquum hujus Inſtrumenti apparatum; tum denique quod ejus compages facile nimis turbari & convelli apta eſt: quibus de cauſis id hodie tantum non penitus in uſum adhiberi deſiit.

Poſt hæc menſe Junio anni 1668 (prout Ephemerides Societatis Regiæ teſtantur,) idem aliud commentus eſt inventum pro eodem effectu præſtando, in eo conſiſtens, ut diviſiones ampliarentur, affuſo ſuper Mercurium Spiritu Vini colorato, aliove liquore congelari neſcio; qui nempe liquor Mercurio aſcendente ſubſideret, ſubſidente vero ſcanderet intra anguſtum tubulum; ita ut extremi harum motionum limites duorum circiter pedum altitudine disjungerentur. Publicata dein anno 1673 inventio hæc fuit in Francia a *Dn. Hubino*, operis nempe vitrarii artifice dexterrimo. Verum enim vero cum tubulus ille ob neceſſariam gracilitatem bullulis obſtrui ſe facillime pateretur, (indeque poſtea intercurſum aeris externi ſubinde intercipi contingeret,) ac inſuper extremi aſcenſus deſcenſusque termini vix duos cum dimidio pedes emetirentur, nondum acquievit *Dn. Hookius*, donec modum adinveniſſet, Barometri diviſiones ad libitum ampliandi, & methodo quidem tali, quæ ab objectionibus modo dictis libera eſſet: quem tandem coram Regia Societate, in conventu 3. Febr. 1685. ſt. vet. habito in medium produxit. Ejus vero technaſma ſequenti modo ſeſe habet.

TAB. VI. *Fig.* 4. Nempe in *Figura* 4, quæ repræſentat Vitrum hujus Baroſcopii, Cylindrus *A* quidem cujuscunque libet diametri eſſe poteſt, quo amplioris tamen, eo melioris: longitudine vero, non opus eſt, ut duos excedat pollices. Porro tubum *AD* tam longum eſſe oportet, ut ſuperior pars cylindri *B*, 29 pollices, (+ tali portione altitudinis tubi alterius *BC*, quali pondus - ſeu - ſpecifica gravitas Liquoris, quo tubum hunc

hunc implere libet, ſe habet ad ſpecificam gravitatem Mercurii,) infra lineam *a b* in cylindro *A*, remota ſit. Tertius denique cylindrus *C* quam alte lubet, ſupra cylindrum *B* extare poteſt? aptiſſime tamen ita paratur, ut quadratum diametri tubi *B C* ea proportione ſe habeat ad quadratum diametri cylindrorum *B*, vel C, (quos nempe exacte oportet eſſe æquales;) uti aſcenſus Mercurii in Cylindro *B* ſe habet ad totam longitudinem tubi *B C*: tali enim caſu nil erit ſuperflui, ſed ſpatium pro diviſionibus amplificandis lucrifacere commodiſſime omnium fas erit.

Rationem implendi atque concinnandi Baroſcopium hoc quod attinet, tametſi Inventor nondum artificium a ſe ipſo hac in re adhibitum aperuerit, non abs re tamen erit hic oſtendere, quomodo id fieri poſſit. Optima ergo, quæ impræſentiarum occurrit, methodus eſt, ut relinquatur foraminulum in apice cylindri *A*, aliudque ſimile prope ſummitatem cylindri *B*: & hoc poſtremo quidem probe obturato, tantum Mercurii invergatur per alterum illud foramen in *A*, quo uterque tubus impleatur usque ad horizontalem altitudinem dicto foramini parallelam. Hoc facto occludatur, ſive ſigillo hermetico, ſive etiam immiſſa ſtilla ceræ ſigillaris, (vitro nempe prius ad ſcabritiem trito, quo adhæreſcere illa queat) foramen in *A*; atque tum recluſo foramine in *B*, tantum Mercurii emittatur e tubo *B C* (donec effluere amplius renuat: quo peracto firmiter obſtruatur foramen in *B*, (id quod ad libitum facere licebit, dum nulla hic obſiſtit preſſio,) atque hoc pacto cylindrus *A* aere erit evacuatus pro inſtituti ratione; & altitudo Mercurii, qualis in vulgaribus Barometris ſimplicibus ac orbiculatis eſſe adſolet. Ulterius jam intra tubum *B C* infundatur tantum ſpiritus vini, Cochenillæ tinctura imbuti, nec non olei terebinthinæ, (portionibus de utroque ſumtis æqualibus,) ut ultra ſuperficiem Mercurii tot pedes liquor emineat, quot conſtituere quis cupit ſcalam Barometri ampliatam, ſive, quantum recipit intercapedo inter meditullium cylindrorum *B* & *C*: ſic eveniet, ut Mercurius ſubſidat intra tubulum *B C*, & in altero *A D* ſcandat ea proportione, ut ad 13 quosque pedes Olei atque Spiritus, Mercurius ad denos pollices attollatur. His peractis tantum Mercurii invergendum eſt intra tubum *B* C, quo impleantur cylindri *A* & *B* ad eam utrinque altitudinem, habita nempe præſentis Atmoſphæræ ponderis ratione, quo ſuperficies Mercurii in utroque,

 etiam

etiam quando extremos attingit limites, (quos in Anglia non excedere hinc $30\frac{1}{2}$ pollices, aut inde $28\frac{1}{2}$ pollices, compertum eſt) jugiter ſe contineat intra ipſum cylindrorum corpus, nec unquam tubulos ſubintret.

Notandum hic, liquores nominatos duabus de cauſis fuiſſe ſelectos. Primo nempe ejusdem quam proxime gravitatis ſunt: ac licet ſpiritus vini ſumme rectificatus aliquanto levior eſt oleo terebinthinæ, perpuſilla tamen additio phlegmatis aut aquæ efficiet, ut ſpiritus præponderet & infimum occupet locum: ut adeo quamproxime libitum eſt, ejusdem utrumque ponderis reddere detur, & conſequenter cylindrum olei ab æquali cylindro ſpiritus vini ſenſibiliter non differentem obtinere. Secundo, tales hi ſunt liquores, qui miſcere ſe neſciunt: ut hinc oleum terebinthinæ ſupernatans non niſi per lineam disterminetur a colorato vini ſpiritu, quem ipſum præterea oleum ab evaporatione prohibet.

Effectus hujusce Baroſcopii talis erit, ut Atmoſphæra graviori exiſtente, Mercurioque altius intra cylindrum *A* elevato, depreſſoque in *B*, ſpiritus vini deſcendat intra cylindrum *B*, oleumque terebinthinæ tubulum repleat, ita ut partitio utriusque liquoris fiat in vicinia cylindri *B*. E contrario cum aer levior eſt, Mercurius ſubſidebit in *A*, & adſcendet in *B*, impelletque adeo ſpiritum vini intra tubulum, oleum vero terebinthinæ intra cylindrum *C*, ita ut ſectio inter utrumque liquorem ſe exhibeat prope *C*, & variatio altitudinis Mercurii extendatur ad totam fere longitudinem tubuli; neque metuendum hic eſt, ne mutua liquorum erga ſemet invicem preſſura ullatenus alteretur, quandoquidem altitudo atque pondus incumbentium cylindrorum jugiter eadem manent.

Levis autem illa alteratio, quæ contingere poterit per dilatationem contractionemque ſpiritus vini a calore aut frigore, cujusque forte rationem habere intereſt, quam optime detegi poterit ope Thermometri una appenſi, (eandem ſpiritus vini quantitatem continentis, & canaliculum habentis, qui ejusdem quam proxime fieri poteſt, diametri ſit cum barometri tubulo *B C*:) cujus nempe deſcenſum & adſcenſum addere ac ſubtrahere oportebit, quo iſtud ad rigorem usque reddatur exactum. Attamen & operæ pretium eſt, una inquirere, nunne for-

ne forſitan Mercurius ipſe conſtringatur & intumeſcat a frigore & calore, ut adeo non opus foret iſta correctione.

Atque ſic jam defectibus nec non incommodis Barometrorum hactenus productorum adinventum eſt remedium, ac ſuppetit inſtrumentum, quod inſtar novi cujusdam Senſorii minutiſſime tales aeris alterationes prodere valeat, quales absque ejus adminiculo percipi nullo pacto poſſent, cujusque dubio procul uſus perquam inſignis eſſe poterit in concinnanda perfectiori quadam *Meteorologia*, quæ nempe talismodi ſubſidio deſtituta ad ullum notabilem certitudinis gradum eniti vix usquam valebit.

Verum plura hac de re diſſerere ſuperſedeo, ne forſitan (ob omiſſam circumſtantiam quandam ſcitu neceſſariam) præjudicem Ingenioſo hujus inventionis Auctori, quippe qui exactiorem de ea relationem publicare pollicitus eſt. Quæ enim hactenus dicta ſunt, non alio tendunt, quam ut jus primæ inventionis genuino perutilis atque exquiſiti hujus inſtrumenti Auctori contra aliorum prætenſiones aſſeratur.

ESSAIS DE MEDE CINE, &c.

i. e.

Conamina Phyſica, quibus tractatur de hiſtoria Medicinæ atque Medicorum, de officio Medici reſpectu ægrorum & ægrorum reſpectu Medici, de utilitate remediorum & abuſu: auctore J. BERNIER &c.

Pariſiis apud Sim. Langronne, 1689 in 4to.

Conſtant Alphab. 3. plag. 20.

IN tres partes diviſum eſt opus hoc, quarum 1. de Medicina, 2. de Medico, 3. de auxiliis Medicinæ agit. Quod Medicinam concernit, ejusdem originem non tantum ſecundum Judæos & Chriſtianos, ſed & Ethnicos quosdam ad hunc modum deducit. Adamus omnium, quæ in mundo erant, exactiſſimam habebat cognitionem; virtutes præſertim animalium, vegetabilium & mineralium intime cognoſcebat: ſcientiam hanc ipſi a Deo inſpiratam cum poſteritate communicabat, poſt-

quam propter lapſum totum genus humanum morbis obnoxium redditum fuerat. Seth poſtmodum aut per traditionem, aut per famoſas iſtas columnas, de quibus Joſephus mentionem facit, poſteris hanc ipſam notitiam reliquit, Sed & ante & aliquod ſecula poſt diluvium longævi ſatis vivebant mortales, ideoque opus non habebant hac ſcientia prius, quam morbi frequentiores invaderent homines, vivendique tempus notabiliter abbreviaretur. Jam vero in antiquorum hiſtoria nihil legitur de Medicina ante tempora Triſmegiſti, Athothi, Thoſortri &c. Inde probabiliſſimum videtur, Medicinæ ſcientiam demum in artem fuiſſe redactam tempore Patriarchæ Jacobi, cujus poſteri de illa certiores fecerunt Ægyptios. Corrupta fere erat tunc temporis Medicina propter Magiam, quam Principes & Sacerdotes Ægyptii, (quippe quibus tantum conceſſum erat Medicinam publice exercere, plebejis non item) cum nobiliſſima hac arte confundebant, usque dum ab Ægyptiis ad Græcos pervenit, ubi majora incrementa indies cepit temporibus Cadmi, Chironis, Æſculapii (ad cujus tempora primarum in Græcia ſcholarum, veluti Gnidiæ, Rhodiæ & Coæ fundatio inprimis referenda) Podalirii, Machaonis aliorumque qui eos inſequebantur, usque ad tempora Hippocratis; adeo ut Soranus tam breviter quam veroſimiliter Medicinæ hiſtoriam enarret, quando ſcribit: Medicinam invenit Apollo, augmentavit Æſculapius, perfectam reddidit Hippocrates. Neque tamen adeo perfectam reliquit Hippocrates Medicinam, ut nihil ſuperaddi poſſet: quin plurima potius arti perquam neceſſaria poſt illum in Medicina detecta fuere, ac deteguntur adhuc in hunc usque diem. Itaque Auctor hiſtoriam chronologicam Medicorum excellentium, item Virorum illuſtrium, qui Medicinam magni fecerunt, vel etiam exercuerunt, vel ad ipſius incrementum aliquid contulerunt, fuſius exhibet, ſecutus computationem Scaligeri aliorumque modernorum. Incipit autem hiſtoriam a Græcis & Latinis, quos Judæi & Arabes ſequuntur. Succedunt Reges & Principes, qui Medicinæ operam dederunt, cum Poetis, Philoſophis, Martyribus vitæque ſanctimonia claris; itemque qui dignitates Eccleſiaſticas poſſederunt, Papæ nimirum, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Canonici, Abbates & Monachi; quibus denique illi ſubjunguntur, qui a ſeculo 12 & 13 inclaruerunt in Anglia, Germania, Italia, Hiſpania & Galliis. Hiſce recenſitis, hoſtes Medicinæ aggreditur. eosque in tria genera diſpeſcit. Plane ignorantes

rantes, & peritiores paulo, in artem tamen invehentes, ut eruditi videantur, indignos reſponſione judicat: tertium vero genus hominum nuncupat eruditos, qui hac vel illa in parte errant, atque in errore ex falſo præjudicio perſeverant. Inter hos nominatim refert M. Portium Catonem, Plinium, Dionyſium Ægeum, Petrum de Apono, Petrarcham, Cornelium Agrippam, Joh. Novizanum, Liſet Benantio, Guevarram, Sulpitium Severum, Ferdinandum Nonnium, Garciam & Gamar, Michaelem de Montagne, Wilhelmum Bouchet, Georgium Hornium, R. des Cartes, Moliere, Autorem dialogi de ſanitate, Autorem libri dicti *le Medicin de ſoy meme*, Cuſſou in diſcurſu philoſophico, Maſſardum in tractatu de Panaceis, Helmontium, Bontekoe, Leonardum di Capua, quorum omnium objectionibus ſolide reſpondet, aliaque contra Medicinam prolata argumenta refellit. Quæ vero inter Chriſtianorum & Gentilium medicinam intercedat differentia, quidve ſpecialiter Medicina Romano-Catholica a pio Medico exigat, fuſius porro proſequitur; additoque monito, quod ſecreta de ægris nullo modo ſint propalanda, quinimo quod Medicus ægri ſecretum etiam coram judicio revelare, niſi facta atrociora morboſque contagioſos excipias, non teneatur, parti primæ finem imponit. Et hæc de Medicina.

In ſecunda parte, ubi de Medicis eorumque vitiis & officiis diſſerit, Medicum cum Hippocrate dicit Virum bonum medendi peritum; ex quo fundamento in Medicos in hac ſecunda parte inquirit, & annotando id, quod Medicorum perfectioni maxime obeſt, clare demonſtrat, quare ars Medica hucusque adeo contemptui fuerit habita. Jucunde non minus quam eleganter deſcribit quatuor Medicos, qui Pariſiis & in vicinis provinciis ſuo tempore præ aliis inclaruerant, quorum primus Neptunus, alter Magnus, tertius Politicus, quartus Parvus adpellatur, indeque infert 1. quod judicium de Medicorum meritis prolatum maxime fallax ſit; 2. quod fraudes variaque artificia Medicos reddant ſæpiſſime famigeratiſſimos; 3. quod eorum exiſtimatio Fortunæ potius quam meritis adſcribenda; 4. quod actum ſit de Medicina, niſi Deus excitet ſapientem quendam potentemq; Artis reſtauratorem. Ut igitur per deſcriptiones & ratiocinationes hiſtorico-morales bonus Medicus cognoſcatur, vindicat primum Medicos a vitiis, quæ falſo illis attribuntur; poſtea illa annotat, quorum jure inculantur: ac proinde qui his vitiis inquinati non ſunt, ſed con-

trarias potius virtutes poſſident, maxime perfecti dignique judicantur in caſu neceſſitatis ſeligendi, ſemperque magno honore afficiendi. Quorum falſo inſimulantur, ſunt atheiſmus, ebrioſitas, homicidia & divitiæ: quibus vero maxime obnoxii æſtimantur, avaritia, invidia, faſtus illudque vitium quod eos ridiculos reddit, pedantiſmus, ignorantia, impudentia, ſtudium complacendi atque adulatio recenſetur, de quibus omnibus plurima lectu digniſſima Autor profert. De principum poſtea Medicis, de fortuna Medicorum, de circumforaneis Medici nomen affectantibus, & medicaſtris cujuslibet conditionis & ſexus eleganter diſſerit; ubi nimirum haud levia animadverſione digna quotidie non minus occurrunt, quam circa electionem Medici, conſultationes, & ſic dictum honorarium. Ultimo loco de Facultatibus Medicis, & ſpeciatim de duabus Franciæ celeberrimis, Pariſienſi ſcilicet & Monſpelienſi agit, abuſus in conferendis honorum gradibus ibidem pronatos annotat, & quomodo huic malo ſuccurrendum ſit oſtendit.

De Medicinæ denique Auxiliis in tertia parte acturus, poſtquam de ægris eorumque officiis quædam propoſuit, circa remedia in genere ſuas præſcribit Regulas; 1. Generoſa remedia non niſi urgente neceſſitate, ſumma tamen cum prudentia & circumſpectione eſſe adhibenda. 2, Aſſumtis remediis ſi optatus non ſequatur effectus, Medicum non eſſe inculpandum. 3. Premente malo non eſſe renuenda remedia. 4. Cognita uſitataque remedia præſtantiora eſſe incognitis, & quæ vulgo vocantur ſecretis. 5. Ægros ſine ratione panaceas, balſamos vitæ, aurumque potabile præferre remediis ſimplicibus & vulgo notis. Cum vero omnia Medicinæ auxilia non tam a peritis Medicis, quam artis miniſtris & ipſismet ægris in uſum trahantur, plerorumque Chirurgorum, Pharmacopolarum & Obſtetricum ignorantiam, inſolentiam aliosque depravatos mores graphice depingit, abuſusque inde provenientes dilucide ſatis demonſtrat. Porro de ſex rebus non naturalibus earumque adminiſtratione ſermonem inſtituit, & expoſitis iis, quæ circa chirurgica præſidia, venæ ſectionem puta, ſcarificationem, hirudines, cauteria & membrorum amputationem attendenda, ad auxilia Pharmaceutica explicanda ſe confert. Purgantium primo & vomitoriorum in genere, poſtea ſpecialiter horum tam ſimplicium quam compoſitorum virtutes enucleat: alterantium, cordialium & alexiteriorum examen

his

his ſubjungit; tandemque artem ornatricem admittendam, fucatricem vero a Chriſtiano Medico nullo modo exercendam, quin potius ſupprimendam eſſe omnibus modis, concludit.

FRANCISCI BURMANNI EXERCITATIONES Academicæ.

Roterodami apud Regnerum a Doesburgh. A. 1688. in 4. Conſtant plagulis 110.

IN Exercitationum harum a Cl. Franciſco Burmanno conſcriptarum, & Adami van Halen cura junctim editarum, parte priore diſputationes quatuor de *Providentia Dei* primum locum occupant. In quarum *I.* divinæ providentiæ tum exiſtentiam e rationis pariter ac Scripturæ S. lumine corroborat: tum eſſentiam, ſive in quo eadem conſiſtat, exponit: tum ejusdem actum primum ſeu conſervationem declarat. *In II.* de providentiæ divinæ actu ſecundo ſeu cooperatione Dei cum cauſis ſecundis & actionibus earum; nec non illius actu tertio ſive gubernatione & deductione rerum omnium ad ſuos fines breviſſimis agit: & tandem ejus objectum omnes omnino creaturas eſſe, dictis Scripturæ S. nec non rationibus, & Philoſophorum, Judæorum ac Chriſtianorum teſtimoniis comprobat. *In III.* diſſerit de rerum Contingentia, ac probare nititur, radicem contingentiæ non ex conditione aliqua cauſarum ſecundarum, ſed ſolummodo ex voluntate divina petendam eſſe: unum eundemque effectum & neceſſario fieri ex ſuppoſitione divini decreti, & contingenter ac libere ratione creaturæ & voluntatis humanæ, nec duo hæc inter ſe invicem pugnare: contingentiæ radice & ratione ita aſſerta, concidere duo utrinque æque periculoſa extrema, unum quo caſui fortunæque omnia tribuuntur, alterum quo indecenti fato omnia conſtringuntur. *In IV.* doctrinam de Fato proponit, ac præmiſſa explicataque diſtinctione Fati mathematici, naturalis, violenti ſeu Stoici, & veri ſeu Chriſtiani, Reformatas Eccleſias ab imputato Fato Stoico immunes pronunciat, illiusque Remonſtrantes longe potiori jure reos peragi poſſe autumat. Quatuor hisce diſſertationibus decem de *Juſtificatione* ſubjunguntur. In earum I. poſtquam ſignificationem hujus vocis forenſem ſeu moralem eſſe oſtendiſſet, triplicem juſtificationis gradum facit. Cum enim homo juxta triplicem ſtatum, in quo Deo

Deo objici poteſt, conſiderari queat, vel ut *legaliter juſtus*, qualis Adam in ſtatu integritatis, Chriſtus, & ſancti Angeli; vel ut *peccator*, ſed pœnitens, & fide recumbens in Servatorem; vel ut *regenitus*, & aliqualiter legem implens: inde infert, primum ſtatum conſtituere juſtitiam *legalem*, & ſi qui tales juſti eſſent præter Chriſtum, illos ex operibus juſtificatum iri a lege: ſecundum ſtatum conſtituere juſtitiam *Evangelicam*, ſeu juſtificationem peccatoris ex fide propter Chriſtum: tertium ſtatum conſtituere juſtificationem illam, de qua *Jacobus* agat *cap. II.* 24. quæ ſit ex operibus & non ex fide tantum, & hanc differentiæ cauſa juſtificationem ſecundam a ſe vocari. Legalem dehinc juſtitiam, quæ ex adimpletione legis moralis & obſervantia reliquorum mandatorum divinorum nata fuiſſet, ad finem usque perluſtrat, duo circa eandem obſervans: quorum primum, non proprie dictam juſtificationem, qualis nunc eſt, futuram fuiſſe, ſi in integritate ſua perſtitiſſet primus homo, cum juſtificatio ibi proprie locum non habeat, ubi nulla eſt labes, macula, & accuſatio; ſecundum eſt, non proprie ſub rigore legis, formaliter ſic dictæ, ſtetiſſe obedientiam primi hominis (ſcilicet quoad opera ejus moralia) ſed potius obtinuiſſe tunc ſtatum aliquem amicitiæ, qualis ſit inter patrem & filium, inter quos, dum illæſa eſt charitas, non intercedat proprie lex, ſed ex natura amet filius patrem, & inde omnia reverentiæ, obedientiæ & charitatis officia ipſi exhibeat. *Diſp. II.* ad alteram Juſtificationem, ſcilicet Evangelicam, progreditur, atque perhibet, eam conſiſtere partim in non imputatione noſtrorum peccatorum ſeu eorundem remiſſione, partim in juſtitiæ externæ nempe Chriſti imputatione, ac priorem partem ſeu non-imputationem paucis illuſtrat. *Diſp. III.* de imputatione juſtitiæ Chriſti agit, docens, Chriſti juſtitiam originalem pariter ac obedientiam actualem nobis imputari: humanam Chriſti naturam ob hypoſtaticam unionem a legis obligatione non fuiſſe exemtam: non ſine aliqua vocum contradictione Chriſti obedientiam diſtingui in activam & paſſivam, cum in ipſa paſſione ſua maxime egerit, utpote voluntarie ſe tradendo, & in media paſſione ſumma patientia, fiducia & amore eam ſuſtinendo: male a quibusdam ſtatui, obedientiam Chriſti paſſivam nobis ſolum donari, activam ipſi ſoli vindicari, cum utramque pro nobis debuerit, nec ſatis commode obedientiæ Chriſti paſſivæ ſoli tribui noſtram reconciliationem: non diſcerpi debere obedientiam ejus activam a paſſiva, nec juſtiti-

juſtitiam noſtram membratim quærendam eſſe in hac aut illa parte obedientiæ Chriſti, cum ex tota exſurgat, tum quoad remiſſionem peccatorum, tum quoad juſtitiæ adjudicationem: fruſtra eſſe Pontificis, ſtatuentes,non poſſe aliquem aliena juſtitia juſtum fieri, cum tamen velint nobis imputari juſtitiam & opera ſatisfactoria Sanctorum per indulgentias diſtributa: non defuiſſe inter ipſos Pontificios, qui hominibus inprimis morituris, hanc de imputatione juſtitiæ Chriſti doctrinam inſtillarint. *Diſp. IV.* Juſtificationis cauſam inſtrumentalem ſive fidem proponit, eamque non quatenus actus eſt, ſed ratione objecti apprehenſi, nec non ſolam, excluſis omnibus operibus, juſtificare docet. *Diſp. V* Actum fidei, quo circa juſtificationem occupata eſt, triplicem,nempe diſpoſitivum,juſtificatorium formaliter,& conſolatorium concipi poſſe arbitratur: actum fidei juſtificatorium formalem in fiducia ſeu certitudine ſpeciali, quo quis confidit ac certus eſt ſibi in individuo peccata eſſe remiſſa, ab orthodoxis etiam quibusdam male collocari, cum hic actus juſtificationem non conſtituat, ſed inſequatur,aſſerit: diſtinctionem juſtificationis activæ & paſſivæ ac univerſum juſtificationis proceſſum tradit; & tandem, quæ Pontificiorum circa hanc juſtificationis partem, quatenus eſt fide,ſit doctrina, ex Concilio Tridentino paulo plenius proponit. *Diſp. VI* pergit Pontificiorum circa Juſtificationem per fidem opiniones recenſere, ac paucis diſcutere, & ab iisdem ad conciſum ſententiarum, quæ de hoc dogmate a Socinianis & Arminianis foventur, examen progreditur. *Diſp. VII.* erroneam de juſtificicatione per opera opinionem cum incunabulis ipſius mundi fere cœpiſſe, & Juſtitiariorum anteſignanum ipſum Cainum fuiſſe, eidemque perverſæ ſententiæ Judæos,Gentiles,Muhammedanos & maximam Chriſtianorum partem favere, indicat: præjudicium hoc aliquo modo ab ipſa natura originem ducere, cum naturale ſit homini per opera ſua juſtificari, ſubinnuit; & juſtitiam per opera fruſtra quæri,argumentis aliquot in medium allatis, erudite demonſtrat. In ſequentibus duabus diſputationibus, & quidem ſpeciatim *Diſp. IIX.* contra Judæos antiquos ac Pontificios: *Diſp.* autem *IX.* contra Socinianos ac Remonſtrantes quæſitam ex operibus Juſtificationem impugnat. *Diſp. X.* Juſtificationem regeniti & evangelice jam juſti conſiderat, docens, ex duplici juſtitia, quarum una nobis aliena eſt & fide imputatur, ſcilicet Chriſti, ac altera; quæ noſtra eſt, quamque regene-

ratione habemus, duplicem oriri juſtificationem, unam, qua Deus nos etſi in nobis impios & injuſtos, attamen propter juſtitiam Chriſti, fide apprehenſam, plene juſtificat; alteram, qua Deus nos, legi aliquo modo jam conformes factos per regenerationem, & aliquam juſtitiam inhærentem habentes, etiam pro talibus agnoſcit, & ex parte jam nos juſtificat: duplicem eſſe hominis accuſationem, cui duplex opponatur juſtificatio; aut enim accuſari coram tribunali Dei de peccati ſui reatu & æterno merito, & huic accuſationi occurrere primam juſtificationem per Chriſtum; aut accuſari poſſe peccatorem ita juſtificatum hypocriſeos, ſimulationis & cordis non regeniti, & ab hac accuſatione liberari per juſtificationem ſecundam, qua Deus illum ex juſtitia inhærente agnoſcat regenitum, & abſolvat a crimine hypocriſeos & ſimulationis, illum vere juſtum declarans: non conſiſtere ergo juſtificationem hanc duntaxat in declaratione juſtitiæ hominis coram hominibus: juſtificationem primam eſſe, qua in nobis ipſis peccatores, juſtificemur coram Deo extra nos; ſecundam vero, qua juſtificati jam coram DEO extra nos, juſtificemur coram ipſo in nobis; utramque hanc juſtificationem tam imputatam, quam inhærentem, etſi ſit juſtitia legis, non tamen eſſe juſtificationem ex lege, aut vi legis in nobis productam, ſed ex gratia & Spiritu Chriſti: differre hanc juſtificationem duplicem multum a juſtificatione prima & ſecunda Pontificiorum: ad hanc regeniti juſtificationem pertinere illam, quæ in ſcholis dici ſoleat juſtificatio cauſæ: ex hac doctrina locum Jacobi *c. II, 21. ſeqq.* cum Pauli *Rom. IV, 1. ſeqq.* conciliatu eſſe facilem, hunc enim de juſtificatione prima ipſius Abrahami, illum autem de juſtificatione ejusdem altera agere. Diſſertationes has excipit *Enchiridium Propheticum*, in quo Autor Clariſſimus breviſſimam librorum Propheticorum analyſin & ſciagraphiam exhibet, ſe non alligans ordini illi, quo prophetici libri in Sacro Codice diſpoſiti ſunt, ſed in harmoniam aliquam illos redigens, ordinando eos juxta ſeriem temporis, quo ſinguli libri & librorum pericopæ ſeſe invicem exceperunt. Opus vero iſtud ob intercedentem Autoris mortem ad umbilicum non fuit perductum.

In parte poſteriori harum Exercitationum *diſputationes novem de Synagogis* primo loco ſeſe offerunt. Quarum I. circa onomatologiam & originem Synagogarum occupata eſt, ac principium illarum, rejectis aliorum opinionibus, a temporibus Eſræ & Nehemiæ arceſ-

arceſſit. II. monſtrat Synagogas primum in agris extra urbem, & fere ad flumina, fontes, torrentes, aliosque aquarum rivos erectas, poſtmodum tamen utplurimum in urbes deductas cautumque eſſe rigidis canonibus, ut in altiſſimo urbis loco ædificaretur Synagoga, & ne ea altius ulla domus culminaret: id a Templo diſcriminis habuiſſe Synagogas, quod in iis ſeverint arbores, quæ in templo interdictæ: in aliis Templi figuram ſitumque imitatas eſſe Synagogas, iisque perinde ut templis ſanctitatem ſuam a Judæis, ob ſacrorum ſuorum illic uſum, fuiſſe tributam: ad templi formam quadantenus repræſentandam duabus conſtitiſſe Synagogam partibus, ſacello nimirum & domo ipſa ſeu Eccleſia, ac ſacellum ſitum fuiſſe ad Occidentem, ad inſtar ſancti ſanctorum in tabernaculo aut templo, inque eodem Judæos collocaſſe arcam, in qua librum legis poſuerint; in ipſa autem domo ſeu Eccleſia cœtum precibus legique audiendæ intentum conſediſſe: Synagogas lapſu temporis admodum auctas fuiſſe, ita ut templi ſecundi tempore numerus Synagogarum hieroſolymitanarum ad 480 excreverit: non indigenas tantum, ſed & exteros atque peregrinos Judæos Hieroſolymis ſuas habuiſſe Synagogas: extra Hieroſolymam quoque in aliis oppidis ac provinciis plurimas fuiſſe; in qualibet urbe, ubi decem eſſent literati & ſtudioſi legis, Synagogas exſtrui potuiſſe. *III. Diſput.* decem Synagogæ Officiales in conſpectum producit, eorumque officia deſcribit, obſervans, ex iisdem tres Magiſtratum geſſiſſe, de rebus litigioſis inter Synagogæ iſtius membra emergentibus judicaſſe, ac pœnæ infligendæ poteſtate eminuiſſe; unum fuiſſe publicum ſynagogæ Miniſtrum, qui minora munia ex Archiſynagogi & Presbyterorum decreto obierit, Concionatori librum dederit, finitaque lectione eum receperit, precibus & cantu Eccleſiæ præiverit, lectioni legali præfuerit, librum legis cuſtodierit, atque etiam ſi opus eſſet, ex eo legerit, quin & conciones aliquando habuerit, ſi non eſſet alius, qui hoc munere fungeretur; tribus pauperum curam commiſſam fuiſſe; octavi in hoc decemviratu officialis locum ſuppleviſſe Interpretem, qui linguarum peritus atque legenti in lege adſtans, in ſabbatinis Concionibus verſiculatim ea vernacule reddiderit, quæ e fonte Hebræo lecta fuerant: nonus decimusque in illo decemviratu qui nominetur, non adeo in promtu eſſe. *Diſp. IV.* Illuſtrationis muniorum, quæ in Synagoga obtinebant, auſpicium facturus, præmittit, in Synagogam etiam externæ re-

ligionis viros admiſſos fuiſſe: ſeparatim doctores ſeu ſeniores, ſeparatim viros, ſuo quemque ordine, unum pone vel infra alterum, ſeparatim quoque mulieres conſediſſe, & ad hunc morem tum *Jacobum II. 2, 3.* tum Paulum *1. Cor. IV. 16.* reſpexiſſe: tempore Sabbati potiſſimum in Synagogas illos conveniſſe, præter illud autem & dies feſtos, die ſecundo & quinto uniuscujusque hebdomadis, h. e. Lunæ & Jovis coiiſſe. Poſt, præcipua Synagogæ exercitia ad tria, preces nempe, lectionem legis ac Prophetarum, & adjectam illi concionem rediiſſe docet, ac de primo plenius agere incipit, notans, a precibus exordium eſſe factum: eosdem preces in ſynagoga fuſas mirum in modum extuliſſe: vanæ gloriæ aucupes preces privatas & a ſynagoga diſcretas muſſitaſſe: preces pro toto cœtu Angelum Eccleſiæ publice fudiſſe, reſpondente ad unamquamque orationem cœtu Amen: ſtantes & facie ad ſanctuarium converſa, item capite velato ſive operto oraſſe. *Diſp. V.* continuat ritus in precando obſervari ſolitos, ſcilicet, quod orantes oculis in terram defixis, voce ſubmiſſa, lingua ſibi nota, præterquam Syriaca, quod eandem ab Angelis haud intelligi perſuaſum haberent, adhibitis certis ligamentis, thpillin dictis, preces ad Deum ſuderint, iisdemque ad finem perductis Amen reſponderint. Precibus deinde Moſis Scripturæ S. lectionem ſubjunctam fuiſſe edocet, obſervatque inchoatis die Sabbati ſacris Miniſtrum Synagogæ evocaſſe ſeptem (aliis diebus pauciores) quos ipſi evocare viſum fuerit, quosque idoneos judicarit, lecturos ordine ſuo legem: ita evocatum in pulpitum, quod in medio Synagogæ appoſitum erat, adſcendiſſe, ac nonniſi ab Archiſynagogo rogatum Scripturam S. idiomate Hebræo conſcriptam, & quidem ex ea tantum legem ac Prophetas, non autem hagiographa, prælegiſſe: & cum ultima legis lectio ſingulis annis in proximum a feſto ſcenopegiorum diem inciderit, eodem Feſtum in laudem Dei Rabbinos celebrari voluiſſe. *Diſp. VI.* notat morem docendi in ſynagogis Chriſtum pariter ac Apoſtolos ſuo exemplo comprobaſſe: lectione peracta lectorem librum legis complicatum Miniſtro reddidiſſe: lectionem legis ac Prophetarum excepiſſe concionem. Judæorum gentem, quantum ad cultum ſeu diſciplinam attinet, in duas diviſam fuiſſe claſſes תלמידי חכמים & עם הארץ in ſcholares ſeu diſcipulos ſapientum, & populum terræ, h. e. in doctos & indoctos, innutritos ſtudiis legis & iisdem non innutritos. Poſthæc de litteratis, quos in ipſos

ipſos ſapientes & ſapientum diſcipulos ſubdividit, paulo pleniorem tractationem ſuſcipit. *Diſp. VII.* animadvertit, publicos doctores in cathedra ſedentes legem explicuiſſe; ad populum Hebraice & per interpretem verba feciſſe: in ſcholis accuratiorem informandi rationem, quam in ſynagogis, obtinuiſſe: Iſraelitarum ſcholas olim Prophetas habuiſſe moderatores: titulum Rabbi ante tempora Hilleliana in uſu non fuiſſe, ſed poſt orta ſchiſmata inter ſcholas Shammæi & Hillelis cœpiſſe; ut titulis ac nominibus, ita docendi quoque ratione Magiſtros diſcrepaſſe: modo libero ſermone, modo interrogando & reſpondendo eosdem docuiſſe. *Diſp. IIX.* monet, doctores in ſcholis non minus quam Synagogis ſedentes docuiſſe, diſcipulos autem ſtantes ipſorum doctrinam accepiſſe, eumque morem ad tempora usque Simonis Filii Gamalielis duraſſe, iſto autem paulo ante excidium Hieroſolymitanum demortuo, conſtitutum fuiſſe, ut diſcipuli etiam aſſiderent: imo jam illo ævo, quo diſcipuli adhuc adſtare ſolebant, doctori ſuo adſediſſe eos, qui eo usque profecerant, ut jam ipſi doctores eſſe poſſent: reperiri, qui Synagogas eleemoſynarum diſtributioni operumque miſericordiæ exercitio deſtinatas quoque fuiſſe exiſtiment: ac quibusdam videri, ex conviviis intra ſynagogas inſtitutis Agapas antiquiſſimas eſſe deducendas; nec illas tempore Apoſtolorum cœnæ Dominicæ appendices, ſed peregrinorum in ſingulis Eccleſiis, illarum ſumtibus, ſynagogarum exemplo, exceptiones fuiſſe. Synagogarum ratione omni ſeparatim & per partes ſic conſiderata, easdem partim cum templo Judaico, quo erant poſteriores, partim cum Eccleſia Chriſtiana, quibus erant priores ſub finem hujus ac per integram *Diſp.* inſequentem *IX.* conferre inſtituit. Has de Synagogis diſſertationes inſequuntur *XVIII. de Miniſtris N. T. extraordinariis & ordinariis.* E quibus I. *Diſcipulos LXX.* ſiſtit, oſtendendo, ante ultimum Chriſti paſcha eos demum ablegatos eſſe: Chriſtum in ſeptuagenario numero deſignando, ordinem, cui jam olim populus adſueverat, attendiſſe: binos abiiſſe, ut ſeſe mutuo animarent: ceu feciales & prodromos ante faciem Domini emiſſos eſſe, qui non tam prædicarent Evangelium, quam populos per generalem annunciationem, jam adveniſſe Meſſiam, quodammodo præpararent: miſſionem LXX. diſcipulorum longe differre a miſſione Apoſtolorum, & illam ab hac dignitate multum ſuperari: munus demandatum brevi tempore illos obiiſſe, ac

poſt peractam legationem iſtam temporariam in diſcipulorum numero ſubſtitiſſe, donec ad alia munera, nimirum vel ad Apoſtolatum, vel ad Diaconatum, vel ad munus Evangeliſtarum admoverentur. In *II.* incipit agere de *Apoſtolis*, ac varia hujus nominis ſignificatione adducta, primam eorundem notam, ipſius ſcilicet Chriſti in carne αὐτοψίαν, attingit. In *III.* notas Apoſtolorum alias explanat demonſtrando, quod immediate a Chriſto electi, ipſius Dei Legati, a Chriſto & Spiritu S. per immediatam revelationem inſtructi, ac in docendo infallibiles fuerint. *Diſp. IV.* diſcurſum de Apoſtolorum infallibilitate continuat, & de hac etiam reliquos primævæ Eccleſiæ Doctores ſeu Viros Apoſtolicos participaſſe aſſerit, duasque inſuper Apoſtolorum notas, ſcilicet Clavium Regno Cœlorum concesſionem atque Spiritus S. una communicandi poteſtatem declarat. *Diſp. V.* Tribus aliis notis, ſcil. dono miracula patrandi, eximia prædicationis efficacia, & facultate prædicandi in toto orbe Apoſtolos excelluiſſe docet. *Diſp. VI.* probat Apoſtolos in hoc munere ſuo perſonali & ὑπεροχῇ nullos admiſiſſe ſucceſſores; item Apoſtolatus nomine nullum in terra eſſe majus, illudque omnes alias functiones ſacras dignitate & eminentia ſua complecti. *Diſp. VII.* exponit officium, cui exſequendo deſtinati erant Apoſtoli, & numerum ac nomina eorundem illuſtrat. *Diſp. IIX.* demonſtrat Jacobum fratrem Domini, Juſtum dictum, quem multi veterum ab Apoſtolis diſtinguunt, tanquam Diſcipulum Chriſti, omnino Apoſtolum fuiſſe: Epiſcopatum Hieroſolymitanum non geſſiſſe Johannem Apoſtolum: eidem Johanni a Polycrate Epheſio apud Euſeb. l. 5. c. 24. auream laminam ſenſu non litterali, ſed myſtico tribui, ut ſummæ dignitatis ipſum inter Chriſti miniſtros fuiſſe oſtenderet: Judæ proditori Matthiam ſorte electum ſucceſſiſſe, & tandem, cum Eccleſia Judaica jam eſſet conſtituta, illiusque fundamenta & in illa fundamenta totius Eccleſiæ jam jacta eſſent, Apoſtolis Paulum acceſſiſſe, eamque ob rationem eidem nec inter 12. thronos, quibus inſeſſuri eſſent Apoſtoli judicantes 12. tribus Iſraelis *Matth. XIX, 28.* nec inter 12. fundamenta cœleſtis Hieroſolymæ *Apoc. XXI, 14.* locum adſignari. *Diſp. IX.* ex Altingio memorat, Judæos in Talmude Pauli Apoſtoli meminiſſe ſub nomine *Samuelis parvi, qui ordinavit benedictionem contra hæreticos coram Rabban Gamaliele ſeniore:* dein argumenta, quæ Barnabæ verum Apoſtolatum derogare videntur, diluit, eumque

in

in divinum Apoſtolorum chorum cooptatum fuiſſe ſtatuit: tandem quæſtionem movet, utrum inter ipſos Apoſtolos aliqua fuerit diſparitas, & ſpeciatim ſingularis Petri inter eos eminentia, poteſtas, jurisdictio, imo Monarchia, ac concedit aliquod ratione donorum, vocationis ætatis, loci; honoris inter eos fuiſſe diſcrimen, negat autem unum alterum autoritate, poteſtate aut Jurisdictione ſuperaſſe. *Diſp. X.* nonnullis quæ ad Petri primatum adhuc ſpectant, adductis, de vocatione Apoſtolorum diſſerit. *Diſp. XI.* idem argumentum perſequitur, ac geminam illorum miſſionem, quarum una Chriſto vivo, altera poſt ejus in vitam reditum & in cœlos aſcenſum obtigerit, depingit. *Diſp. XII. de Propheticis N. T.* verba facere inſtituit, obſervans Prophetæ nomine in V. pariter ac N. T. ſignificari illum, qui verbum Dei quibuscunque notum facit, exponit & interpretatur, præcipue vero, qui illud ex revelatione divina præſtat: officium Prophetarum N. T. fuiſſe, ut illis, quibus Evangelium ab Apoſtolis aut Evangeliſtis prædicatum erat, doctrinam fidei ulterius annunciarent, ex Moſe & Prophetis evangelicam doctrinam ſtabilirent, & inſigni hoc fulcro Judæorum fideles corroborarent: Prophetas ad Apoſtolicam dignitatem non adſcendiſſe, attamen ſpiritualibus donis cumulatiſſime inſtructos illis proxime ſuccenturiandos eſſe: Propheticam, de qua Apoſtolus *1. Cor. XIV, 1. ſeqq.* licet cum extraordinariis donis & revelationibus tunc temporis conjuncta fuerit, nihilominus tamen non extraordinarium ſed ordinarium donum fuiſſe Scripturas meditandi, ſcrutandi, earum mentem eloquendi, ad ædificationem Eccleſiæ explicandi, & de aliorum explicatione judicandi. *Diſp. XIII.* pergit evincere iſtam Prophetiam ad ordinarium docendi & concionandi munus ſpectaſſe, & nonnulla de dono ex divina revelatione præſentia indicandi & futura prædicendi annectit. *Diſp. XIV.* materiam de Prophetis N. T. pertexit, monetque veterum Prophetiarum interpretationem nondum ſatis nobis eſſe perſpectam: continuationem & perpetuitatem doni prophetici futura prædicendi, neque de eſſentia Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe, neque apud Joëlem Capite ſecundo promitti: non deficere nobis lumen propheticum, licet non ſurgant inter nos extraordinarii Prophetæ, futurorum Vates: non deeſſe etiam hodie vatidicas voces, quæ hominibus inopinis interdum, ſingulari Dei providentia, eliciantur: inter Chriſtianos non minus ac olim inter Iſraelitas, Pſeudoprophetas reperiri.

riri.

riri. *Diſp. XV.* immediatas revelationes a quibusdam hodienum jactari, & ineptas talium voces & prædictiones a plerisque magnifieri cum notaſſet, argumento de Prophetis N. T colophonem imponit, ac de *Evangeliſtis* diſcurſum movet, tradens illos Apoſtolis equidem inferiores fuiſſe, Prophetis autem N. T. dignitate non ceſſiſſe, ſed in quibusdam etiam prælatos, a Paulo vero Prophetis ob ſingulare Prophetiæ donum, quo excelluerint, *Eph. IV. 11.* poſtponi; Evangeliſtarum nomen in S. literis non inveniri uſurpatum eo ſenſu, quo Evangelicæ Hiſtoriæ Scriptores nobis denotat, nihilominus tamen his quoque illud optime convenire: Evangeliſtæ munus in eo poſitum fuiſſe, ut quis, cui probe innotuerat Hiſtoria Evangelii, quique in eo ſingulariter profecerat, donisque ad illud prædicandum neceſſariis præditus erat, Apoſtolis volentibus & jubentibus, ad annunciandam iis fidem proficiſcerentur, quibus fides nondum prædicata erat ab Apoſtolis, & ad quos excurrere ipſis non vacabat: Evangeliſtas ſingularis alicujus Eccleſiæ miniſterio ordinario non fuiſſe addictos: cum prædicatione verbi baptizandi poteſtatem habuiſſe Evangeliſtas, ac fortaſſis etiam miraculorum chariſmate eos polluiſſe. *Diſp. XVI.* in conſideratione Evangeliſtarum perſiſtit, & abſolutis, quæ ad munus Evangeliſtarum pertinent, in originem illorum inquirit, ac obſervat eos poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos, interveniente Apoſtolorum miniſterio, demum vocatos fuiſſe: dein præcipuos Evangeliſtas, quorum in S. litteris fit mentio, enumerat: tandem contra illos, qui Titum ac Timotheum pro Epheſinæ Cretenſisque Eccleſiæ Epiſcopis, quam Evangeliſtis, habere malunt, evincit, hæc duo ſibi non repugnare, ſed commode componi poſſe, ſi aſſeratur, viros hos in Eccleſiis illis commorantes illarum antiſtites egiſſe ſeu Epiſcopos, non tamen per modum Epiſcoporum ſive ordinariorum Antiſtitum, ſed per modum Evangeliſtarum. *Diſp. XVII.* adjectis paucis, quæ ad illuſtrationem diſcurſus, in diſſertatione præced. de Evangeliſtis inſtituti, faciunt, de *Miniſtris N. T. ordinariis ſeu de paſtoribus & Doctoribus*, quos Paulus Apoſtolis, Prophetis & Evangeliſtis, ceu extraordinariis N. T. miniſtris *Eph. IV. 11.* ſubjungit, commentari aggreditur, animadvertens Paſtoris nomine venire, Presbyterum ſeu Epiſcopum, qui Eccleſiam gubernet & paſcat: Doctores autem hic eſſe, qui ſanam, quæque ſecundum pietatem eſt, doctrinam per familiarem inſtitutionem ac tradi-

traditionem primorum elementorum inſinuabant, verbumque prædicabant, ſive etiam informatores & exhortatores futuros accuratius informabant & inſtituebant per ſermonem ſapientiæ, non ſine interpretatione linguarum: A Prophetis juxta Chryſoſtomum differre Paſtores, quod illi inſpiratione divina ſæpe operentur, in hoc autem genere etiam valeret humanus labor: Ab Evangeliſtis diſtinctos eſſe Paſtores, quod his non datum fuerit εὐαγγελίζεσθαι ſeu κηρύσσειν, h. e. Evangelium prædicare, ad Chriſtianiſmum & Eccleſiam propagandam, ſed Chriſtianorum cœtus, quorum doctores erant, docere: paſtores & doctores ipſo ordine haud differre, ex Apoſtoli phraſeologia colligi poſſe, quod, cum circa præcedentia Apoſtolorum, Prophetarum & Evangeliſtarum munia adhibeat manifeſtam diſtinctionem, τοὺς μὲν Ἀποστόλους, τοὺς δὲ Προφήτας &c. hic phraſin flectens dicat τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, & uſurpet particulam καὶ quæ ſit conjunctiva & ἐξηγητικὴ, non vero disjunctiva aut ἀντιθετικὴ. *Diſp. XVIII.* vult ipſum Paulum, cum non fruſtra duo vocabula uſurpaſſe videatur, inter Paſtores & Doctores aliquod diſcrimen inſinuare voluiſſe: per Paſtores intelligi eos, qui res Eccleſiæ curant & clavo Eccleſiæ aſſident, ut omnia fiant κατὰ τάξιν; per Doctores autem, qui inſuper in verbo laborant, & Eccleſiam ad ſalutem e verbo Dei erudiunt; & licet Paſtores etiam ἱκανοὶ eſſe debeant ad docendum, attamen per διδασκάλους hic ſubaudiendos eſſe doctores altiore quodam gradu, qui docendi dono ſingulariter pollent: Chriſtum *Matth. XXIII. 8. & 10.* non ſimpliciter titulum Rabbi ſeu Magiſtri damnare, ſed ſupercilium & faſtum Magiſtrorum iſtorum, qui in verba ſua tantum non jurari volebant, & ſibi, non Deo, quærebant diſcipulos. Sub finem hujus diſſertationis alia quædam munera ac dona extraordinaria, quæ in primitiva Eccleſia viguerunt, obiter recenſentur. Hinc duæ diſſertationes *de intervallo* τῆς πολιτείας *ſeu functionis Chriſti* conſcriptæ lectori ſeſe offerunt. In quarum *prima* recenſitis atque obelo notatis aliquot veterum Scriptorum in definiendo illo intervallo opinionibus, duo tantum, e quibus aliquid de eodem colligi poſſit, fundamenta nobis ſupereſſe arbitratur. Primum ipſi eſt, quod Evangeliſta Lucas Chriſtum baptiſatum fuiſſe ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενον, verbis aliquantulum obſcurioribus *cap. III, 23.* indicet, & tamen quot annorum fuerit, dum crucifigeretur, neque ipſe, neque ullus Scriptorum Sacrorum exprimat. Hoc

igitur præſidio deficiente alterum illi reſtare videtur, quando nimirum intervallum πολιτείας hujusce colligi poſſe putat ex numero Paſchatum, quorum in ipſo functionis Chriſti curriculo ſit mentio. Quamvis autem nec huic rationi vim demonſtrandi ineſſe credat, ſi quis ex eadem non affirmative ſolum, ſed & negative concludere velit, tot annos ſaltim ſuſceptum a Chriſto munus adminiſtratum fuiſſe, quot paſchatum Evangeliſtæ mentionem injecerunt, cum incertum ſit, an paſchata omnia πολιτείας Chriſti divinis litteris conſignata fuerint; nihilominus tamen ſi ab iis, quæ annotata leguntur, obſcuritas haut levis tollatur, probabile inde argumentum ſtrui poſſe fatetur. Hinc obſervat, magnam in numerandis Paſchatis deprehendi diverſitatem. Ab aliis enim, ut Clemente Alexandrino, Lactantio, Auguſtino, Julio Africano, Tertulliano, & ex recentioribus, Juliano Pomerio, Toletano, Petito, Voſſio patre, duo; ab aliis, videlicet Epiphanio, Proſpero, Hieronymo, quos inter recentiores ſequantur Lyranus, Abulenſis, Pererius, Maldonatus, Petavius, Valeſius, Calvinus, Muſculus, tria; ab aliis, puta Ignatio, Irenæo & auctore Chronici Alexandrini, Euſebio, ac plurimis Pontificiis, Lutheranis & Reformatis Scriptoribus citatis, quatuor; ab aliis denique, ut Mercatore, Scaligero, Calviſio, Caſaubono, Deckerio, Langio quinque computari. In Diſputat. *ſecunda* ſub examen revocatis eorum, qui tria, quatuor aut quinque paſchata numerant, ſententiis, concludit Chriſti πολιτείαν ſive prædicationis annos nonniſi duo Paſchata complecti, prius nimirum Joh. II. & poſterius ipſum ϛαυρώσιμον, adeoque Chriſtum paſſum eſſe anno quinto decimo Tiberio Cæſaris, duobus Geminis Conſulibus, juxta Veterum mentem, cum annum ageret triceſimum primum, ſive Dionyſianum, (cum illa epocha biennio minimum a vera deficiat) viceſimum nonum. Quod ſi tamen in hac opinione alicui non omnia plana, nec duo paſchata ob loca in contrarium ex *Luc. VI. 1.* & *Joh. VI. 4.* adducta ſufficere videantur, in eam propendet ſententiam, ad ſummum tria Paſchata danda eſſe prædicationi Chriſti, adeoque illam biennium & paucos menſes duraſſe, judicans id veroſimilius eſſe, & veterum multorum autoritate niti, ac cum parabola ficus, in qua per triennium fructus quærebat vinitor Luc. XIII. 7. aliquo modo convenire. Has diſputationes *duæ de tempore ultimi Chriſti Paſchatis* ϛαυρωσίμου excipiunt. In illarum prima poſtquam tres primarias de nobili

bili hac controverſia ſententias in medium attuliſſet, atque obſervaſſet, quod nonnulli ſtatuant, Chriſtum diem legalem Paſchatis anticipaſſe, qui cum incideret in quartam decimam Lunam Menſis primi Niſan, Chriſtum tertio decimo hujus menſis die ultimum ſuum Paſcha celebraſſe, uno die ante cæteros Judæos, nimirum die noſtro Mercurii: quidam velint Chriſtum quidem uno die anticipaſſe Judæos, ita tamen, ut ille diem legalem quartum decimum, hi vero diem poſteriorem, quintum decimum, obſervarint, adeoque Paſcha ſuum celebraverint poſt mortem Chriſti, finiente die quinta decima, ſive die Veneris, & incipiente ſexta decima ſive Sabbato; alii autem exiſtiment Dominum die ordinario, Luna quarta decima, feria quinta, ad veſperam diei Jovis, una cum cæteris Judæis Paſcha ſuum celebraſſe: tertiæ accedit opinioni, eamque probandam ſibi ſumit. Inter argumenta vero primas defert illi, quod agnus paſchalis non potuerit alibi mactari, quam in Templo Hieroſolymitano, nec aſſari, niſi poſt ſanguinem ad baſin altaris fuſum, & adipem ſuper altari igne abſumtum: cum autem mactari non licuerit citra generalem populi conſenſum, ſive Senatus autoritatem, qui diem Paſchatis celebrandi publice indixit, inde dies mactationis a privato homine anticipari non potuiſſe, colligit. Quam rationem deinde ad finem usque hujus & ſub initium ſubſequentis *ſecundæ* diſputationis plenius atque prolixius deducit, poſtmodum aliorum hypotheſes circa celebrationem paſchatos refellit, & tandem difficultates, quæ ipſius ſententiæ e Joh. XIII, 1. XVIII, 28. XIX, 14. & 31. obſtaculo eſſe videntur, e medio tollere conatur. Sequuntur tandem *diſputationes XVIII. de S. Cœna.* Quarum *prima* illius nomina, quæ partim in Scriptura S. occurrunt, partim in Patribus inveniuntur, repræſentat, & quidem e Scriptura S. N. T. octo, e Patribus autem viginti quatuor in medium adducit. In *II.* de ejus perſonis tum adminiſtrantibus, tum communicantibus agit. In *III.* de rebus terreſtribus, quibus S. Cœna conſtat, ſcilicet Pane & Vino tractare incipit, atque circa hæc elementa eorumque uſum in genere declarat, cur ſimpliciſſima, communia & maxime naturalia; item cur non illuſtria, non miraculoſa, non cruenta adhibere Chriſtus voluerit. De pane poſtea ſpeciatim notat, quod ille, quo Servator noſter uſus ſit, dubio procul azymus fuerit. In *ſeq. IV.* perſequitur idem thema, atque primum duas quæſtiones ſibi reſolvendas ſumit, quarum una in materiam pa-

nis, azymusne eſſe debeat an fermentatus? altera in ejusdem quantitatem, an tenuibus illis bracteolis, quas hoſtias vulgo appellamus, conſtare debeat Euchariſtia, inquirit, atque circa priorem probare diſcupit panis fermentati uſum convenientiorem eſſe, quam azymi; circa poſteriorem vero, uſum hoſtiarum uſitatarum plane rejicit. Progreditur dein ab alteram rem terreſtrem, Vinum nempe, atque docet, iis in locis ubi vini non detur proventus aut copia, ordinario earum terrarum potu uti licere, qualiscunque is eſſet, modo refectioni foret aptus: non probari poſſe, quod Chriſtus vinum aqua dilutum adhibuerit, ſed probabilius eſſe, quod mero uſus fuerit: antiquum equidem, haud tamen neceſſarium eſſe mixtionis ritum: panem prioribus ſeculis in vinum intinctum: in Euchariſtiæ uſum panem & vinum olim a fidelibus & quidem ditioribus, imo in diverſis Eccleſiis uvas ſimul cum vino & pane, nec non varia alia dona variumque in uſum a communicantibus oblata fuiſſe. *Diſp. V.* Actiones quasdam S. Cœnæ dilucidat, ſcilicet Panis Euchariſtici acceptionem, benedictionem atque fractionem. Ubi inter alia obſervationem meretur, quod e liturgia Moſarabica affert Autor, referens olim Gothicas in Hiſpania Eccleſias, cum Chriſti in terra viventis hiſtoriam novem nominibus complecterentur (quæ erant, Corporatio, Nativitas, Circumciſio, Apparitio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Gloria, Regnum) ut eam eo firmius memoriæ imprimerent, in novum partes hoſtiam fregiſſe, eidemque hæc nomina impoſuiſſe. *Diſp. VI.* telam cœptam de fractione panis texere pergit, ejusque neceſſitatem demonſtrare ſatagit. Ab illa deinde ad diſtributionem, ejusque variam apud antiquos rationem exponendam progreditur, ac oſtendit omnium optimam illam eſſe, quæ fit immediate ab ipſo Miniſtro, qui panem benedixit eamque fregit, ita ut non per ullum alium ea peragatur, ſive diaconum, ſive etiam ipſos communicantes, ut ipſi accipiant panem e patina. Huic mandatum accipiendi ſubjungit, illosque contra Chriſti inſtitutionem agere judicat, qui panem Communicantibus in os ingerunt. Sub finem tandem hujus diſſertationis ad alterum S. Cœnæ ſymbolum, ſcilicet poculum accedit, obſervatque in primitiva Eccleſia primo calices fuiſſe ligneos, tum vitreos, inde argenteos, denique aureos: & ad minuendam ſuperſtitionem calices aureos abrogari, aliisque poculis permutari conſultum putat. In *Diſp. VII.* actionum, quæ poculum Euchariſticum

con-

concernunt, enucleationem ſuſcipit, & calicis ſacri acceptionem, benedictionem, traditionem atque ex eodem bibitionem diſtincte delineat. Circa benedictionem obſervat primum, non ſolitos fuiſſe una & eadem benedictione panem & vinum conſecrare Judæos: imo injunxiſſe omnibus in cœna paſchali quatuor pocula bibere, ac ſuper unoquoque peculiarem benedictionem pronunciari voluiſſe; ab hac benedictione poculum illud כוס הברכה; & כוס של ברכה poculum benedictionis vocitaſſe, atque poculum illud, quo conſecratio fit in principio menſæ & a quo convivium inchoatur, ſpecialiter poculum ſanctificationis, poculum vero, quo convivium clauditur, poculum benedictionis, & plenius poculum benedictionis menſæ, poculum gratiarum actionis dici Judæis conſueviſſe: dein quæſtionem movet, an illud poculum benedictionis S. Cœnæ idem ſit cum illo ultimo poculo benedictionis Cœnæ paſchalis, & an illi Servator inſtitutionem S. Cœnæ adjunxerit, atque in eo N. Fœderis Teſtamentum ſanxerit? cujus affirmativam pleriſque graviſſimis auctoribus approbari, & probabilem plane ex eo videri edocet, quod Lucas expreſſe dicat, factum hoc *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, ita hanc cœnæ partem a ſuperiore diſtinguens, & diſcrimen ponens inter benedictionem panis & vini: panem enim benedictum eſſe inter cœnandum, poculum vero poſt cœnam, ita ut poculum hoc fuerit ultimum, quo cœna claudebatur, & in quo novum fœdus Servator nobis exhibuerit, illudque eo ſignificarit. Circa potionem, Laicis vinum in poculo, tanquam alteram Euchariſtiæ ſpeciem per duodecim ſecula exhibitum, ac primam antiquiſſimæ illius conſuetudinis mutationem in Eccleſiis Occidentalibus A. 1415 a Concilio Conſtantienſi factam, eamque ſacramenti mutilationem vere furtum eſſe, aliquot rationibus adſtruit. In *Diſp. VIII.* exceptiones, quas Pontificii argumentis adductis opponere, & fundamenta, quibus ſuam ſententiam ſuffulcire ſolent, evertit, ac nonnulla de primitivæ Eccleſiæ more ſymbola ſacra abſentibus mittendi, & domum aſportandi ſubjicit. Notat etiam alios ab Euchariſtico panes benedictos atque conſervatos, qui eulogiæ dicti ſint, in ejuſdem communionis atque fidei teſtimonium, ad quoſdam eſſe miſſos. His quædam de hymno, quo Chriſtus S. Cœnam terminavit; item de conſuetudine veterum, finem ſacræ Synaxi tum oratione, tum benedictione populo a Miniſtro impertita, imponendi: ac denique de reliquiis S. Cœnæ adjungit, oſtendendo

dendo cum illis non uno modo actum, ubique tamen eas conſumtas, non aſſervatas fuiſſe. Sub finem hujus diſſertationis S. Cœnæ circumſtantias ac ſpeciatim locum contemplatur, & plures ſimul, licet in privatis ædibus eadem celebrari quandoque conſueverit, communicaſſe notat, atque hinc in privatas cœnas invehitur. *Diſp. IX.* eidem inſiſtit materiæ, & morem ſacra Symbola ad ægrotos deferendi non plane probandum eſſe cenſet. Poſthæc communionem juxta Chriſti & primitivæ Eccleſiæ exemplum ad menſam eſſe peragendam innuit: morem accumbendi e Scriptoribus Judaicis illuſtrat: non idem in S. Cœnæ celebratione tempus a veteribus obſervatum, ac multum in ejusdem repetitione variatum fuiſſe annotat. Primo enim quotidie, vel ſingulis ſaltim dominicis communicatum; ſucceſſu temporis, vacillante fervore, ſemel ad minimum intra tres dominicas: poſt ter in anno, donec tandem devotio iſta ad unitatem redigeretur & ſemel in anno communicarent. *Diſp, X.* nonnulla, quæ ad circumſtantiam temporis adhuc faciunt, annectit, ac in libertate Eccleſiæ, quando & quoties ſacram cœnam celebrare velit, poſitum eſſe definit, inſimulque Hug. Grotium ſtatuentem, non ſemper communicandum eſſe per Symbola, atro carbone notat. Pergit deinde ad rem ſignificatam ſeu myſteria S, Cœnæ explananda, oſtenditque per panem repræſentari ipſum Chriſti corpus verum ac naturale, ſed qua mortuum, non glorificatum. *Diſp. XI.* alterius ſymboli euchariſtici, ſcilicet vini, myſterium in ſanguine Chriſti conſiſtens inſpicere aggreditur, & ſingula verba, quibus illud apud tres priores Evangeliſtas & Apoſtolum Paulum expreſſum legitur, ſub examen revocat. *Diſp. XII.* exponit primo in quibus annunciatio mortis Chriſti, S. Cœnam celebraturis injuncta, non conſiſtat, & quæ ad illam requirantur: deinde quatuor S, Cœnæ fructus, nempe noſtri cum Chriſto unionem, fidei de peccatorum remiſſione confirmationem, certitudinis de vita æterna obſignationem, & reſurrectionis futuræ ſigillum, conſtituit, atque Pontificiorum, Socinianorum, Anabaptiſtarum & Remonſtrantium errores circa uſum S. Cœnæ pauciſſimis perſtringit: denique de præcipuo S. Cœnæ uſu, qui ipſi eſt noſtri cum Chriſto unio, ex profeſſo agere incipit, conſideraturus 1. illam abſolute & qualis eſt in ſe eſſentialiter & immutabiliter, 2. medium ejusdem, ſcilicet manducationem corporis & bibitionem ſanguinis Chriſti. Circa unionem ipſam quinque, nempe (1.) nomina

mina (2.) ſimilitudines (3.) fundamenta & cauſas (4.) naturam ac modum (5.) effectus, perluſtranda ſibi ſumit, & duo priora membra in hac ipſa diſſertatione abſolvit. *Diſp. XIII.* reliqua tria membra perſequitur, ac unionis hujus myſticæ fundamentum conſtituit perſonalem illam naturæ noſtræ cum Filio Dei unionem; cauſam autem illius in Spiritum Chriſti tanquam autorem, & fidem noſtram, ceu inſtrumentum, conjiciendam eſſe perhibet; porro naturam & modum ejus plane ſpiritualem, realem tamen agnoſcit, effectum denique hujus unionis cum Chriſto, communionem fidelium inter ſe eſſe, confirmat. *Diſp. XIV.* medium, quo unio noſtri myſtica cum Chriſto acquiritur, & ſub quo illa ſimul exprimitur & repræſentatur, ſcilicet manducationem carnis & potationem ſanguinis ejus, conſiderare inſtituit. Ubi præmiſſa diſtinctione inter ipſam ſpiritualem & internam communionem Chriſti, & externam ſive ſymbolicam, quæ fit per externa ſymbola & ſigna, quibus illa repræſentetur & exhibeatur, ad hanc refert manducandi & bibendi actus in S. Cœna uſitatos, eosque e phraſeologia & analogia V. T. per integram diſſertationem illuſtrare conatur. *Diſp. XV.* de ſymbolica corporis manducatione ac ſanguinis bibitione agere pergit, & rejecta conſuetudine multorum Concionatorum, qui ſollicite ruſpentur omnes panis vinique proprietates, easque ad corpus & ſanguinem Chriſti transferant, veram analogiam ſymbolorum Cœnæ ad rem ipſam ſignificatam adumbrare ſtudet, ac qualem in S. Cœna unionem cum corpore & ſanguine Chriſti habeamus, inde colligi poſſe judicat. Quod ut recte percipiatur, accurate diſtinguere jubet inter unionem Corporis Chriſti cum perſonis noſtris, & unionem ejus cum Symbolis: perſonas noſtras ita uniri cum Chriſto, ut una fiamus cum illo caro: unionem autem ſignorum Sacramentalium, ut aquæ in Baptiſmo, & panis ac vini in S. Cœna cum corpore & ſanguine Chriſti, nihil aliud eſſe niſi unionem analogiæ, ſignificationis & obſignationis, quæ quidem fidelibus exhibeat corpus & ſanguinem Chriſti, ita tamen, ut unio eorum non ſit cum pane & vino, ſed cum anima & corpore noſtro. Ex quibus mox infert, male concludere Pontificios, Chriſtum nobis ſolummodo dare figuram corporis ſui, confundentes duas haſce unionis ſpecies, item falli Cardinalem Perronium, dicentem unionem, quam Reformati ponant inter ſignum & rem ſignificatam, non eſſe realem. Abſoluta manducatione Chriſti externa atque ſymbolica, in-

ternam

tenam ac ſpiritualem, quæ externæ omnis medulla ac ſcopus ſit, ad ſinem usque pertractat. *Diſp. XVI.* Spiritualem corporis Chriſti in S. Cœna manducationem obtinere, e capite ſexto Johannis, in quo tamen nec de Euchariſtia, nec de ſacramentali manducatione agi ipſe fatetur, ſtabilire ſatagit. *Diſp. XVII.* manducationem corporis Chriſti oralem argumentis aliquot impugnat, rationesque, quibus ea adſtrui ſolet, refellere conatur. *Diſp. XIIX.* eaque ultima in eadem materia occupatur, ac fundamenta, quibus innititur oralis manducatio, evertere laborat. Sub finem utriusque partis harum Diſſertationem duplex index, locorum S. Scripturæ ſcilicet, ac rerum & verborum memorabilium, exhibetur.

NUMISMATA ÆREA IMPERATORUM, AUGUſtarum & Cæſarum, in Coloniis, Municipiis & Urbibus Jure Latio donatis, ex omni modulo percuſſa; Auctore JO. FOY-VAILLANT.

Pariſiis apud viduam Edm. Martini, Joannem Boudot, & Steph. Martinum, 1688. in Folio. Volumina II.

Conſtant Alphab. 8. plag. 11.

JOANNES FOY-VAILLANT Bellovacus, Doctor Medicinæ, ac Antiquarius *Ludovici Auguſti Borbonii*, *LUDOVICI XIV. R. Gall.* filii naturalis, Ducis Cenomanenſium & Albamallenſium, Helvetiorum Rhætorumque Præfecti, Proregis Occitaniæ, Regiique Ordinis Commendatoris Equitis, propitiam famam ſuo merito habuit in eruditorum republica, ex quo & numos *Imperatorum*, *Auguſtarum Cæſarumque* Latinos, tum æreos mediocris minimæque formæ, tum aureos argenteosque duobus libris non magnis in quarta forma recenſuit, & nuperius, anno nempe 1681, Chronologiam Hiſtoriamque Regum Syriæ *Seleucidarum* longe difficiliori ſtudio ex eorum numis eruit illuſtravitque. Dum vero abs eo hiſtoriam *Ptolomæorum* expectamus, pari ſtudio, itemque auxilio numiſmatum concinnandam, ad nos non parum deſiderata adferuntur volumina duo, quibus coloniarum, municipiorum urbiumque jure Latii donatarum numi in æneis figuris exhibentur univerſi, ac neceſſariis ſcholiis nullibi non interſtinguuntur.

Præ-

Præfatio ad lectorem multis rebus, maxime dignis, quas hiſtoriæ literariæ ſtudioſus non neſciat, referta eſt. Perhibet quippe Autor, ſe plus ſimplici vice ad locupletandum LUDOVICI MAGNI theſaurum in Aſiam, Græciam, Syriam totamque, qua patet, Italiam excurriſſe. Spem facit *novæ* editionis *Imperialium* aureorum argenteorumque, ad Heraclium usque productorum, cum *prior* Gallieni tempora non exuperet. Enumerat præſtantiora totius Europæ gazophylacia. Venetiis *Nicolaum Bon* JCtum moliri memorat eximium de *Neocoris* tractatum. In *Wallia* Epiſcopum *Aſaphopolitanum* vitam *Trajani* Aug. e numis concinnaſſe. Nic. *Toinardum*, Aurelianenſem, *Herodis M.* Judææ Regis & ſucceſſorum geſta numiſmatibus illuſtrata prælo parare. Argumentum ſuum his omnino verbis ipſemet enarrat:

Coloniarum deductiones a Romulo inchoatæ, per Reges & Conſules continuatæ, ab eo ad Gallienum usque productæ, non modo in hoc opere obſervantur, ſed & res plurimæ ab Hiſtoricis vel neglectæ, vel præteritæ: Quænam Coloniæ ab Imperatoribus conſtitutæ; Vera earum nomina & appellationes; Quæ urbes a Scriptoribus Coloniæ pro Municipiis appellatæ, aut Municipia pro Coloniis exiſtimata: Oppidorum æra in eorum nummis tantum ſignatæ: Facultas cudendæ monetæ Coloniis ab Imperatoribus conceſſa aut adempta: Præcipua eorum & Municiporum Numina, præſertim ea, quæ ſunt in Græciæ, Aſiæ & Africæ Coloniis, & apud Corinthios & Patrenſes, a Pauſania tam diligenter deſcripta: Urbium conditores, heroes, & ſingulares earum antiquitates: Ludi & certamina in Deorum honorem inſtituta, in iis tam ſolenniter celebrata: Veterani legionum Romanarum poſt ſtipendia emerita in colonias transmiſſi: Provinciarum metropoles ab Imperatoribus conſtitutæ: Coloniarum nomina a fundatorum Imperatorum gente deſumta: Togatorum civium ſymbola & Veteranorum in Colonias deductorum inſignia: Urbium ſitus per ſluminum effigies, aut figuras rupibus inſidentes: Denique agrorum abundantia per ſpicas, uvarum racemos & palmas arbores.

Indicat denique, ſe nunc opus de nummis *Imperialibus Græcis* aggredi, cui ſi forte immoriatur, continuatorem conſtituit filium *Joannem Franciſcum*, Medicinæ Candidatum. Subjungitur præfationi tum *tabula geographica* omnium coloniarum & municipiorum, tum *icon* Autoris.

Ad ſingulos nummos annotat, quem gradum præſtantiæ elegantiæque obtineant. Inter innumeros, quos majorem in modum commendat, eſt e. c. nummus minimi moduli in antica præferens *rariſſimum* caput *Julii* Dictatoris, cum epigraphe, C. ARRI. A. F. C. AQ. C. IVL. T. ANC. i. e. *Cajo Arrio Auli filio, Cajo Aquilio, Cajo Julio, Tito Anchario*; in poſtica aratrum & literas II. VIR. QUINQ. EX. D. D. i. e. *Duumviris quinquennalitiis ex Decreto Decurionum.* Incertum, in qua colonia ſignatus ſit. Notari vero meretur ob gentem *Anchariam* plebejam, nondum a Patino in Familiis Romanis obſervatam.

t. I. p. 162. *Meſſalinæ* Claudii uxoris nummum unicum profert, quem vide

TAB. VII. ſis Tab. VII. FIG. I. Nondum conſtat, ubi is cuſus fuerit, ſed cum

FIG. I. *Cytheronti II. Viro* in aliquo *Auguſti* jungatur *Pollio* collega, Pollionis vero nomen in Corinthiacis frequenter occurrat, *Corinthum* quoque numiſmatis hujus patriam eſſe conjectat Noſter.

Cum duos deprehenderit in Octaviæ honorem percuſſos, Poppææ, quæ thalamo illam exturbavit, nullum reperire licuit. Nullum quoque obſervavit Vitellianum.

FIG. II. *L. Ælius Cæſar*, Hadriani Aug. filius adoptivus, in coloniarum nummis tam rarus apparet, ut non niſi unicus minimi moduli hactenus innotuerit, a *Col. Laude Julia Corintho* obſignatus. In poſtica eſt caput Æſculapii, cui *Ælius* valetudinarius commendatur; quæ Noſtri conjectura eſt.

Neque niſi unicus *Fauſtinæ* ſenioris Corinthiacus adeſt, ex antica mariti Antonini Pii vultum exhibens; unicus item Cæſareenſis *Fauſtinæ* junioris, æque ac Lucillæ Veri conjugis. *Pertinax*, *Didius Julianus*, *Peſcennius* & *Albinus* adhuc dum deſiderantur. Nam *Peſcennius* in Gaza Parmenſi ſubleſtæ fidei creditur. Habet is ex capitis parte

t. I. p. 322. literas: ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕΣΚ. ΝΙΓΡΟΣ. ΙΟΥΣ. Σ. i. e. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γάιος Πεσκέννιος Νίγρος Ἰοῦστος Σεβαστός. In adverſa area; COL. P. F. AVG. CAESAR. cum capite Serapidis. *Gordianorum* duorum priorum, *Balbinique* & *Pupieni* nummi in coloniis ſignati non magis ſunt obvii.

FIG. IIII. In Otaciliæ M. Julii Philippi Aug. conjugis numiſmatibus eminet hoc, cujus figuram N. IIII. ſiſtimus. In antica viſitur Caput Auguſtæ, inſcriptum MAR. OTACILIA. SEVERA. AUG. In averſa

mulier

TAB. VII. ad Supplement. Sect. IX. pag. 473.

Fig: I.




Fig: II.



Fig: III.




Fig: IV.



Fig: V.



Fig: VI.




Fig: VII.



Fig: IIX.



Fig: IX.



mulier turrita, montibus inſidens, Damaſcum repræſentat. Ante eam *Silenus*, (ut putat Vaillantius, ſed ſi Harduinum audias mox citandum, *colonus Damaſcenus*,) utrem gerens. In vertice Pegaſus. In uno quinque mulieres turritæ ſacrificant ad aram. (confer FIG. VI.)

Sub finem operis rejecta eſt egregia mantiſſa, quam & FIG. III. cum lectore benevolo exiſtimamus communicandam. Nimirum *Agrippæ* junioris effigiem, a nemine antea obſervatam, contemplari nunc licet in nummo Corinthiaco quantivis pretii, nuperius ex Aſia ad Marchionem de Seignelay delato. FIG. III.

Cæterum, cum ſtudioſe notarit lapſus Antiquariorum, cumprimis tamen *J. Harduini* nummos urbium & populorum paſſim ſub cenſuram vocavit Vaillantius. Id quod haud impune tulit. Tantopere enim irritavit Adverſarium, ut in libro nunc commemorando ſæviſſime in eum animadverterit, inſimul tamen tot obſervationes præſtantes admiſcuerit, ut Vaillantium forte non pœniteat litis Harduino intentatæ, quæ quidem in ejus contumeliam haud parum, nec minus tamen in eruditorum commodum, (cujus Vaillantius modo laudatus ſtudioſiſſimus eſt,) vergere videtur.

JOANNIS HARDUINI S. I. P. ANTIRRHETICUS de nummis antiquis coloniarum & municipiorum, ad Joan. Foy-Vaillant Med.

Pariſiis, apud Franc. Muguet, 1689, in 4to.

plag. 20. fig. æn. numm. 131

CUm doctiſſimus Societatis Jeſu Pater, *Joannes Harduinus* comperiſſet, a *Joanne Foy-Vaillant* in opere modo recenſito errorum hallucinationumque creberrime ſe poſtulari, amico ad vindictam extimulanti dandum aliquid ratus, *Antirrheticum* hunc ſtylo eleganti quidem, at felle magis, quam atramento tincto, exaravit, addiditque inſuper ex Vaillantiana ſylloge ſelectos nummos, quotque alicujus momenti eſſe viſi ſunt, adeo ut libello huic inter melioris notæ commentarios de re monetaria veteri locum jure optimo relinquendum, haud ambigamus.

Obſervationes non juxta ſeriem Imperatorum, ſed Alphabetico urbium

bium ordine collocantur. Prima concernit nummum Auguſti inſcri-
pag. 8. ptum C. I. G. A. quem Vaillantius p. 8. legit: *Colonia Julia Gemella Accitana*. At Harduinus: *Col. Jul. Gemella Auguſta*: quo nomine κατ' ἐξοχὴν uſa Colonia *Tuccitana*, teſte *Plinio* L. III. c. III.

p. 9. In nummo Antonini Pii gemino habetur epigraphe C. A. C. h. e. ſecundum Vaillantium, *Col. Ælia Capitolina*: juxta Noſtrum, *Col.*
p. 14. *Aug. Cæſarea* Palæſtinæ. Numiſmata duo *Latina* inſcriptione conſpicua ad *Antiochiam Piſidiæ* ſpectare contendit Harduinus, non *Syriæ*, ut Vaillantius; quanquam *ANTIOCHIA* ibi ſolum legitur, non adje-
p. 15. cta voce *COL.* quam in Piſidicis ſemper addi, hic exiſtimaverat. Subjungitur prolixa & lectu digniſſima diſſertatio de variis notis *officinarum monetariorum*, quæ ſpicilegii inſtar eſt ad Caroli *Du Freſne* opus de inferioris ævi numiſmatibus, *Gloſſario* mediæ Latinitatis annexum.

COL. AST. AUGUSTA in Auguſti nummo de Colonia *Aſtu-*
p. 33. *ricenſi* exponit Vaillantius, Harduinus de *Aſtigitana*. Tum *Babbam*,
p. 34. tum alias colonias, cognomen *Julium* etiam poſt Julii Cæſaris fata primum recepiſſe, contra Vaillantium contendit ejusdem antagoniſta. In numiſmatis ſatis obvii antica cernas caput Auguſti, & vocabulum
p. 36. BILBILIS; in poſtica equitem, cum haſta decurrentem, ſubſtrato lemmate ITALICA. Suſpicatus olim fuerat Harduinus, *Bilbilis & Italicæ* ὁμόνοιαν notari. At *Vaillantius*, ipſam Bilbilim *Italicam* cognominari adſeveravit, ab Auguſto Jus *Italicum* nactam. Tandem Noſter aliam rationem exponendi nummum excogitavit. Obſervat nempe ex *Feſto* in *Municipes*, coloniis & municipiis datum jus legionis, h. e. ut in *legione* Romana pariter ac cives Romani, non in *auxiliis*, ut ſocii, ſtipendia mererent. Idcirco nomina legionum Hiſpanienſibus nummis inſculpta, Bilbilitanorum v. g. *Italicæ*, quo nomine quatuor legiones *I. II. III. IV.* utebantur. Hinc Oſcam, Norbam, Tarraconem *VICTRICES* nominari, ob legiones *VICTR. VI. XX.* vel *XXII.* Sic in Narbonenſi Gallia Arauſionem dictam Coloniam *Secundanorum*, Arelaten *Sextanorum*, Beterras *Septimanorum*, Forum Julii *Octavanorum*, Narbonem *Decumanorum*, quod in ſui nominis ac numeri legione mereri ſtipendia ſcriptos ex illis coloniis milites, cum evocarentur ad militiam, oporteret. *Deulton* in Thracia *veteranorum* coloniam appellari, quod ex ea deſcripti ad bellum cives, non cum tironibus, ſed cum veteranis militiam agerent. Dein diſputat, fruſtra

ſe

ſe reprehendi, quod NE. TP. BOCTPA & N. TR. interpretatus ſit Νέα Τραϊανή Βόστρα ac *Nova Trajana*; non, ut voluit Adverſarius, *NERVIA TRAJANA.* Namque ut a Numa *Numium*, a Sylla *Syllium*, *Cinnium* a Cinna inepte deduxeris, ita & a Nerva *Nervium*. *N.* autem Novam, & *Novam* civitatem reparatam ac amplificatam dici, marmorum auctoritate confirmat. *Cæſaream* Palæſtinæ in nummo Titi dictam COL. CÆSAREA. LIB. ΦΛΑ. non dici LIBeram, nec dici potuiſſe, demonſtrat eo, quod Colonia nulla ſit libera; unde illuſtri Viro credere renuit, qui in de V. & P. N. p. 785. in cimelio R. Galliæ extare ſcripſerat numiſma cum epigraphe: ΚΟΛ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. *Colonia Libera Tarcenſis*, Legit autem L. IB ΦΛΑ. i. e. λυκάβαντος ιβ'. Φλαβίων, *anno XII. Flaviorum.* Æræ initium repetendum dictitat aut a Kl. Juliis quibus Veſpaſianus ſalutatus eſt Imperator, Galba iterum, T. Vino COSS. A. V. C. 822. æræ vulg 69. vel ab expugnata anno ſequente, menſe Septembri, urbe Hieroſolymitana In nummo non Caracallæ, ſed Elagabali, a Triſtano citato, pro COL. CAESAREA EIN ΦΛΑ. legit: COL. CAESAREA. L. PN. ΦΛΑουίων, h. e. A. CL. æræ Flaviorum. Commentatur nonnulla de litera L. deque compendiis ſcribendi Γ. Β. i. e. Γράμματι Βασιλέως, *Imperatoris reſcripto*; Α Μ Κ. i. e. Ἀδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας, & Κ. ΑΔΕ Μ. Κ. i. e. Κοινὸν ἀδελφῶν μεταλλέων Κιλικίας, *Commune Fratrum metallariorum Ciliciæ.* Evagatur hinc in recenſionem omnium numorum, in quibus Antiocheni æram aut Julianam aut Auguſtanam ſignarunt, quorum illa m. Majo A. V. C. 705. cœpit, mox per Auguſtanam ab Actiaca pugna exordiendam interrupta, in uſu iterum eſſe incepit ſub Claudio, prorſus in deſuetudinem abeunte altera iſta Auguſti æra. Receperat Vaillantius, t. 2. p. 63. probaturum ſe in *de Præſidibus Syriæ*, aut *peculiari diſſertatione*, ope nummorum Antiochenorum, *D. N. J. Chriſtum ſub Auguſto, Syriam regente Varo, A. V. C. 749. natum.* Harduinus vero id contigiſſe pronunciat A. V. C. 747. annis 6. & menſibus 3. ante æram vulgarem, quæ a Kal. Jan. A. V. C. 754 ducit initium. (Idque, Syriam regente non Varo, ſed C. Sentio Saturnino Præſide, procuratore Quirinio: quemadmodum ex Tertulliano & Juſtino M. alii etiam probarunt.) Cum enim legatur in nummo aliquo Regis Galliæ: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΚ. i. e. *Sub Varo, Syriæ præſide; Antiochenſium; anno XXV.* a Victoria Actiaca, qui annus IV. Nonas Se-

p. 39.

p. 51.

ptembres A.V.C. 747. incipiat; hinc ratiocinatur Noſter, Varum ex-
cunte anno illo id dignitatis conſecutum; Saturninum vero antea cen-
ſum egiſſe, & quidem poſt interſectum vel abdicatum Volumnium pro-
p. 65. curatorem, ac hujus in locum ſuffectum Quirinium; *Quid enim* (ita
pergit Harduinus,) *verius, aut certe propius vero, quam cum Romæ
cenſus ab Auguſto peractus eſſet, luſtramque conditum, anno 746 Cenſo-
rino & Aſino COSS. ut ipſe Auguſtus admonet in marmore Ancyrano,
per provincias anno proxime ſubſequente* exiiſſe edictum ab *eodem Cæſ.*
Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis? *Hoc ergo anno 747. cenſe-
mus deſcriptum orbem: nam poſt Romam quidem cenſitam: non igitur
anno 746. ſed necdum Varo præſide Syriæ, qui magiſtratum iniit anno
748. Anno igitur intermedio, qui 747.*

p. 69. Cæſaream Palæſtinæ *metropolim* factam A. Hadriani X. Æræ
p. 70. vulg. CXXVII. V.C. 880. dehinc ſtabilire nititur. Duas Meſopota-
miæ metropoles ſtatuerat Vaillantius, Emeſam & Carrhas. Ac
Carrhis quidem *ſecundæ* metropoleos jus ac dignitatem vindicarat
nummo Elagabali, tomo II. p. 113. ΚΑ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΠΟΛ. Δ. itemque
altero Alexandri Severi p. 167. ΚΑΡΡΑ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΜΕC. Δ. interpre-
tatus: *Κάῤῥα κολωνία μητρόπολις* Μεσοποταμίας *δευτέρας.* Har-
duinus quærit, quis Δ pro binario numero unquam uſurparit? Legit
Conf. ergo: *τετάρτης.* Quatuor enim Meſopotamias agnoſci cupit to-
p. 92. ſſ. tidem Metropolibus inſignes. Harum primam eſſe *Amidam*, proxi-
mas *Edeſſam* & *Niſibin*, ultimam *Carrhas*. Sic p. 113. Vaillantius at-
tulerat nummum Tomitanæ urbis, cum epigraphe: ΤΟΜΕΩC. ΜΗ-
ΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. Δ. & Δ. *δευτέρας*, metropoleos ſecundæ, explica-
rat, cum juxta Harduini ſententiam exponere debuiſſet: Πόντȣ *τετάρτȣ*
Ponti quarti. Pontus enim in Aſia triplex: Polemoniacus, Galati-
cus, Cappadocicus: Quartus in Europa Scythicus, cujus unica me-
tropolis, *Tomi*, Ovidii exilio celebris.

p. 72. Nummum Auguſti principatu cuſum, cujus antica Julii Dicta-
toris vultus exprimitur, cum his literis C. I. C. XXXVI. poſtica Au-
guſti caput, cum lemmate EX D. D. (*Ex Decreto Decurionum,*) Vail-
lantius trahit ad *Col. Jul. Carthaginem*, Harduinus ad *Col. Juliam
Cartennam*, oppidum Mauritaniæ Cæſarienſis; *annum XXXVI.* ille de
p. 73. anno Coloniæ a Cæſare Julio deductæ, hic de anno *Jubæ* Regis accipit.
FIG. V. Non paucos nummos alios inſcriptos C. I. C. vel. C. I. C. A.
vel

vel C. I. C. A. A. vel C. I. C. A. A. P. Vaillantius de *Colonia* quadam
Jul. Carthagine Antiqua Auguſtâ Pia explicuit; Harduinus de *Col.*
Julia Corintho Auguſta Antonina Pia. Abbreviatura V. I. N. C. vel p. 79.
C. I. N. C. Vaillantio ſignificat: *Victrix* (vel *Colonia*) *Julia Nova*
Carthago. Harduino: *Victrix* (vel *Colonia*) *Julia Narbo Cæſarea-*
na, hodie Alcantara, quondam Luſitaniæ, nunc Caſtellæ veteris op-
pidum. Quemadmodum enim nummum, (cujus in antica Caji & Lu-
cii Cæſarum capita exhibentur, cum lemmate: M. PETRONIO.
C. JVLIO. ANTONIO II. VIR. in poſtica area Auguſti vultus ſi-
gnatur, cum epigraphe: AVGVSTVS. D. D. C.C.N.C.) Vaillanti-
us p. 87. Harduinum ſecutus, pro nummo habet *Decreto Decurionum*
Coloniæ Concordiæ Norbenſis Cæſarianæ percuſſo; ita & idem pronun-
tiari poſtulat Antirrhetici autor de nummo e. c. Auguſti, ubi in priori
parte Imperatoris caput & literæ C. I. N. C. in poſteriori Labyrinthus
ac iſtæ voces: C. PETRONIO. M. ANTONIO. II. VIR. EX. D. D.
viſuntur. Sic ſane iidem Duumviri utrobique ſignantur; permutatis
ſaltem prænominibus vitio forte ſcalptoris; aut certe ejusdem familiæ
videbuntur eſſe M. & C. Petronii, itemque C. Julius & M. Antonii.

Tredecim nummos inſcriptos AEL. MVNICIP. COEL. vel COIL. p. 82.
ad *Cullu* Numidiæ oppidum Vaillantius, Harduinus ad *Æliam Munici-* FIG. V.
pium Cœlienſe Antoninianum in Thracica Cherſoneſo revocat. En exem- VI.
pla duo. Altero Julii Maximi per proram & cornucopiæ notatur fœcun-
ditas loci. Altero Gordiani III. exhibetur non *Silenus*, (ut Vaillan-
tius quamplurimis locis hanc figuram interpretatur,) ſed (juxta Har-
duinum, qui Silenos maximos eſſe *Satyrorum*, obſervat e Pauſania,)
municeps nudus, portans utrem vino plenum, ubertatis quoque indi-
cem. Laudarat *Corinthiacum* Domitiani Auguſti nummum Vaillan- p. 86.
tius, inſcriptum PERM. IMP. GERM. *Permiſſu Imperatoris Germa-*
nici. Sed Harduinus hortatur eum, Verſalias abeat, conveniat regiæ
gazæ cuſtodem *Rainſſantium*, videatque, annon pro GERM. legatur
in illo numiſmate CORIN. quemadmodum in alio præter dubium
habetur: COR. PERM. IMP.

Nummus Auguſti & Tiberii vultum repræſentans inſcribitur p. 89.
C. I. A. D. h. e. interprete Vaillantio, *Col. Jul. Aug. Dertoſa*, in Hi-
ſpania; at Harduino: *Col. Jul. Aug. Dertona* in Liguria. Negat e-
nim hic Dertoſam *Coloniam* eſſe, ſed *Municipium*, unde in aliis num-

mis M. HI. ILERGAVONIA. DERT. *Municipium Hibera Ilergavonia Dertoſa* & apud Golzium MVN. DERTOSA.

p. 107. Idem Harduinus poſtmodum aſſeverat, non *Laodiceam Syriæ Primæ*, ſed *Laodiceam ad Libanum* in *Syria Cœle* intelligendam, quando COL. aut METROP. titulus *Laodiceæ* in nummis tribuitur. Priorem enim illam Laodiceam ſub Juſtiniano demum (h. e. annis CCCXX ſerius, quam Vaillantius putarat,) metropolim factam.

p. 110. De *ſignis militaribus* & *bobus*, in coloniarum & municipiorum nummis frequenter occurrentibus, potiſſima ac capitalis controverſia movetur Vaillantio. *Iſta* enim Harduino non deductos in coloniam *milites* ſignificant, quod ſexcentis locis docuerat Vaillantius: ſed recordationem beneficii a legionibus accepti, quæ *præſidium* in eo tra-
p. 119. ctu in eaque provincia agitarent. Sexcenties quoque *Bovem* municipiorum coloniarumque ſymbolum appellarat Vaillantius, *colonum boves agentem ducentemque aratrum* originem deductæ primis imperii temporibus coloniæ ſignare adſerens. Inficiatur ex adverſo *Harduinus*, verum capite velato *colonum* eſſe, aut agricolationi, limitisve deſignationi intentum. *Si* (inquit) *boves pariter in plerisque nummis inſculptos probe inſpexeris, intelligis, non colonum, ſed magiſtrum ipſum Flaminis habitu: non aratrum, ſed ſcipionem, cui innititur, ibi ſculptum eſſe: lituum etiam, clariſſimum inſigne auguratus, altera illum manu geſtare, tum alibi paſſim, tum apud Antonium Auguſtinum Tab. XVI. n. 13. apertiſſime: ex quo eandem eſſe ceterorum formam intelliges: boves denique ipſos vittatos, & ut appellas, mitratos infulatosque eſſe, hoc eſt, ſacrificio deſtinatos, pro incolumitate principis, cujus legiones coloniæ vel municipii ſecuritati militarent.* Digniſſimum eſt utrumque argumentum, in quod tum celeberrimi antiquarii *Harduinus* ac *Vaillantius*, tum cœteri, quibus facultas eſt opulentiora principum virorum cimelia perluſtrandi, diligentius inquirant. Nos aliquot tan-
FIG. VII. tum heic addimus iconiſmos nummorum ejuscemodi: Prior (FIG.
IIX. IX. VII.) exhibet nummum *Accitanum* Auguſti. Alter (FIG. IIX.) *Rheſenenſem* Alexandri Severi: Sequens (FIG, IX.) *Corinthiacum* Neronis, juxta Harduinum, (ut ſupra monuimus,) at *Carthaginenſem*, judice Vaillantio.

Numiſma Neronis inſcriptum: CLEANDRO P. Q. CO. DO. C. P.

cum

cum eruditis equidem communicavit Vaillantius, ſed ſiglas evolvere non eſt auſus. Hinc Harduinus legendi conſilium dedit: *Cleandro perpetuo Quinquennalitio corporis dolabrariorum Coloniæ Patrenſis.* p. 133.
Corpusq; dolobrariorum, cujus perpetuus Quinquennalitius Cleander fuerit, Neroni ſtatuam ait locaſſe, qualis in nummo pingitur, in colonia Patrenſi. Huic ſententiæ ex marmoribus fidem uti adſtruat, apud ipſummet vide.

Ut e multis unicum adhuc adferamus, idem Vir clariſſimus auctor eſt, colonias *Romanas* vel municipia Romanorum civium *lupam* habere inſculptam in nummis cum *Romulo & Remo*, e. c. coloniam Damaſcenam. Cæteras *jure* tantum *Italico*, adeoque nec inſigni urbis Romæ gaviſas. Eam ob cauſſam nullum offendi coloniæ alicujus ſive municipii in Hiſpania, nullum coloniæ Cæſareæ in Palæſtina, aut Beryti nummum, ubi lupa viſatur cum gemellis. p. 136.

Duo denique reprehendit Harduinus non prorſus reticenda. Alterum eſt, quod nummis nimis multis obviis, ac ad eruditionem nihil conferentibus; alterum, quod obſervationibus mythologicis & etymologicis minus neceſſariis geminum Vaillantii volumen in nimiam molem excreverit. Quæ enim in linguæ Latinæ genium peccata magna cum ſeveritate caſtigat, non eſt, ut referamus, præter illud, quod ipſummet titulum operis occupavit. Nimirum non *Jus Latium*, ſed vel *Jus Latii* vel *Latinum* Latine dici, ſemel iterumque inculcat. p. 47.

PHTHISIOLOGIA SEU EXERCITATIONES DE Phthiſi, autore Richardo Morton, Med. D. & Regii collegii Medic. Londin. Socio.

Londini apud Sam, Smith, 1689. in 8.

Plagul. 27.

QUam indefeſſam Clariſſ. Auctor operam inpendit, ut variam ac genuinam phthiſeos Hiſtoriam, curandique rationem omnem ob oculos poneret, eam tanto acceptiorem Lectori opinamur futuram, quod antiquorum in hoc argumento ſtudium longo poſt ſe intervallo relinquit. Neque enim potuit non pede felici procedere, qui a multis retro annis lectionem librorum negligens (ne ſcilicet præconceptis in-

hæreret opinionibus) diligentiſſimæ ſaltem ſymptomatum in ægris occurrentium obſervationi indulſit, junxitque ſimul inſpectionem corporum ex hoc morbo defunctorum. Sic per autopſiam toties repetitam tandem Apellis quaſi penicillo enata phthiſeos idea eſt, quæ & indicationes longe clariores, & medendi quoque methodum certiorem cuivis facile inſinuabit. Schema vero totius ſcripti ad normam inſtituti noſtri tale poſſumus exhibere breviſſimis. Libros in univerſum tres continet, quorum prior quilibet undecim; ultimus vero quatuordecim capita complectitur. Rubricas vero ſingulorum hic transſcribere ut longum nimis, ita tædioſum ſine dubio Lectori foret. Sufficiat indicaſſe, quod materiam ſingulis plerumque ſubminiſtrent clariſſ. Auctoris annotata. Et quemadmodum phthiſin in genere pronunciat conſumptionem partium corporis muſculoſarum a ſubtractione vel colliquatione fluidorum ortam, eamque vel cum vel ſine febre, ita quoque in originalem mox eam diſpeſcit vel ſymptomaticam. Illam mere a morbida ſanguinis vel ſpirituum animalium in genere nervoſo & fibroſo hoſpitantium diatheſi, non a morbo aliquo formato præcedenti, deducit, ejus duas proponendo ſpecies, atrophiam ſcilicet & phthiſin pulmonarem. Ac atrophiam quidem vel nervoſam pronunciat, quæ a morbido ſtatu ſpirituum, & a tono nervorum everſo oriatur: vel ex inanitione naſcentem obſervat, a præternaturali ſcilicet ſubtractione ſeu evacuatione ſucci nutricii. Hanc ſeu pulmonarem phthiſin vocat conſumtionem corporis univerſalem a morbido affectu ſeu infarſione, tumore, inflammatione & exulceratione tuberculorum quorundam in pulmonibus primum ortam, indeque tuſſi, dyſpnœa &c. ſtipatam. Ad ſymptomaticam vero phthiſin quod attinet, illam immediate quidem a craſi ſanguinis ſeu tono ſpirituum everſo derivat; mediate tamen ab aliis præcedentibus morbis dependere aſſerit, qui hanc labem ceu characterem ſpiritibus & humoribus impreſſerint. Hinc de variis ejus ſpeciebus, ut de phthiſi ſcrophuloſa, de phthiſi a lue Venerea, a rheumatiſmo, ab ictero &c. agitur. Ita autem ubivis agitur, ut diſtincte ſatis non tantum ipſi affectus & indicationes curationum, una cum medicamentorum apparatu proponantur, ſed & ſingulis omnino capitibus aſſertorum fidem faciant ſubnexæ hiſtoriæ ſeu caſus ab Auctore in praxi ſua annotati rariores, quorum relectorum neminem poterit pœnitere. Interim ſpicilegium rerum hinc inde inſertarum

rum pro more facturi ſequentia breviter colligimus. Occaſione tabis pag. 14.
ab hæmorrhagia oriundæ aſſeritur, quod frequens & moderata venæ-
ſectio pinguedinem inducat; ab eandem vero phthiſin curandam cor- p. 17.
tex Peruvianus liberali manu exhibitus mirabilem efficaciam habeat.
In tabe ab apoſtematibus, ſi nimirum ulcera ſint vetera & curatu diffi- p. 26.
cilia, æger bibere jubetur horis medicis ℥vj. vel viij. aquæ calcis vivæ
ſequenti modo paratæ: R. ſarſæ opime inciſ. ℥vj. uvar. Corinth. lbß.
poſt debitam infuſionem coque in aquæ fontanæ lb xij. ad vj. Deinde
F. colatura. In hoc decocto extingue calcis vivæ lbß. quod poſt-
quam per reſidentiam fuerit depuratum, & ſale calcis ſaturatum, clare
decantetur, & in lagenis vitreis ſervetur in uſum. In eodem affectu p. 27.
commendatur balſam: Leucatelli & conſervæ roſar, a. ʒß. vel ℈ij. c. bal-
ſami Peruv. guttis iij. vel iv. aut balſamum Tolutanum in pilulas par-
vas redactum, horis medicis, inſuper bibendo hauſtum decocti ſarſæ,
Porro elegans hiſtoria habetur curatæ mulieris, cui ex aperto poſt ap- p. 31.
plicationem cauſtici lumbarium muſculorum apoſtemate magna copia
materiæ purulentæ, cyſtidumque aqua limpidiſſima repletarum, ad mi-
nimum quingentarum, magno impetu effluxit. De tabe nutricum p. 34.
ubi agitur, ratio affertur, cur æque obeſitas, quam atrophia in aliis a la-
ctatione proveniat. Capite autem de hydrope ad matulam ſeu diabe- p. 42.
te obſervatum legitur, quod in hoc affectu urina dulcis, imo mellea
reddatur. Cura maraſmi ex inanitione ob tumores glandularum me- p. 62.
ſenterii peracta traditur h. m. toti abdomini feliciter emplaſtrum dia-
ſaponis impoſitum, & julapium ſequens copioſe & frequenter propi-
natum eſt: ♃ aquæ petroſelini, fœniculi a. ℥iv. aquæ lumbric. mag.
ſir. c ſ. rad. a. ℥ij ſalis ſuccini nitidiſſ. & ab oleo optime depur. ʒß.
M. Tandem & rhabarbarum cum diaſcordio in forma boli exhibitum
eſt. Inter cauſas phthiſeos pulmonaris originalis refertur contagi- p. 70.
um, cum hic affectus per experientiam Auctoris frequentem lecti ſoci-
os miaſmate quodam ſicut febris maligna inquinarit, ac præterea mor-
bus ſit præ ceteris omnibus hæreditarius. Ad flammam vero hecticam p. 74.
lateſcentem in ſangvine vel præveniendam vel extinguendam, nihil p. 83.
magis conducere ſtatuitur quam venæſectio. Imo ex obſervatione
multiplici aſſerit Auctor, nullis febricitantibus adeo libera manu,
idque cum optimo ſucceſſu, ſanguinem detrahi atque valetudinariis
phthiſicis, quoties ſcilicet illi in febres inciderint. Cæterum uſu lon- p. 85.

 go ſe

gō ſe didiciſſe ait, quod cæteris omnibus pro præſervanda phthiſi pulmonari adhiberi conſuetis medicamentis præ aquis mineralibus præ-
p. 86. ferendum ſit nihil. Imo procul dubio in hecticæ flammæ extinctionem, & in phthiſeos præcautionem, fonticulis in brachiis vel inter humeros factis multum tribuendum eſſe, cum hoc modo ſeroſus latex ſanguinis minuatur, & conſequenter cerebrum & nervorum genus confortentur. Phthiſin vero pulmonarem deducit a tuberculis ſeu tu-
p. 90. moribus glandulоſis in pulmonibus enatis, a morbida lympha nimium diſtentis, hinc inflammatis, ac tandem in apoſtema tranſeuntibus.
p. 99. Cauſam horum tuberculorum deſignat contractionem pulmonum leviter ſpasmodicam, diuturnam & continuam cum ponderis & oppreſſionis ſenſu, a mæſtitia, timore, curis, cogitatione intenſa, atque aliis ejusmodi pathematis effecta. Sicuti enim molle pulmonum parenchyma tanto tempore contractum, & continuo quaſi compreſſum, ſponte ſua ſoleat indureſcere: ita etiam glanduloſas eorum partes expanſione ſolita jam privatas lympham intus ſecretam ſatis magna copia excernere, & exſpuere non poſſe. Ut ita mirum non ſit, ſi totius parenchymatis infarſio & renitens in ipſis glandulis durities ſubſequatur.
p. 102. De ſignis vero ubi ſermo eſt, inter certiſſima pathognomonica habetur
p. 109. vomendi diſpoſitio a ſumto cibo cum tuſſi conjuncta. In febris peripneumonicæ ſeu inflammatoriæ cura ſuper omnia medicamenta laudatur venæſectio, eaque ſatis tempeſtive frequenter & copioſe adhibita, utut macilentus & tabidus fuerit æger. Sic enim unice illum ab
p. 127. interitu vindicari. Veri puris ſigna conſtituuntur tria: 1. quod nares fœtore feriat, 2. quod craſſum quidem, nullo modo tamen glutinoſum, ſed fluidum & fibrillis privatum ſit, 3. varii coloris, ſcil. flavi,
p. 136. æruginoſi &c. ut plurimum autem cineritii & ſubnigri. Phthiſis natu minorum ſeu juniorum curatu difficilior pronunciatur, quam ætate
p. 152. provectiorum. Incipienda autem curatio phthiſeos pulmonaris originalis traditur (1.) venæſectione in brachio bis terve debitis intervallis iteranda. (2.) emetico leniter, vel quater repetendo, ſi neceſſitas urgeat, idque opportune paulo ante veſperam & die proximo poſt venæſectionem. (3.) catarticis, ſtomachicis, ita tamen ut ſingulis purgationem conſequentibus noctibus, ſicut etiam poſt vomitiones exhibeatur opiatum ad demulcendum ſanguinem & ad quietem pulmonibus
p. 127. inducendam, Imo experientia fretus fidenter affirmat Auctor,

opiata

opiata in phthiſeos cura ut fere nullo non tempore proficua ſint: ità in ejus progreſſu omnino tuta & neceſſaria eſſe: Imo nihil egregii ſine illorum uſu effici poſſe. (4.) diaphoreticis iis tamen ſimul opiatis minusque calidis, & poſt venæſectionem emeticis & catarticis exhibitis. Exempli loco tales inter alia medicamenta pilulas tradit: ♃ pil. e cynog. gr. xij. antimon. diaphor. f. ℈ß. Tr. croc. q. ſ. M. F. pilulæ n. IV. deaurandæ. (5.) uſu veſicatoriorum in brachiis atque in ſcapularum interſtitiis, ac tandem (6.) medicamentis thoracicis vel pulmonaribus incraſſantibus & lubricantibus, inter quæ ultima laudatur butyrum recens non ſallitum, & hinc cereviſia butyrata, (7.) diæta rite ſecundum res non naturales inſtituta. In tuſſi longiori & vehementi felicem ex uſu ſequentium pilularum ſucceſſum jam per multos annos Auctor expertus eſt: ♃ Pulveris milleped. pp. ʒiij. gumm. ammon. optime depur. ʒiß. fl. benzoin. ℈ij. vel ʒj extr. croc. balſ. Peruv. a. ℈ß. balſam. ♆is terebinth. vel aniſ. q. ſ. M. F. pilulæ mediocres deaurandæ, vel pulveri glycyrrh. involvendæ, quæ in hoc tractatu paſſim ſub titulo pilularum balſamicarum celebrantur. Quæ vero cautelæ in uſu aquarum chalybeatarum obſervandæ ſint, fuſius exponitur, lacteæque diætæ ratio & modus deſcribitur, ſubjunctis extemplo illis, quæ ad lactis aſinini uſum quam maxime ſpectant. Paulo poſt compoſitio recenſetur aquæ lactis compoſitæ, quam poſtea paſſim cum aliis medicamentis commiſtam videre eſt. In relevationem doloris lateralis a muſculorum & membranarum thoracicarum ſpaſmis fotum in veſica bubula applicandum & linimentum cum panno laneo calido Auctor præſcribit, ac ſimul ſanguinis efferveſcentis pulmonumque calidiorum temperationem tentat ſequenti pulvere: ♃ ſalis nitri puriſſimi ʒij. ſacchari albi cryſtall. ℥ß. M. D pro 8. doſibus, quarum una diſſolvatur in ſingulis hauſtibus cereviſiæ propinanda. In omni phthiſi ſcorbutica extollit uſum aquarum chalybeatarum, id quod in ſequenti & aliis paſſim hiſtoriis per experientiam confirmat. Contra hæmoptoën habitualem, quæ ab inteſtino ſanguinis fermentantis motu & acrimonia vaſa aperientis dependet, febrimque primo putridam, dein hecticam in phthiſin incurabilem tranſituram habet conjunctam, clariſſ. auctor Herculeum antidotum deſignat corticem Peruvianum, cujus feliciſſimum ſucceſſum ſemper expertus ſit, ita ut non tantum præſentem hæmoptoën cito & tuto depulerit, ſed futuram quoque prævenerit, nulla unquam

pag. 159. p. 166. p. 177. p. 179. p. 180. p. 185. p. 186. p. 226. & 234. p. 253.

p. 257. unquam phthiſi ſubſequente. Phthiſin vero hæmoptoicam ab hæmo-
ptoë prævia naſcentem, ſi ſemel curata,, poſtmodum recurrat, fune-
ſtum finem ſortiri. Hinc ex obſervatione Auctoris ejusmodi phthiſici
in ipſa hemoptoë reviriſcente etiam purpuream animam in ſangvinis
rivulo effuderunt. Præ cæteris omnibus vero in hoc affectu com-
p. 300. mendatur ſirupus hæderæ terreſtris copioſe uſurpandus. In phthiſi
peripneumoniam vel pleuritidem conſequente, & ad maraſmi ſtatum
deducta, ſuper omnia venæſectio, eaque frequenter, quin & manu non
p. 327. nimis parca repetenda ſuadetur. Rheumaticæ febri genium tertianæ
apprime peculiarem eſſe, per experientiam ſæpiſſime viſum eſt. Con-
p. 339. tra febrim hecticam intermittentis longioris ſobolem tabellæ extant
præſcriptæ ad hunc modum: ♃ pulv. cortic. Peruv. ℥iß. ſacch. cryſtall.
in aquæ abſynth. mucilagine gummi tragacanthi incraſſatæ ℥viij. diſ-
ſolut. M. F. tabellæ ſ. a. quarum ſingulæ pend. ʒij. D. una pro doſi, qua-
ter in die, inſuper bibendo decocti pectoralis depur. ℥iv. Ab uſu ha-
rum hectica plane evanuit una cum tuſſi, dyſpnœa, & reliquo phthiſe-
p. 394. os funeſtorum ſymptomatum ſatellitio. Cæterum aquarum minera-
lium chalybeatarum vim in curanda phthiſi a renum & veſicæ urinariæ
ulceratione orta, ſæpius cum felici ſucceſſu ſe expertum eſſe Auctor
affirmat. Nec minoris uſus pronunciat tam ad acrimoniam ſangui-
nis demulcendam, quam ad ſaburram particularum purulentarum per
vias urinarias ſubducendam, ſi horis medicis emulſio exhibeatur ex
50. vel 60 milleped. cum decocti ſarſæ vulnerariæ vel decocti pectora-
p. 401. & lis & traumatici a. ℥ij. parata. Denique hiſtoria inſeritur cujusdam
ſeqq. phthiſi pulmonari qui extinctus, in quo tumur teſticuli dextri pro hy-
drocele habitus & apertus nihil aquæ aut puris effudit, parenchymate
ſcilicet toto teſticuli ita jam diu exeſo, ut ſpeciem referret teſtæ ovi ex
inanitæ vel mali punici, ex quo interior medulla fuit extracta. &c.

PSALTERIUM JUXTA DUPLICEM EDITIOnem, quam Romanam dicunt & Gallicam, una cum Canticis ex duplici item editione, & Hymnarium atque Orationale. Editio ad veterem eccleſiaſticam formam ex antiquis MSS. exemplaribus digeſta, per J. Mariam Carum Presbyterum.

Romæ typis Tirmaſii 1683. in 8.

plagul. dimid. 88.

CLariſſimus Pſalterii hujus editor, *Joſephus Maria Carus*, idem eſt
cum

cum *Joſepho Maria Thomaſio*, qui A. C. 1680. vetuſtos quosdam Sacramentorum Codices Romæ ex Angeli Bernabo typographia in lucem publicam emiſit. Ibi enim Familiæ ſuæ nomine per modeſtiam ſuppreſſo, Avunculi ſui nomen ſubſtituere maluit, quem Teatinorum Ordini addictum accepimus. Præmittuntur autem Pſalterio 1. *Euſebii* Cæſarienſis hypotheſes in Pſalmos ex duobus MSS. uno Vaticano, altero eccleſiæ quæ S. Mariæ ad Martyres dicitur, quibus Euſebii hypotheſibus etiam ſubjicitur fragmentum Euſebii in Pſalmum 25. ex Catena Græca a Daniele Barbaro latine edita & Antonii Agellii in Pſalmos commentariis excerptum. 2. *Athanaſii* tractatus de libro Pſalmorum ad Marcellinum. 3. *Baſilii* M. prologus in librum Pſalmorum, ſeu homilia 1. in Pſalmos, quæ etiam Auguſtini in Pſalmos ſermonibus præmiſſa legitur. 4. *Chryſoſtomi* varia dicta de Pſalmis ex ejusdem operibus excerpta. 5. *Hieronymi* epiſtola ad Paulum & Euſtochium de emendatione Pſalterii. 6. *Auguſtini* dicta, quæ ad ſpiritualem Pſalmorum intellectum conducunt. 7. *Nicetæ* Epiſcopi fragmentum de bono Pſalmodiæ. 8. *Gregorii* Papæ, *Marcellii* Abbatis & S. *Bernhardi* dicta de Pſalterio. 9. Prologus ſive origo Prophetiæ Davidis Regis Pſalmorum 150. qualis apud Lambecium Tom. 2. Comment. de Biblioth. Vindob. legitur. 10. *Florentii Georgii & Gregorii* explicatio de titulis Pſalmorum, quæ ex MSS. nunc primum prodiit. 11. Interpretatio nominum Hebraicorum, quæ in Pſalmis occurrunt. 12. Interpretatio nominum vel ſpecierum ſingularium artis muſicæ, quarum in Pſalterio menito fit. 13. Collectio argumentorum in Pſalmos ex MS. Codice excerpta. 14. Notitia diſtributionum Pſalterii & canticorum, juxta antiquum pſallendi morem in eccleſia Romana. In ipſo, quod ſequitur, duplicis editionis Pſalterio, ſingulis Pſalmis præfiguntur tituli & argumenta, ſubjiciuntur orationes veteris ſed ignoti Autoris. Excipiunt Pſalterium Cantica trium puerorum Eſaiæ, Ezechiæ, Annæ, Moſis, Habacuc, Zachariæ, Mariæ, Simeonis, aliorumque cantica & orationes, quæ in Sacro Codice leguntur, una cum hymno *Te Deum laudamus*, & præcipuis eccleſiæ primitivæ Symbolis. Hymnarium complectitur Ambroſii, Gregorii M. & aliorum veterum hymnos de anni circulo, de natalitiis Sanctorum, variisque cauſis quotidianis. In Orationali exhibentur orationes & preces eccleſi-

aſticæ

aſticæ, juxta antiquiores Romanæ eccleſiæ ritus, ex ejuſdem vetuſtis Conbicidus digeſtæ.

RESPONSORIALIA ET ANTIPHONARIA Romanæ Eccleſiæ a S. Gregorio M. diſpoſita. Accedit Appendix varia continens Monumenta vetera ad Antiphanas, Reſponſoria, Eccleſiaſticosque Curſus pertinentia. Ex MSS. Codicibus nunc primum prodeunt Scholiisqve explicantur, opera & ſtudio Joſephi M. Cari Presbyteri Theologi

Romæ typis Joſephi Vannaccii 1686. in 8. plagul. 66. dimid.

CAntum eccleſiaſticum in quatuor genera idem Clariſſimus Autor, cujus Pſalterium modo recenſuimus diſtribuit. Primum genus eſt, quod a toto ſimul choro, uno velut ore unoque concentu peragitur, & hoc ab antiquis *cantum directum* vel directaneum appellatum arbitratur. Secundum eſt, cum canentium chorus in duas claſſes diſpertitus voces alternat, unde cantus ille *antiphonus* dicitur. Tertium cantici eccleſiaſtici genus eſt *reſponſorium*, cum uno cantore præcinente, totus chorus reſpondet: Quartum denique, cum unus canit nemine ſuccinente vel reſpondente, quem cantum ab antiquis *tractum* appellatum ſcribit. Cum autem reſponſorialia & antiphonaria Romanæ eccleſiæ hoc volumine edat, inprimis de ſecundo & tertio canendi modo agendum ſibi in limine cenſuit. Primum igitur de Reſponſoriis, qua ratione fieri ſoleant, vel olim in Eccleſia facta ſint, uberius exponit, & inter alia virum quendam doctiſſimum & in veterum lectione peritiſſimum refutat, qui ſtatuit, in pſalmis reſponſoriis populum non integros pſalmi verſiculos, ſed tantum extremas verſuum clauſulas reſpondendo iteraſſe, & hoc apud Veteres per ἀκροτελεύτια ſignificari. *Caro* enim noſtro ritus eccleſiaſticos penitius expendenti probabilius videtur, totum pſalmi verſum a reſpondente populo iteratum. Nec huic ſententiæ obſtare putat, quod ἀκροτελεύτια a populo repetita dicantur, cum Thucydides apud Suidam ſcribat, τὸ ἄκρον & initium verſus & finem denotare. Putat

igitur

igitur vocabulo illo compoſito denotari, totum omnino verſiculum ab initio, quod per ἄκρ@ deſignatur, usque ad τέλ@ ſeu finem, populi reſpondentis voce redditum fuiſſe. Fatetur tamen in Pſal. 135. ſeu juxta Hebræos 136, cujus ſinguli verſus hoc hemiſtichio clauduntur: *quoniam in ſeculum miſericordia ejus*, tantum ultima illa ſingulorum verſuum membra a populo decantata fuiſſe, ſiquidem libr. 5. hiſtoriæ tripart. c. 2. refertur, Athanaſium Diacono ſuo præcepiſſe, ut pſalmum illum legeret populo reſpondente: *quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. Poſt plura alia de Reſponſoriis obſervata ad Antiphonas accedit, notans alternos pſalmorum cantus a duplici choro factos ſerius in eccleſiis uſurpari cœpiſſe, cum juxta Theodoretum Diodorus & Flavianus primi hunc canendi morem inſtituerint. Sub hoc autem alterni cantus genere eum maxime comprehendi ſcribit, quo alterni chori non unum eundemque pſalmum concinunt, ſed unus quidem chorus pſalmi alicujus verſus modulatur, alter vero chorus diverſum aliquid per ſingulos verſus intercinit, & hoc, quod ſæpius ab altero choro repetitur, apud Latinos antiphonam, apud Græcos troparium antiphoni appellari, & in hac ſignificatione antiphonam eſſe canticum aliquod brevius, ſeu ſententiam intercalarem, quam choro pſallenti alter chorus reſpondens intercinit. Ac de hoc antiphonarum genere loqui Socratem exiſtimat, cum refert, Ignatium poſt viſionem Angelorum alternos hymnos canentium, hunc canendi morem eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe. Et hac ratione Socratem cum Theodoreto facillime conciliari poſſe ſtatuit, ſi Theodoretum de alterno pſalmorum concentu, Socratem autem de hymno aliquo alternis vicibus cantato loqui dicamus. Cætera quæ de antiphonis diſſerit, eccleſiaſticarum antiquitatum cupidus lector apud ipſum Autorem legere poterit. Indubium vero eſt Autori, jam ante Gregorii M. ætatem antiphona & reſponſoria in cantorum uſum collecta & concinnata fuiſſe, & Gregorium tantum libros illos recenſuiſſe, & meliori ordine diſpoſuiſſe: cæterum hos libros, etſi Gregorii diſpoſitionem retinuerint, ſucceſſu tamen temporis mutationibus nonnullis obnoxios fuiſſe, Unde Amalarius aliter ſe habere dicit antiphonarium Corbejenſe, quod Romanum appellare ſolet, quia Abbas Dorbejenſis a Gregorio IV. acceperat, & aliter Metenſe, quod ſub Carolo M. Roma in Gallias deportatum, & Metis collocatum eſt. Cæterum, cum pura & germana S. Gregorii antiphonaria

naria nuſquam Autor nanciſci potuerit, ſaltem vetuſtiora, quæ habere potuit, in lucem edere voluit; cum eccleſiaſticarum rerum codices, quo antiquiores ſunt, eo propius ad fontes, a quibus derivati ſunt, accedant. Et primum quidem quod edit reſponſoriale & antiphonarium eſt e Vaticana baſilica depromptum, quod a Franciſco Barberino Cardinali ſibi communicatum memorat, & circa ea tempora ſcriptum exiſtimat, quod ab Alexandro III. ad Gregorium IX. excurrit. Subjicitur huic reſponſoriali ſupplementum officii Annunciationis S. Mariæ ex codice MSC. S. Benedicti Canonici. Alterum antiphonarium, quod e tenebris eruit, ſuppeditavit bibliotheca monaſterii S. Galli in Helvetia, & ejusdem bibliothecæ Præfectus D. Hermannus Schenckius, cujus beneficio & alia quædam vetera monumenta in appendice edita ſe debere profitetur. Habentur autem in illa appendice ex bibliotheca S. Galli fragmenta quædam antiphonariorum, Ordo a Dominica Mediana usque ad octavas Paſchæ, Ordo librorum catholicorum qui in Eccleſia Romana ponuntur ad legendum, ſpecimen antiquorum librorum quos officiales nuncupabant, & inſtituta Patrum de modo pſallendi. Reliqua appendicis monumenta, & unde depromta fuerint, præmiſſus huic volumini index denotat, quem huc tranſcribere brevitatis ſtudio ſuperſedemus. Ne quid vero huic volumini deeſſet, Clariſſimus Autor duplex illud antiphonarium etiam ſcholiis ſuis illuſtravit.

SACRORUM BIBLIORUM JUXTA EDITIOnem ſeu LXX Interpretum, ſeu B. Hieronymi, veteres tituli ſive capitula, ſectiones & ſtichometriæ, ex majore parte ante annos mille in Occidente uſitata, una cum antiquis prologis, argumentis &c. e MSS. codicibus prompta nuncque primum edita ſtudio Joſephi Mariæ Cari.

Romæ ex typographia Hæredum Corbelletti 1688. in 4. plagul. 44.

IN hoc tractatu idem Carus, qui ob hoc ſtudium omnibus Sacræ Scripturæ ſtudioſis cariſſimus eſſe debet, reliquorum Sacri Codicis librorum titulos, capitula, & ſtichometrias una cum prologis antiquis atque argumentis ex MSC. Vaticanis, Collegii Oratorii, aliisque codicibus

cibus exhibet; priori parte Vetus, poſteriori Novum Teſtamentum complectens. Et prologi quidem atque argumenta, paucis forte exceptis, etiam in antiquis Vulgatæ Verſionis editionibus leguntur. Capitula vero ſive titulos in Latina eccleſia uſitatos, quos partim Casſiodori ætate antiquiores eſſe, partim Casſiodoro deberi contendit, non ſolum ex variis MSCtis Carus noſter apponit, ſed etiam quo verſu quibusque verbis ſingula capitula juxta receptam in editis Bibliis diſtinctionem incipiant, diligenter annotat. Et quemadmodum capitulorum numerus admodum variat: ita & verſuum diſtributio ſeu ſtichometria, quam ſingulorum librorum titulis, niſi ubi in MSC. deſideratur, adjecit, vix unquam cum Nicephori aliisque editis ſtichometriis convenit.

ESSAIS DE PHYSIQUE, OU RECUEIL DE pluſieurs traitez touchant les choſes naturelles. Tom. IV. Par Mr. Perrault de l'Academie Royale des Sciences, Docteur en Medicine de la Faculte de Paris.

h. e.

Tentamina Phyſica, ſive collectio plurium tractatuum, qui in rebus naturalibus explicandis verſantur. Tomus IV. Auctore Dn. Perraltio, Academiæ Scientiarum Regiæ Socio, & Facultatis Pariſienſis Doctore Medico.

Pariſiis apud I. B. Coignard, 1688, in 12. plagul. 20.

QUas Tomus hic quartus comprehendit, diſſertationes phyſicæ pleræque faciunt ad illuſtranda ea, quæ in Tomo III, qui *Mechanica animalium* inſcribitur, Cl. Perraltius paulo ſtrictius breviusque propoſuerat. Quocirca etiam non ſolicito, ſed arbitrario ordine fuerunt diſpoſitæ, quem nos quoque in ſummis capitibus illarum recenſendis ſequemur. *Primum* autem refert doctisſimus Auctor, ſe *lacertæ* particulam caudæ amputaſſe, ut comperiret, an verum eſſet, (quod de hoc animali vulgo perhibent) partes lacertæ diſſectæ ſponte ſua coire atque rurſus coaleſcere; ſed nihil tale a ſe fuiſſe

animadverſum, niſi quod elapſis quindecim diebus *renata fuerit caudæ portio* quoad figuram & pellis texturam abſciſſæ non diſſimilis, ſed quæ tamen caruerit vertebris atque muſculis, occupante illorum locum tenera quadam cartilagine. Deinde rationem atque *modum hujus geneſis*, quæ a nova dentium aut cornuum productione diverſa plane eſt, inveſtigans in eam deſcendit ſententiam, factam illam fuiſſe per evolutionem particularum extremitatis caudæ mutilatæ, & cartilaginem cutemque excreviſſe eadem ratione, qua ulceris cavitas carne repletur, dum fibræ & vaſa ſanguifera in extremo carnis ab ulcere exeſæ contenta ſe evolvunt & reddunt conſpicua. Quod vero pars illa figuram nacta in acumen abeuntem, ac tam regularis fuerit ſquamularum cutis diſpoſitio, id vero animæ hujus beſtiolæ eſſe adſcribendum, cui facile fuerit modificationem aliquam parti renaſcenti ſuperaddere. *Secunda* diſſertatio *de ſenſibus externis in genere* agit, confirmatque nihil ſentiri niſi mediante motu in ſenſoriis inſtrumentis ab objectis externis excitato, ad quem anima, quæ non ſoli cerebro ſed omnibus omnino corporis partibus præſens ſit, attendat eumque cognoſcat cognitione clara & diſtincta, quæ differat ab illa confuſa, per quam reliquos motus internos viſcerum ſciat atque moderetur. In ſpecie vero ſenſus *Tactus* in diſſertatione *tertia* univerſalis quodammodo eſſe dicitur, cum organum ejus peculiarem ſtructuram non requirat, ſed ipſe omnibus in partibus mollibus deprehendatur, quando in illis commotio aliqua, quæ ſolutio continuitatis dicitur, excitatur. Cum vero recentiorum nonnulli papillas pyramidales pro tactus organo venditent, refutantur illi exinde, quod partes etiam illæ ſentiant, quæ papillis iſtis deſtituantur, ac pellis elephantis eas non oſtendant, niſi illis in locis ubi calloſa eſt neque ad ſenſationem bene accommodata. Cæterum, quia dolor atque gaudium ad hunc ſenſum præcipue pertinent, hinc animæ providum in omnes corporis partes imperium prolixe explicatur, rationesque afferuntur, cur ipſa ex perceptione certi motus lætitia efferatur, alterum vero quendam motum animadvertens afficiatur dolore, & ex his principiis rationes variorum phænomenorum eliciuntur, v. g. cur non omnis ſolutio continuitatis dolorem pariat, ſed liceat acum ſenſim infigere in carnem, ad duorum digitorum altitudinem, ſine moleſtia? cur ex diſſecta tendinis parte majori dolore animal crucietur, quam ſi totus amputetur? &c. In *quarta* Diſſertatione non ſola

lingua

lingua pro *Guſtus* organo habetur, ſed palato quoque & gulæ ſuæ partes tribuuntur. Licet enim illa peculiari ſtructura gaudeat, hanc tamen non ſimpliciter neceſſariam eſſe ad ſenſationem producendam, ſed ad eam magis vividam reddendam docetur. Affinitatem, quæ guſtui cum odoratu intercedit, mechanice explicari poſſe negatur, ſecus ſentientes tum cura confutantur, atque ejus cauſa ſolum in animæ moderamine quæritur, quæ duos hos ſenſus, cum uterque ad eundem finem, animalis nempe nutritionem, tendat, mirabili nexu conjungat. Perceptio denique famis atque ſitis non pertinere ad ſenſum guſtus, ſed tactus interni ſpecies eſſe dicitur, quando humores acres membranas vellicantes motum excitant, quem anima non ſentiat niſi per cogitationes internas & confuſas, quæ deinde expreſſas de cibi potusque neceſſitate producunt. Pro *Olfactus* inſtrumento membranas, quæ interiora naſi contegunt, agnoſcit Cl. Auctor in diſſertatione *quinta*; quod vero odores nonnulli grati, quidam ingrati nobis accidunt, id non a diverſo motu in organo excitato oriri putat, ſed ex eo, quod res hoc odore præditas anima in vitæ principio ſuo corpori noxias eſſe judicarit. *Motum oculorum* dum exponit in diſſert. *ſexta*, ſolicite ſimul inculcat ea phænomena, quæ ad confirmandas hypotheſes, quæ ipſi de motu muſculorum & uſu ſpirituum animalium in ſenſatione, ſunt propriæ, conferre videntur. Agit autem primo de uſu muſculorum obliquorum, quos, quia ſoli motum nullum producunt, aſſerit cum aliis muſculis ad motus obliquos efficiendos conſpirare, & ſervire ad oculi bulbum ſuſtinendum, ne in orbitæ partem inferiorem inpingat. Hinc de motu oculi interno, quo aliter diſponitur cum remota, aliter cum propinqua objecta intuetur, eſt ſolicitus; & refutatis aliorum ſententiis, fibris ligamenti ciliaris vim tribuit tractione ſua cryſtallini humoris convexitatem mutandi, pro diverſa objectorum diſtantia. Præcipuam autem ponit operam in cauſa indaganda, cur uno oculo moto alter quoque in eandem partem feratur, rationemque hinc arceſſit, quod cum ex diverſo oculorum ſitu viſionis oriatur depravatio, anima quidem initio libere hos motus ita inſtituerit, ſed qui tamen, ob diuturni temporis conſuetudinem, facti fuerint tantum non neceſſarii. Ad *corporum tranſparentiam* declarandam accedit in diſſertatione *ſeptima*, concluditque, ea demum corpora eſſe diaphana, quæ conſtent ex particulis homogeneis atque ita inter ſe connexis, ut aptæ ſint motum, quem ſubtilis aeris pars a corpore luci-

do agitata ipſis imprimit, eodem modo recipere & continuare in ſuccedentes. Hanc deinde hypotheſin cum aliis paſſim receptis contendit, oſtenditque eam non premi difficultatibus illis, quibus iſtæ urgentur. *Reflexionem corporum* ab elaſticitate illorum derivat in diſſert. *octava*, & hanc doctrinam ad lucem quoque adplicat: cumque in fluidis nullo elatere præditis reflexiones quoque contingant, cauſam horum effectuum a gravitate illorum repetit. Quæ de *induratione calcis* afferuntur in diſſertat. *nona*, eo redeunt: Lapidem de quo calx coquitur, ex terreis particulis per ſalia ſulphurea inter ſe connexis conſtare, & dum lapis concrematur, expelli ſalino ſulphureas moleculas, nihilque fere niſi terram fixo cuidam ſali junctam remanere, quæ tamen ſi commiſceatur cum arena, partes ſalino-ſulphureas priſtinamque adeo recipiat duritiem. Sequuntur in diſſert. *decima Obſervationes circa congelationem* liquorum factæ anno 1684, & viginti tria cognita haut indigna phænomena (v. g. quod thermometri aquæ frigidiſſime immerſi liquor aſcenderit, ſphæraque ipſius cruſta glaciali circumdata fuerit; quod follis aerem frigidum ad thermometron appellens, liquoris adſcenſum auxerit, &c.) ex hypotheſi in Tom. I. Tentaminum Phyſicorum propoſita declarantur. *Undecima* diſſertatio *experimenta* complectitur *ad bonitatem æquarum examinandam* inſtituta, quæ, ſi abſint particulæ terreæ & minerales, in ſubtilitate conſiſtit. Illam autem aquam doctiſſimus & experientiſſimus Auctor ſubtiliſſimam eſſe cenſet, quæ citiſſime incaleſcit, ſordes maxime aufert, leviſſima eſt, ſaponemque diſſolvit optime; docetque uſum duorum thermometrorum rectificatorum ad examen hoc inſtituendum. Tandem vero num aquæ, canales per quos labuntur lapideo cortice obducentes, calculum producant, & num coctio aquas puras quidem, ſed luto infectas aut crudas, emendare poſſit, diſquirit. *Ultima* diſſertatio de transfuſione ſanguinis agit, cujus uſus licet obſoleverit, non inconſultum tamen judicavit Cl. Auctor experimenta quædam anno 1667 Pariſiis facta proferre in lucem, ex quibus quid de tota illa re ſentiendum ſit, non difficulter judicari poſſit. Hinc ergo refert, quæ fuerint adhibita media, ut exacte cognoſceretur, num revera ſanguis traduceretur, & quæ ſanguinis transfuſi eſſet quantitas. Experimentorum autem hic eventus fuit: nonnulli canes, qui parum ſanguinis peregrini receperant, inuſitato languore fuerunt affecti; unus, in cujus jugularem venam ex arteria carotide alterius ſanguis derivabatur, extemplo expi-

ravit, repertusque fuit dexter ejus cordis ventriculus una cum vena cava ſuperiori coagulato ſanguine repletus; alius qui quinque & dimidiam unciam ſanguinis alieni hauſerat, poſtero die fuit mortuus. Cum ergo non conſtet, in transfuſionibus tantopere jactatis tanta cum circumſpectione rem omnem peractam fuiſſe, ſuſpicatur Perraltius, animalia quæ poſt transfuſionem ſe belle habuiſſe feruntur, aut nihil aut parum ſanguinis alieni recepiſſe, concluditque ſi transfuſio lente fiat, coagulari ſanguinem, ſi vero ſanguis cum impetu in venas influat, animal ſuffocari, ac proinde illam nullo modo eſſe conducibilem.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI EPISTOLA AD Cæſarium Monachum. JOAN. HARDUINUS Societ. Jeſu Presbyter notis illuſtravit ac Diſſertatione de Sacramento Altaris.

Pariſiis, apud Franc. Muguet. 1689, in 4to.

EPiſtolam hanc Pontificii plerique pro ſuppoſititia habuerant, donec ea a Bigotio ederetur, de qua in Actis noſtris A. 1683. p. 25. & A. 1687. p. 563. plura diximus. Quare alium colorem quæſivit Harduinus, eamque non ſolum pro genuina agnovit, & ex veteri Latina verſione cum fragmentis quibusdam Græcis edidit, notisque in fine cujuslibet paginæ minutiori charactere expresſis illuſtravit, ſed in adjecta etiam Diſſertatione in ſuæ religionis favorem novo plane auſu trahere conatus eſt. *Cap. I.* ex Chryſoſtomi, Theodoreti aliorumque Patrum ſcriptis oſtendit, eos, cum panem nominant corpus Chriſti, ſimul dicere, ipſum adveniſſe corpus Dominicum, immutatumque panem fuiſſe. *Cap. II.* verba Chryſoſtomi cumprimis controverſa: *etiamſi natura panis in ipſo permanſit*, aggreditur, exiſtimans, vocem *in ipſo* ad Dominicum corpus ſpectare, naturamque panis eſſe in pane ſanctificato & conſecrato, tanquam pars in toto. *Cap. III. & IV.* arbitratur, Græcos Patres οὐσίας & φύσεως, Latinos *naturæ* nominibus ſolas proprietates naturales rei cujusque intellexiſſe. Hinc *Cap. V.* conficere nititur, Chryſoſtomum hoc in loco transſubſtantiationem dilucide docuiſſe, idemq; dogma Damaſcenum, Jeremiam CP. & Gregorium M. foviſſe. *Cap. VI.* monſtrat, perite admodum ex comparatione Incarnationis & Euchariſtiæ Chryſoſtomum argumentari, tum adverſus Synuſiaſtas, tum adverſus Neſtorii prodromos, quorum hæreſes prolixe exponit. *Cap. VII.* Theodoretum, & *Cap. IIX.*

Gela-

Gelaſium,paria cum Chryſoſtomo in ſimili adverſus hos hæreticos pugna, de Euchariſtia ſenſiſſe contendit, ac utrobique multa notatu digna admiſcet, ibi quidem de vocibus μυςηρίȣ & μεταβάλλεσθαι; hic autem de oratione, quæ conſecratoria Chriſti verba conſequitur in Græca Liturgia. *Cap. IX.* exponit Ephræmium Antiochenum & Leonem Magnum, qui adverſus Eutychianiſtas eadem Incarnationis cum Euchariſtia comparatione uſi fuerint. *Cap. X.* declarat νοητὴν χάριν, *intelligibilem gratiam*, quam Græci Patres dicunt ad naturam Symbolorum ſenſibilem in Euchariſtia adjici, vultque eam eſſe *corpus Eccleſiæ*, cujus figura ſit corpus Chriſti, quod in altari ſub pane credi poteſt, intelligi non poteſt. Hiſce multa adjungit, iis utilia, qui in lectione veterum Patrum cum fructu verſari cupiunt. Ad finem Libri ſigillatim invehitur in illum Scriptorem, qui Sacramentariorum errorem primus in orbe Chriſtiano vulgarit, & Ratramni, nomine circumfertur; hunc enim, Petrum de Marca ſequutus, non alium eſſe ſtatuit, quam *Joannem Scottum, ſive Erigenam*, ſuamque ſententiam multis adſtruit argumentis, & quæ Scottus ad defendendum errorem attulerat, prolixe elevat. His duo addidit *Embola*, quorum priori *de poteſtate conſecrandi*, tradit, nemini corpus Chriſti ore conficiendi, præter Presbyteros, conceſſam prærogativam eſſe: hacq; occaſione tum Diaconorum officium explanat, tum Laicorum Sacerdotium, a Tertulliano ipſis tributum, ſpirituale tantum & myſticum, non externum eſſe probat. Poſteriori *Canones duos de Sacramento altari* illuſtrat, alterum XVII Concilii Arauſicani I, de capſa & calice offerendo, & admixtione Euchariſtiæ conſecrando, quod ille de calice plebi deſtinato intelligit: cumq; eo confert locum ex Ordine Romano, ubi *Sanctæ & Sanctorum* mentio fit, eo diſcrimine, ut in ſingulari & fœminino deſignet Euchariſtiam, in plurali & neutro oblatas, quæ conſecrationi deſtinantur; loca etiam veterum vexata *de fermento* Euchariſtiam ſignificare contendit. Alter eſt Canon III Concilii Turonenſis ſecundi, quo præcipitur, ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur. Hunc explicat Harduinus de forma ſeu modo Dominici corporis, vel panis, qui conſecratur in corpus Dominicum, in altari ipſo componendi: eaque occaſione ad varias eccleſias excurrit, modosque in iis uſitatos tam ænea tabella oculis ſiſtit, quam variis teſtimoniis comprobat.

(o)

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio X.

MARCA HISPANICA, SIVE LIMES HISPANIcus, hoc eſt, Geographica & Hiſtorica Deſcriptio Cataloniæ, Ruſcinonis, & circumjacentium populorum, auctore illuſtriſſimo viro PETRO DE MARCA, Archiepiſcopo Pariſino. Acceſſerunt Geſta Comitum Barcinonenſium, & Nicolai Specialis libri VIII rerum Sicularum: item Chronicon Barcinonenſe & Ulianenſe; & Appendix actorum veterum. Omnia nunc primum edita.

Pariſiis apud Franc. Muguet, 1688. in fol. Alph. 8. plag. 18.

INter nobiliores pacificationes inſignem ſibi locum Pyrenæa vindicat, cum, quæ inter Galliæ Hiſpaniæque Reges controverſiæ fuerant, in inſula fluminis Vidaſſonis, utrumque regnum inter Fontarabiam & Bajonam dirimentis, conſilio & prudentia regiorum Legatorum, & Gallici quidem Julii Mazarini Cardinalis, ac Hiſpani Ludovici Hari, anno MDCLIX compoſitæ atque ſopitæ fuerunt. Conventum in eo inter regios Legatos fuit, & ab ipſis Regibus approbatum, ut quæ de limite regnorum controverſia ſupereſſet, ad arbitrium eruditorum graviumque hominum referretur, qui ex antiquitatis monumentis comprobarent, quinam olim utriusque gentis limites atque termini fuiſſent, in quibus hodieque acquieſcendum foret. Etenim conſtitutum illa pacificatione fuerat, ut ad priſtinos fines utroque regno reducto, Catalonia Hiſpanis relinqueretur, Roſſilionenſis Comitatus Gallis, quorum & olim fuerat, integer reſtitueretur. Cum vero nova lis de communi termino inveniendo orta eſſet, cauſſa illa Legatorum conſi-

conſilio, & ſummorum Regum voluntate atque conſenſu, ad arbitros rejecta fuit, qui ex antiquis eam monumentis dijudicarent. Cui negotio ab Rege Gallorum Petrus de Marca, tum Toloſanus, poſt Pariſinus Archiepiſcopus, vir antiquitatum undique peritiſſimus, una cum Hiacintho Serronio, Epiſcopo Arauſicano; ab Hiſpaniarum Rege Michael Salba de Valgornera, ſummis honoribus in Aragoniæ regno functus, & Joſephus Romeus Ferrerius, Conſiliarius regius in Cataloniæ ſenatu, præfecti ſunt. Hi in Ceretano oppido congreſſi de antiquis finibus diſputarunt, in eo convenientes, ut linea diviſionis a Veneris promontorio, quod internum mare proſpectat, ejusque templo, ducenda ſit. Sed Hiſpani hoc promontorium apud oppidum Caucoliberum quærebant, ut Vallis Aſperi, & Ager Confluentinus Hiſpaniæ relinquerentur; Galli contra ex Mela, Strabone, Plinio aliisque demonſtrarunt, Aphrodiſium ſive Veneris fanum, in quo veteres Hiſpaniæ atque Galliæ limitem conſtituerant, longius a Caucolibero abfuiſſe, in ſummo Pyrenæo prope Pompeji Tropæa poſitum. Major diſputatio de mediterraneis populis, Ceretanis & Urgellenſibus fuit, utrum cis terminum a veteribus conſtitutum, an ultra illum ſiti ſint; in quo cum convenire hi arbitri non poſſent, ad judicium Legatorum principalium cauſſam remiſerunt. Peracto conventu Petrus de Marca, ut indefeſſo labore atque ſtudio erat, conſtituit ſecum, omnia illarum regionum monumenta, res geſtas atque hiſtorias, quas tum illo pacificationis negotio, tum antea Viſitatoris regii munere in Catalonia functus, ſummo ſtudio didicerat, in ordinem redigere, & aliis obſervationibus illuſtrata uno volumine complecti ac uſus publici facere. Sed vixdum libro tertio abſoluto mortuus eſt vir illuſtriſſimus, opusque imperfectum reliquit, quod vir non diſſimilis ingenii, nec minoris induſtriæ Stephanus Baluzius, adjecto quarto libro continuavit, aliaque ἀνέκδοτα ejusdem materiæ, ex bibliothecis eruta adjunxit, nec non integra documenta & diplomata Principum, quibus ſingula confirmantur, in calce ſuperaddidit.

Opus de *Marca Hiſpanica*, id eſt, limite Hiſpaniæ, inſcriptum eſt, quia de utriusque regni limitaneis provinciis agit, quas *Marcas* Teutonico vocabulo & aliæ nationes, præſertim mediæ ætatis temporibus, appellaverunt. Primus liber de limite agit in Pyrenæis montibus quærendo, & de ſingulis, quæ cis montes in Gallico ſolo controverſi juris

fuerunt.

fuerunt. Egregia multa hoc loco explicantur, & præter illa de ipſo limite, ex Strabone, Mela, Plinio, Polybio, Livio accurata diſputata, oppidorum ſitum, nomina, facta non obiter celeberrimus Auctor illuſtrat: verbi gratia Ruſcinonis, unde Roſſilionenſis Comitatus dictus eſt; & Elnæ ſive Helenæ, quam Illiberim fuiſſe probat, antequam novum nomen a Conſtantino, non autem Epiſcopatum, acciperet, quem Gothicis temporibus inductum eſſe non vanis argumentis confirmat. Hæc usque ad VII fere caput, poſt quod de Ataeis alveo, & Narbonæ, quam perluit, monumentis quædam interfatus, ad Pyrenen redit, & Pompeii Tropæa, ac Veneris Pyrenææ templum, cum faucibus ſeu Clauſuris, ut vocant, perluſtrat. Harum duas, regiam viam præbentes, in his montibus oſtendit, unas, quibus Hannibal & Romani uſi ſunt, mare verſus Mediterraneum; alteras Aquitanicas, quibus iter fecerunt in Cantabriam & alias ſuperioris Hiſpaniæ regiones ex Gallia profecti. Inde ad limitem Oceano propinquum convertitur, de Oeaſone, quæ Straboni ultima Hiſpaniæ eſt, & cui illa hodie loco reſpondeat, ita diſquirens, ut magis aliorum ſententias ex Ptolomæo confutet, quam veriorem ac ſuam determinet. Poſtquam ſatis ita fines, quos natura conſtituit, contemplatus eſt, ad civiles & eccleſiaſticos cap. XV. progreditur, provinciarum metropoles plus honoris & auctoritatis, quam cæteras urbes habuiſſe confirmans, quod Eccleſia inde ab antiquisſimis temporibus imitata ſit, metropolitanis Epiſcopis plus dignitatis, quam cæterarum civitatum, largita. Hinc copioſius narrat, quot epiſcopales ſedes Narbonenſi metropoli adſcriptæ fuerint, tum Conſtantinorum ætate, tum Gothorum temporibus, qui amiſſis Toloſa & Ucecia civitatibus, Clodoveo eripiente, Carcaſſonem & Helenam epiſcopali dignitate auxerint. Capite XVI civiles illas, quas Conſtantinus inſtituit, quatuor Prætorii præfecturas conſiderat, & eam & illis præcipue, quæ Galliarum, hoc eſt, Transalpinarum partium dicebatur, quam aliquando diſtinctam a Proconſulatu Galliæ fuiſſe, poſtea hunc illius poteſtate abſorptum & exhauſtum docet. Vicarios etiam Præfectorum Prætorii deſcribit, eorumque ſedem primo Trevirorum urbem, poſtea Arelatum, exciſa illa, exſtitiſſe commonſtrat. Imprimis perſpicuus & illuſtris eſt in *Septimania*; quæ Gothorum in Galliis provincia fuit, uberiori interpretatione, quippe non nominis tantum originem ex Sidonio Apollinare, ſed ſeptenarium etiam provinciarum numerum ſcite

exponit, quod præter Narbonenſis Galliæ poſſeſſiones Gothicas, utramque Aquitaniam cum Novempopulana complexa fuerit, idque nominis etiam poſtea aliquando manſerit, quamvis decurtato numero provinciarum.

Ut vero Marcam Hiſpanicam, hoc eſt, Cataloniam rectius explicare poſſit, libri II prioribus capitibus Hiſpaniæ univerſæ diviſionem cum antiquiſſimam, tum ab Auguſto reformatam proponit, & cumprimis de communi Bæticæ & Tarraconenſis limite multum diſputat, etiam provinciarum novas in *Conventus* diviſiones explanat. Inde Cap. V. ad VIII. ſingulas urbes cum populis perluſtrat, Carthaginem Novam, Hemeroſcopium cum Dianio illius oppidi arce; & Illicem, ac Sætabim, & Lucentum, quam Alicanten probat eſſe; & Edetanorum civitates Valentiam, Saguntum, & Cæſarauguſtam, quarum etiam origines, fata, aliaque monumenta non inexplicata relinquit. Ab VIII capite Iberum transgreſſus, Pyrenen verſus enumerationem dirigit, Dertoſam contemplans, Ilercaonum urbem, & Oſicerdam, ac Tarraconem cum objecta Colubraria inſula, quam male docet a Salmaſio cum Ophiuſa confundi. In Laletanis Barcinonem illuſtrat maxime, urbem antiquis monumentis commendatiſſimam: nec non Betulonem cum municipio Egara, prætermiſſo a Geographis, at ex vetuſtis inſcriptionibus non obſcuro. Sequuntur ab XVIII capite Indigetum urbes, Emporiæ Romanis hiſtoriis notiſſimæ; Rhoda, Juncaria, Caſtulo, Aquæ Vaconiæ: & a tergo Indigetum Auſetani, quorum Auſona, Gerunda, Bæcula fuerunt. Hinc ad interiora ab amne Sicori ad Iberum usque & Aragoniæ finem digreſſus, Ilerdam, Octogeſam, Æſonam ſeu Iſſonam; nec non utramque Calagurrim, tam Naſcicam, quam Fibularenſem, cum Celſa Ptolemæi, & tandem Ripacurcienſem tractum contemplatur.

Tertius liber Hiſtoricus eſt, res geſtas in laudatis locis exponens, & prioribus quidem capitibus Maurorum invaſionem deſcribit, qua Gothorum in Hiſpania imperium ita everſum funditus fuit, ut univerſæ Hiſpaniæ rebus brevi tempore Sarraceni potiti fuerint, ne Aſturibus quidem, aut aliis montanis, ut vulgo creditur, exceptis, qui poſtea demum virtute ſua libertatem recuperaverint. Hinc Martelli, Pipini, Caroli M. cum Sarracenis bella, tum in Galliæ Provincia Gothica, tum in ipſis Hiſpaniis geſta perſecutus, Comitum,

tum, & Vaſſorum, & Valvaſſorum originem, diſtinctionem, conditionemque Capp. VII & VII explanat, & Cap. X quid Campus Martius & Campus Majus in actis Francorum fuerint, perſpicue interpretatur. Sacram quoque controverſiam Felicis Urgellitani de Filio Dei adoptivo Cap. XII non leviter attingit, & Francofurtanam Synodum, quæ Felicem damnavit, in cauſſa etiam Imaginum cum Nicena II conciliare ſtudet, ſed ſatis hoc feliciter, an ſecus, penes lectorem judicium eſto. Rurſus a Cap. XIV. Septimaniam, ſive Galliam Gothicam, pro diverſis temporibus definit, & quantum Aquitaniæ regnum ſub Carolo M. fuerit, quasque complexum ſit provincias, ediſſerit, nec non originem vocis *Langvedoc* ſeu Occitaniæ adjungit. Tandem exauctorationem Ludovici Pii, ejusque cauſam recenſet, hoc eſt, Comitis Barcinonenſis Bernardi majorem in Imperatoris aula potentiam, quam ut regii filii æquo animo ferre potuerint: quibus diviſionem hereditatis inter filios Ludovici, & inde orta bella ſubnectit. Appendix hujus libri religionem Montis Serrati, S. Mariæ Virgini dicatam, ab origine usque enarrat.

Qui ſequitur quantus liber, Stephani Baluzii eſt, ut ſupra diximus, Petro de Marca, interea vita defuncto, in hoc opere ſuccedentis. Continet Chronologiam rerum in his regionibus geſtarum ab anno DCCLII ad MCCLVIII, in quibus multa rara & præclara ſunt tum Comitum & Epiſcoporum in Catalonia & Roſſilione, tum ipſorum Franciæ & Aragoniæ Regum, quæ quod multa & varia ſunt, per ſeriem annorum, quibus acciderunt, diſpoſita, etiam breviore ſtilo, ut ſolet in Chronicis, conſignata; facilius ex ipſo opere relegi, quam a nobis excerpi & in ſummam redigi poterunt.

Sequuntur *ἀνέκδοτα* quædam, quæ Baluzius ſubjunxit, & quidem I. *Geſta Comitum Barcinonenſium*, ſcripta circa annum MCXC a quodam monacho Rivipullenſi, quibus non tantum Barcinonenſium, ut titulus præfert, ſed Urgellenſium etiam, Beſuldunenſium, vicinorumque Comitum res, etiam Aragoniæ & Siciliæ Regum, continentur. Incipit a Comite Gifredo piloſo, qui monaſterium, ad Cataloniæ oppidum Rivipullum, anno Chriſti DCCCLXXXVIII dedicavit: finit in Petri Aragoniæ, & Caroli Siciliæ Regum ſingulari, quam conſtituerant, pugna. II. *Nicolai Specialis libri octo rerum Sicularum*, ex codice Regiæ bibliothecæ deſcripti, a quo auctore multa Maurolycus

Abbas & Thomas Fazellus, Siciliæ rerum ſcriptores, hauſerunt. Initium eſt a Gallorum in Sicilia dominatione: finis in morte Friderici II, qui filius Petri Aragonis fuit, pater Petri, itidem Siculorum Regis. Obiit ille Fridericus, ut idem Specialis notavit, anno MCCCXXXVII, cui Regi ſcriptor noſter æqualis ætate fuit, ut facile patet ex lib. VIII. cap. II. ubi horribile incendium Ætnæ, quod A. MCCCXXIX exarſit, propiore ſe acceſſu, & ſuis oculis conſpexiſſe teſtatur. Quæ ſubnectuntur *Chronica, Barcinonenſe* ab anno MCXXXVI ad MCCCLXVIII, & *Ulianenſe*, ab anno MCXIII ad annum MCCLXXXV, nimis contracta atque brevia ſunt, & neutrum eorum alteram faciem paginæ unius excedit. Denique *Appendix Marcæ Hiſpanicæ* ſubjicitur ſatis copioſa, mole omnia, recenſuimus, cum a Petro de Marca conſcripta, tum a Baluzio ſupperaddita, facile adæquans. Hac continentur eorum, quæ quatuor libris narrata ſunt, integra & genuina documenta, hoc eſt, Pontificum, Imperatorum, Regum, Epiſcoporum, Comitum chartæ, literæ, diplomata & publicæ tabulæ, ut appareat luculenter, qua unumquodque eorum, quæ dicta ſunt, auctoritate atque fide innitatur.

ΦΑΡΜΑΚΟ-ΒΑΣΑΝΟΣ.
Or, the Touchſtone of Medicines.

i. e,

Lapis Lydius Medicamentorum, virtutem Vegetabilium, Mineralium & Animalium in duobus Voluminibus detegens. Autore Johanne Floyero, Equite Aurato & Med. Doct.

Londini, apud Samuelem Smith & Robertum Clavel. A. 1687 & 1691 in 8.

Conſtat plag 51.

UT nobiliſſimam artium Medicam a vulgari opinione, qua conjecturalis proclamatur, Clariſſ. Autor vindicaret, *duobus* his *Voluminibus*, ſucceſſive editis & *partes ſex cum Appendice* comprehendentibus, medicamentorum pariter atque humorum animalium ſaporibus & odoribus evolvendis ſtrenuam navavit operam, ceu quorum adminicu-

miniculo medicamina detegi, humores examinari, ac utrorumque ad ſe invicem convenientia vel diſconvenientia obſervari poſſint ac debeant. *Parte Ima* de Vegetabilium ſaporibus & odoribus in genere ſolicitus, non ſolummodo ſaporum differentiam, principia cum viribus inde dependentibus, ac odores, ſed & qualitates occultas, remedia ſpecifica, diverſos remediorum vires cognoſcendi modos, ac diſcrepantes ſaporum gradus indagat. Ante omnia ſiquidem ſapores in ſimplices & compoſitos, ratione habita differentis texturæ motusque principiorum primorum, diſpeſcit, quatuor ſaltem plantarum ſapores ſimplices aſſerens, aqueum, terreum, oleoſum & acidum, cum non niſi terra, aqua, acidum & oleum principia earum deprehendantur, pro diſcrepante particularum figura & motu diverſimode guſtum aſſicientia. Sapores vero compoſitos, tanquam ſpeciales particularum texturas, ad quatuor revocat genera, prout vel e nonnullis principiorum, uti ſapor amarus, adſtringens, mucilaginoſus, pungens & dulcis; vel e ſapore ſimplici & compoſito, v. g. acris & acerbus; vel e ſaporibus compoſitis invicem mixtis, e. g. nauſeoſus, auſterus & nitroſus; vel ex aliis ſaporibus compoſitis peculiari odore concomitante, uti ſapor aromaticus, fœtidus & naſturtii ſive antiſcorbuticus, proficiſcuntur. Compoſitos tamen hoſce ſapores, reſpective ſimplices denominari poſſe adſtruit, quod ad compoſitos plantarum ſapores efformandos concurrant, qui vel in eodem ſucco, v. g. in terebinthinato amarus, mucilaginoſus & acris; vel in vaſculis & ſuccis diverſis, v.g. in lymphaticis lympha dulcis, in muciductibus mucilago, in lacteis lac vel amaro-acre, vel amaro-fumoſum, vel dulce, in vaſculis balſamicis terebinthina, in partibus parenchymaticis ſive utriculis ſuccus crudus, &c. advertantur; radicibus, caulibus, foliis & fructibus ejusdem plantæ ſapore differentibus, propter ſuccorum digeſtionem, mixturam, texturam & colaturam differentes. Curioſius dein in principia ſaporum indeque dependentes vires inquirens, ſaporem muſcorum, lignorum & corticum a terra, crudum a multa aqua terræ & acido commixta, mucilaginoſum a multa itidem aqua acido & oleo aſſociata, adſtringentem ab acido & terra, amarum, aromaticum & fœtidum ab oleo cum acido & terra combinato & diverſimode exaltato, nauſeoſum ab amaro & mucilaginoſo ſive dulci, pungentem ſive acrem a ſale volatili, dulcem denique ab æquali principiorum mixtura, deducit, variasque tantum non ubivis differentias conſtituit.

ſtituit. Sic adſtringentia v. g. vel aquea, vel amara, vel dulcia, vel aromatica exponit: adſtringentia aquea, e.g. plantaginem, polygonum &c. ob multam aquam in morbis calidis fluxu præternaturali ſtipatis convenire; adſtringentia amara, v. g. corticem Peruvianum, radicem tormentillæ &c. ratione amaritiei ventriculo & mixturæ ſanguinis proſpicere, ratione vero ſaporis adſtringentis particulas febriles e ſanguine præcipitare adeoque utroque modo febribus mederi; adſtringentia dulcia, v. g. filicem, adianthum, vitriolum Martis &c. vulneribus ſuccurrere, fluxus præternaturales cohibere, ac ſanguinis turgeſcentiam in hypochondriaco-ſcorbuticis compeſcere &c. Tum plantarum odore in frigidum, temperatum & calidum diſtincto, odorem frigidum vel terreum in fungis, muſco &c. vel acidum, in acetoſa &c. vel crudum ſive herbaceum in plantagine &c. ob minorem ſuccorum digeſtionem quam in plantis aut fructibus maturis temperatum odorem ſpirantibus ac nutrimenti vice inſervientibus, annotat. Odorem autem calidum vel gratum obſervat, vel ingratum: illum quidem pro diverſa olei rarefactione nunc terebinthinatum &c, vulnerarium, v.g. in ladano ſegeto, nunc aromaticum & cordialem in aromatibus, nunc fragrantem ſumme analeptium in floribus v. g. aurantiorum, jaſmini &c. Hunc vero ſive ingratum, modo ob ſal volatile inſigniter pungere exemplo ſeminis ſinapi, modo ratione ſalis & olei volatilis fœtere in morem vel ſambuci, vel allii, vel olei rancidi, vel papaveris, vel vaginæ ari. Hinc quoad qualitates occultas, licet ſapores & odores a textura ſpeciali propullulent, caloriſque & frigoris qualitates a particularum motu dependeant; nihilominus cum particularum minimarum nec figuræ viſui, nec motus internus tactui aliisve ſenſibus pateſcant, omnium plantarum cunctorumque reliquorum corporum texturas pro occultis qualitatibus æque reputat, ac ea corporum effluvia, quæ in ſenſus noſtros haud incurrunt. Quod vero medicamentorum nonnullorum operationes præ aliis explicatu difficiliores videantur, cauſam partim in corpus animale quoad multas adhuc partes incognitum, partim in medicamenta quoque nondum ſufficienter ſecundum ſpecialem ſaporem compoſitum examinata rejicit. Sic opii quidem gummoſitatem, acrimoniam, amaritiem & fœtorem percipi, quibus corpus animale ſtupidum reddat, operationis tamen hujus modum vix explanari poſſe, niſi ſpirituum animalium natura & motus exacte prius innoteſcant.

teſcant. Interim pro ratione, qua Vegetabilia vires medicamentoſas exerant, uberius inveſtiganda, duo attendi jubet: (1) Plantas ratione ſaporis compoſiti ſpecialem edere operationem, exemplo rhabarbari, ope ſaporis amari, mucilaginoſi, ſubacris & adſtringentis, per inferiora evacuantis, quamvis quilibet ſapor particularis in ſe conſideratus, ſua virtute haud deſtituatur; (2) in quolibet animali diſcrepantiam humorum, qui in diverſis partibus ſecernuntur & excernuntur, intuitu ſaporis, naturæ, digeſtionis & modus ſpecialis, a mechanica corporis ſtructura dependere, ipſaque inter partes organicas adeo elegans artificium intercedere, ut una affecta mox totum corpus notabiliter alterari queat, quemadmodum hyſtericæ ab odoribus ipſis ingratis quotidie experiantur. Sed ad medicamenta ſpecifica accedens, hoc nomine ea inſignit, quæ ratione particularis ſaporis vel compoſitionis ſaporum aut odorum, qua gaudent, longe ſpecialius & efficacius, quam alia remedia, in certos animalis humores operantur; qualia ſpecifica vel purgantia, vel alterantia contraria, ſive ſapore humori alterando contrario inſtructa, vel alterantia amica ſive ſapore cum humore corrigendo convenientia, fuſius explicat. Poſt hæc plantarum virtutes & tactu quoque & viſu generalius explorari poſſe indigitat; tactu namque mucilaginem earum & gummoſitatem, ſuccorum aquoſitatem & veſicatoriorum acrimoniam percipi; viſu autem tum vegetabilium & humorum colores, tum plantarum ſignaturas dignoſci, modo de morbo, v. g. pulmonariam, ſcrophulariam &c. modo de cauſa morbi externa, v. g. doronicum, modo de parte affecta, v.g. nucem myriſticam, juglandem &c. atteſtantem. Pluris tamen methodum adjumento ſaporis vires plantarum ſcrutandi æſtimat, eo quod hæc in partibus & humoribus eaſdem, atque in lingua, affectiones detegat, ac multis inſuper experimentis diverſimode circa ſapores ſpeciales inſtituendis valeat promoveri. E multis ſaporibus, quibus aſſerti veritatem it comprobatum, ſolius acidi in præſenti meminiſſe ſufficiat: hunc frigore, aciditate, acrimonia & aliquali auſteritate linguam afficiendo indicium quidem præbere, quod acida ratione ſaporis frigidi ſanguinem & ventriculum refrigerent, ſitim ſedent ac externe inflammationes repellant, intuitu acrimoniæ aperiant, penetrent & phlegma reſolvant, ratione demum auſteritatis, adſtringentium inſtar, ſed lenius, fluxus alvinos & hæmorrhagias compeſcant; majorem nihilominus acidorum efficaciam

etiam experimentis varie declarari. Ex eo quippe, quod ab acidis lac, bilis & ſerum ſanguinis coagulentur, majorem eorum refigerandi facultatem innoteſcere; quod acida ſalibus volatilibus adverſentur & cum his in ſal mixtum coaleſcant, virtutem eorum diureticam pateſcere; quod acida mineralibus juncta vitriolicum ſaporem producant, de ratione ſimilis ſaporis in ſcorbuticis nonnunquam obvii conſtare; quod acida cum certis concretis frigidam, cum aliis calidam pariant efferveſcentiam, horroris & excandeſcentiæ in nobis cauſam haberi. Saporum denique experientia duce tres ſtatuit gradus: parvum, moderatum & ſummum; amaris v, g. vel parum, vel moderate, vel intenſe linguam afficientibus.

Parte II. Sapores plantarum tum earum, quæ ſponte in Anglia naſcuntur, tum quæ in hortis coluntur aut in officinis aſſervantur, juxta ſeriem alphabeti edocet, potioribus viribus ex Auctoribus adjectis, quo totidem veluti exemplis generaliora partis primæ ſpecialius dilucidentur. v. g. Agrimoniam vulgarem moderate eſſe amaram, ſubacrem adſtringentem, odoremque ſpirare aromaticum; ratione amaritudinis ventriculo convenire, obſtructiones hepatis reſerare, acidumque urinæ in hujus incontinentia corrigere; intuitu ſaporis adſtringentis vulnerariam eſſe, mictumque involuntarium cohibere; ratione denique odoris aromatici refocillare. Primulæ Veris vulgaris folia dulcia & mucilaginoſa marmeladam recentem olere; radicem vero amaram eſſe & acrem, ac pulveriſatam odorem plantæ præ ſe ferre, & ſternutationem æque ac helleborum ciere, it. ratione irritationis, qua gulam ſive fauces vellicat, ſalivam movere & ſtrumas curare. Mirabilem Peruvianam ſolani odore & virtute gaudere; radicem ejus mucilaginoſam, acrem & amarulentam æque ſtrenue ac Julappam purgare, ab hac tamen reſpectu facultatis narcoticæ differre. Scorzoneræ radicem, folia & flores ſapore inſipido, aqueo & dulci frui, refrigerare & nutrimentum præbere; ubi vero vires diaphoreticæ & cordiales deliteſcant, minus patere.

Parte III. qua *Volumen* I finit, ſapores & odores Productorum vegetabilium exhibet, tam naturalium v. g. gummatum, reſinarum, balſamorum &c. quam artificialium, quæ fermentatione videlicet aliisve modis e Vegetabilibus præparantur. Fermentationem omnem, pariter atque vegetationem, ab acidi & olei derivat conflictu, quorum illud

illud cum acido ſulphuris ſive vitrioli, hoc vero cum terebinthinæ oleo coincidat, modo pro efferveſcentia celebranda actualis calor ignis vel externi, vel interni accedat. Acidum quandoquidem & alcali minus diu efferveſcere, ſed mox in ſal tertium degenerare, nec e vino aut cerevifia novellis parumque fermentatis ſpiritum aut ſal lenta deſtillatione acquiri poſſe, bene vero a nimio acido, æque ac ſale fixo, fermentationem impediri. Vice verſa dulcia concreta, v. g. ſaccharum, mel, muſtum &c. ceu ex acido cumprimis & oleo compoſita, promte fermenteſcere, acidumque & oleum calori concitando unice apta eſſe, ac cuncta vegetabilium effluvia odorata oleoſa videri; quamobrem alcalia quoque volatilia, fermentationis producta, ex oleo, acido & terra, ſpiritus autem ardentes ex oleo, acido & ſale volatili cenſet coaleſcere, Reliquarum vero præparationum Vegetabilium optimas reputat eas, quæ omnem eorum ſaporem & odorem, adeoque texturam virtutum radicem, integram conſervant, quales ſunt: Infuſa, Decocta, Succi Syrupi, Pulveres, Olea expreſſa, Emulſiones & Conſervæ. Etenim Tincturas, Aquas deſtillatas, Spiritus, Olea deſtillata, Extracta & Mucilagines de certis ſolum viribus participare; putrefacta vero, calcinata &c. nova plane eſſe mixta, ſalutaria quidem, a plantarum tamen virtute aliena. Interim ut præparationes mox appareant, quæ certis Vegetabilium ſaporibus præ aliis conſervandis conveniunt, dum v. g. ſapores ſabuloſi optime pulveriſatione conſervantur, ab acido vero addito deſtruuntur; e diverſo ſapores lignoſi magis decoctionibus proportionati ſunt, pulveriſationibus autem & deſtillationibus labefactantur, in Catalogo appoſito ſuccincte eaſdem tradit.

Parte autem III. qua *Volumen alterum* auſpicatur, poſtquam multiplicem ſaporum in medicamentis dijucandis utilitatem in Præfatione expoſuit, totus in eo eſt, ut Mineralium partim principia cum Vegetabilium principiis eadem eſſe, partim virtutes a ſimilibus proficiſci ſaporibus, oſtendat. Obſervat proin, ipſa vegetabilia acidum, oleum & terram a mineralibus haurire, cum ſolum, in quo plantæ progerminant, mera mineralium corporum exiſtat congeries, & corallia v. g. lapilli fructuum &c. primum vegetabilia videantur, ab acerbi vero poſtmodum ſucci acceſſu petrefacta mineralia evadant, vice verſa bitumina mineralia faciliime in vegetabilia tranſeant, terebinthinæ exemplo, nec quoad odorem & ſaporem, nec quoad deſtillationis producta

a bitumine diſcrepantis; hinc Hepaticam quoque terreſtrem Petroleum redolere. Neque plura, quam quatuor ſuperius indigitata principia e mineralibus haberi poſſe, talium concretorum commemoratione adſtruit, quæ vel aquam, v. g. terræ & ſalia, vel oleum, e. g. carbo foſſilis, bitumen, vel acidum, v. g, ſulphur, antimonium, vel terram, e. g. lapides, ſuggerant; præter acidum enim non aliud ſimplex ſal dari, cuncta reliqua compoſita eſſe, ipſaque ſalia fixa & volatilia e certa olei, acidi & terræ proportione compingi, Sic lixivia quod aeri libero expoſita, obſervante D. Grew, in ſal primo nitroſum, dein marinum degenerent, ſimulque aliquid terræ præcipitetur, olei tam ſeparationi, quam omnimode evaporationi adjudicat. Mineralium vero & perfectorum ſive metallorum, & imperfectorum, ſalium videlicet, ſulphurum ſive bituminum, terrarum & lapidum principia, ſapores & vires ſpecialibus explicans, aurum v. g; e ſulphure & acido ſumme digeſtis & cum terra quadam lapidea intime unitis venditat coagmentatum; aurum fulminans ejus productum eſſe vitriolicum, inſtar aliorum vitriolorum vomitum & alvum movens fæcesque nigredine tingens; tincturam & flores ſolis itidem de Vitriolo a ſalium tamen additione correcto participare, ideoque non purgare, ſaltem aliquando vomitum ſtimulare, ſed plerumque in modum tincturæ Martis acidum æque, ac crocum ſolis, corrigere. Mercurium metallis annumerat, e ſulphure arſenicali, acido & plumbo coagmentatum, qui in medicamentis naturam alcalinam obtineat, ab acido tamen vel in præparationibus, vel in corpore noſtro accedente, corroſivus emergat & ſerum coagulando ſalivationem concitet, Antimonium e multo acido ſulphureo & terra vitreſcente aſſerit compoſitum: propterea medicamenta antimonialia vel flores ſulphureos v. g. Tincturam, vel acidum continere. uti clyſſum; a mutua vero florum & acidi antimonii miſcela emeticam virtutem dependere, mineralium ſulphure reſinis vegetabilium correſpondente. Corallia & perlas ſapore arenoſo gaudere, ac terendum inter odorem moſchi ſpirare annotat, ratione ſaporis acidum abſorbentes, intuitu vero odoris cordialem vim exerentes.

Parte IV de humorum animalium ortu ſaporeque naturali, analogia inter animalia & mineralia, & medicaminum denique, quæ ex animalibus deſumuntur, ſapore & odore ediſſerit. Scilicet cum animalia e vegetabilibus ulteriori in ventriculo horum fermentatione

magis

magis exaltatis incrementum æque capiant, ac vegetabilia e ſuccis mineralibus fermentatione ſupervenienti magis rarefactis enaſcantur, eadem omnino principia in Mineralibus, Vegetabilibus & Animalibus occurrere, ſaltem ratione diverſæ digeſtionis & mixturæ diſcrepare. Inter humores primum commemorat chylum, qui cum lacte conveniens vegetabilium in ventriculo fermentatorum & in duodeno a bile coagulatorum tenuior exiſtat portio ab inteſtinis ad vaſa lactea tranſcolata. Fermentationis hic autorem agnoſcit acidum tam ſalivæ, quam reliquiarum a priori digeſtione ſuperſtitum, ceu quod cum oleoſis vegetabilium maſticatorum & in ventriculo calefactorum particulis efferveſcendo texturam horum diſſolvat, atque ita præparet, ut a potu aſſumpto & lympha glandularum ventriculi ipſa Tinctura alimentaris extrahi valeat, in duodeno porro a bile coagulanda. Ab amaris proin & amaroacribus, propter acidum oleoſum prompte in ſtomacho ſeparabile, multum digeſtionem adjuvari. Fuſius hinc exponit, quomodo a chyli parte ſeroſa ſerum ſanguinis, lympha glandularum, urina, ſudor, ab oleoſa pinguedo, ab oleoſo-acida ſanguinis purpura, ſpiritus animales, bilis, ſemen, a viſcida demum ſive caſeoſa fibroſarum partium nutrimentum & mucilago in glandulis ventriculi & inteſtinorum, item pro bile viſcida reddenda in lienis & folliculi biliarii glandulis ſeparari ſolita, deſcendere ſoleant. Aſt analogiam animalibus cum mineralibus intercedere animalium humoribus immediate ad ſtatum mineralem reverſis v. g. urinæ ſabulo & calculis e ſale ammoniaco animali & terra enatis, item ſaporibus ſalivæ interdum aluminoſis, ſæpius vitriolaceis, dat comprobatum. Medicaminum denique ex animalibus petitorum ſaporem, odorem & vires excutit, qualia ſunt Sal ammoniacum animalium, ſal volatile, Lac, Caſeus, Butyrum, Adipes, Sperma Ceti, Caro, Viſcera, Oſſa, Inſecta, Stercora, Zibethum, Moſchus, Caſtoreum & Coagulum Vitulinum non inſtar acidi, ſed fermenti vice lac coagulans, v. g. hepar anguillæ pulveriſatum, ceu ob vaſa biliaria amaricans & fœtidum, partum facilitare; albumen ovorum ratione mucilaginoſitatis acrimoniam humorum temperare externeque ophthalmias refrigerare, deſtillationi vero ſubjectum ſal volatile præbere &c.

Parte V, remedia ſpecifica recenſet tam interna, quam externa: internorum Claſſes viginti duas conſtituit, Laxantium videlicet, Purgantium & Corrigentium, Sternutatoriorum, Maſticatoriorum, E-

meticorum, Acidorum, Abſorbentium, Stomachicorum, Hepaticorum, Spleneticorum, Thoracicorum, Cephalicorum, Uterinorum, Cordialium, Diaphoreticorum, Alexipharmacorum & ſudorem impedientium, Nephriticorum & Diureticorum, Arthriticorum, Opiatorum, Lactis proventum augentium & imminuentium, Venereorum, Ophthalmicorum ac Anthelminticorum. Externa vero nempe Coſmetica, Veſicatoria, Cauſtica, Narcotica, Anodynia, Diſcutientia, Repellentia & Traumatica ſub octo comprehendit claſſibus, doctrina venenorum e triplici regno petitorum ſub calcem adjecta, quemadmodum catalogum ſaporum, quorum in ipſis claſſibus eorumve tabulis mentionem facit, præmiſit. In ipſa vero Specificorum enarratione rarius & non niſi ea addit Compoſita officinalia, quæ certo odore certove ſapore pollent; ſimplicia quippe compoſitis anteponit, neque compoſita, ubi his opus fuerit, alia commendat, quam quæ pauciores ſapores tres vel quatuor ingrediantur, ac eosdem ſapores, quos natura conjungere ſoleat, combin. os recipiant.

Parte VI. *& ultima* poſtquam Anatomiam plantarum, quoad horum vaſcula quadruplicia ſuccosque iisdem contentos e Malpighio & Grew prælibavit, novam communicat methodum Vegetabilia ratione ſaporis & odoris, cumprimis in oleoſo ſive terebinthinato vaſculorum ſpecificorum ſucco perceptibilium, in ſumma genera diſtribuendi. Ad hujus quippe normam in genere plantas, quæ oleoſo vaſculorum ſpecificorum ſucco conveniunt, ſub eodem collocat genere, magno compendio tum virtutes earum cognoſcendi, tum diſputationes varias decidendi, v. g. Naſturtium Indicum a flore Conſolidam regalem, a foliis Umbilicum Veneris, a ſcandendi ratione Convolvulum, a ſeminibus Heliotropium videri, prompte tamen ſapore, Naſturtii ſpeciem eſſe, diſcerni. In ſpecie autem plantarum non niſi octo ſiſtit ſumma genera, terrearum nempe, mucilaginoſarum, dulcium, amararum, aromaticarum, fœtidarum, acrium & corroſivarum; acida, acerba & adſtringentia intuitu ſucci oleoſi, quo leviter ſimul amaricant, ad amaricantia auſtera ablegans. Quodlibet enim horum generum reſpectu diverſorum ſaporum compoſitorum aut peculiaris odoris, in certas ſpecies ſubalternas ſubdividit atque exemplis illuſtrat: ſic ſub plantis terreis Vegetabilia arenoſa, lignoſa, lanuginoſa, muſcoſa & terrea perquam fœtida complectitur; plantarum dulcium octo innuit ſpecies, herba-

ceanun

cearum videlicet, frumentacearum, ſubacrium, aromaticarum, ſilicearum, terebinthinatarum, fragantium & fœtidarum &c. Qualem methodum eo præſtantiorem judicat, quod magis Dioſcoridis & Galeni plantarum ſapores & odores annotantium veſtigia premat, omni tempore, quo ſemina etiam, fructus & flores deficiant; in cortice, radice & foliis locum inveniat, magno Medicorum emolumento plantas ſaporibus, adeoque virtutibus conſpirantes, coordinet, ac facilitate demum & brevitate emineat. De exactitudine nihilominus ejuscum exinde dubitari poſſit, quod plantæ etiam diſcrepantibus ſaporibus in diverſis gaudeant partibus, quod plantæ viribus differentibus in multis earum partibus polleant, & quod eædem plantæ pro ſoli differentia differentes ſapores acquirant; triplici huic dubio ita ſatisfacere annititur. Sc. primo pro plantis diſtinguendis non omnem ſaporem ſufficere, ſed eum præciſe, qui prævalet ac ſucco oleoſo ſpecifico ineſt, licet utriculorum ſaccus ejusque in foliis & fructibus alteratio ſimul deſcribi debeant; ubi autem duo vaſcula ſpecifica in eadem planta præſto fuerint; diſtinctionem a ſapore eorum notabiliori ſumendam eſſe. Deinde virtutes varias vel eidem ſapori, vel diverſis ſaporum gradibus, quibus vegetabilium ſucci in multis eorum partibus gaudent, aſſignandas venire. Sapores denique earundem plantarum, quæ vel ſponte in ſylvis proveniunt, vel hortis coluntur, gradu ſaltem, neutiquam ſpecie diſcrepare.

Tandem *Appendice* Animalium & Mineralium ſapores duplici Tabula expreſſos accuratius explanat, multa objiciendo obſervata, quæ ſuperius vel omiſſa, vel obſcurius tradita fuerant.

NOUVEAU TRAITTÉ DU POURPRE, DE LA rougeole & petite verole &c.

i. e.

Tractatus novus de purpura, morbillis & variolis, cui annectitur tractatus de dolore nephritico, calculo renum & veſicæ &c. auctore A. Porſchon, Med. D.

Pariſiis apud Mauritium Villery an. 1688. in 8vo.

continet alphabethum, ut vocant, & philiram unicam.

QUanto magis frequentes, tanto majori neceſſitate & ſtudio pertractan-

tractandi videntur morbi, qui peculiarem tyrannidem exercent in univerſos ſine diſcrimine ætatis, ſexus, perſonarum. Inde hic Auctor occaſionem arripuit diatribes ſuæ, in cujus præfatione promittit ſat magnum numerum remediorum æque facilium, quam felici experimento inſigniter probatorum. Hinc doctos curioſosque exiſtimat hic inventuros, quod ipſis ſatisfaciat, & ſexum ſequiorem facile evitaturum injurias inde ſæpius exurgentes in formæ præjudicium atque detrimentum. Liber ipſe in tres ſectiones diviſus eſt, quarum prima 24, ſecunda 6, tertia 13 articulos continet. Sectio I. agit de cognitione ſeu diagnoſi purpuræ, morbillorum & variolarum. II. Tractat de horum affectuum prognoſi. III. De curatione eorundem. His vero ſubnectitur additio ad medicamenta pro cura dictorum morborum propoſita. Ex ſingulis, quæ forſan notatu digniora, hic inſeremus. Poſtquam Sect. I. artic. 1. trigam memoratorum affectuum conſiderandam aſſeruit Auctor vel inſtar ſymptomatum, vel inſtar criſium in morbis obvenientium, vel, utut raro, inſtar primariorum morborum, diſquirit artic. 2. utrum purpura, morbilli & variolæ ſint ægritudines novæ, an vero veteribus cognitæ? artic. autem 3. concludit, omnino cognitas fuiſſe; ſed mentionem illarum in ſcriptis vel ideo eſſe omiſſam, quod priſci crediderint eſſe vel ſymptomata febrium ſynocharum & malignarum, vel criſes easdem febres inſequi ſolitas. Imo ſi quis prætendat, exanthemata & eruptiones in cute, Hippocratis, Galeni, Aëtii, cæterorumque Græcorum tempore obſervatas, non convenire cum morbillis & variolis modernorum, facillimam & in promptu eſſe litis compoſitionem. Diverſitatem ſcilicet regionum, vivendi rationem aliam, virtutem aſtrorum particularem, aliasque demum cauſas externas & internas utrobique ponderandas eſſe. Porro art. 4, 5, & 6. quid per purpuram, morbillos & variolas intelligatur, ex mente variorum auctorum explicatur, ſubjuncta art. 7. cujusvis brevi deſcriptione, art. 8. autem traditur, quomodo purpura ab ulceribus & lentigine, aliisque ſimilibus differat. A variolis deinde & morbillis quomodo hæc diſtet, artic. 9. vel inde apparere ſtatuitur, quod illi affectus tertio aut quarto poſt febrim critice & ſalutariter prodeant; hæc vero ſeptimo adveniens fere ſemper ſymptomatica & periculoſa ſit. Atque hoc ideo contingere putatur, quia febris iſta maligna purpuram præcedens magis lenta ſit, ejusque principium ſe extendat ad diem 7. unde excretiones eo tempo-

re ſi-

re prodeuntes non poſſint eſſe criticæ. E contrario variolas & morbillos cum febre acuta incipere; hinc excretiones non ſolum 3. aut 4. die, ſed 1. etiam & 2 criticas exiſtere. Art. 10. differentiæ reliquæ horum affectuum a ſubſtantia, quantitate & qualitate deſumptæ proponuntur. Artic. 11. in originem purpuræ inquiritur, aſſerendo, illam ſubtiliſſimæ parti humoris putreſcentis & corrupti natales debere. Oriri autem putredinem ab aëris conſtitutione varie perverſa, ita ut ſiccitas nimia ſuam eo ſymbolam conferat, atteſtante Livio, qui L. I. decad. 4. Romam h. m. peſtiferæ cladi ſubjectam fuiſſe memoret. Artic. 12. cauſa inveſtigatur morbillorum & variolarum, quam Arabes imparitatem ſanguinis menſtrui, quo fœtus in matrice deliteſcens nutriatur, aſſeruerunt. Atque hoc quidem vel ideo factum creditur, quod Rhaſis ſanguinem infantum inſtar vini recentis quaſi ebullitione quadam depurari tradiderit, ac præterea experientia exploratum habeatur, pauciſſimos hominum ab hoc morbi genere exemptos. Infantes ſæpe bis vel ter eo affligi, quin & adoleſcentes, ac demum decrepitos aliquando iſthoc malo premi. Ut nihil dicatur de fœtibus vix in lucem editis, & ſtigmate hujus morbi affatim ſignatis. Accedit, quod judicio optimo Hippocratis L. de natur. hom. morbus plures eodem tempore afficiens communem cauſam præſupponat. Jam vero nihil huc trahi in cauſæ talis officium poſſe, niſi vel aër ſit, vel ſemen, aut ſanguis menſtruus. Non aërem, quia omnes eodem non fruimur; quidam ſcilicet puro, quidam impuro & corrupto, ac pro climatum diverſitate utuntur. Non ſemen, quod hoc fontem aperiat morbis hereditariis, omnemque vitam durantibus. E. neceſſarium omnino eſſe, ſanguinem menſtruum huc accerſere. Artic. vero 13. Mercurialis opinio, hereditario quaſi traduce hos morbos propagari arbitrantis, recenſetur ac refellitur. Artic. 14. Fernelio malignitatem aeris accuſanti certo modo Auctor aſſentitur. Quamvis enim cauſam proximam morbillorum ac variolarum ſtatuat exiſtere in ebullitione, putredine & determinata humorum corruptione nihilominus hanc ex corruptione aeris, impuritate ſanguinis menſtrui & vitiō alimentorum profluere exiſtimat, id quod fuſius paulo probare annititur, ac articulo 15. cauſas externas & remotiores ſubjungens, aërem, balnea frequentiora, exercitia violenta, & imprimis contagium memorat. Artic. 16. non ſine prævia aut comite febre hos affectus oriri, atque artic. 17. eam non ſemper ſynochum putri-

dam, ſed interdum naturæ peſtilentialis participem, quandoque tertianam ſimplicem, vel duplicatam continuam eſſe oſtenditur. Art. 18. ſigna purpuræ, & 19. variolarum ac morbillorum exponuntur. Cum vero morborum horum ſigna ſint communia, differentia in eo notatur, quod in morbillorum acceſſu inquietudo colorque major, & vomitio ob moram bilis in ventriculo longiorem moleſtior, artuum vero laſſitudo paulo mitior ſit: in variolis quoque majori pruritu & dolore ægri vexentur ſub eruptione, quam in morbillis. Artic. 20. 21. 22. 23. 24. de tempore, quando affligant, item de ſignis cauſarum, de partibus affectis, etiam internis, & de confluentia variolarum mortem ut plurimum, vel ad minimum ulcera maligna, oſſium cariem, viſus abolitionem, formæ fœditatem &c. producente agitur. His ita præmiſſis Sectio II. inſtituitur de prognoſi circa purpuram morbillos & variolas formanda. Art. 1. deſcribuntur maculæ purpureæ, item variolæ tam ratione quantitatis, quam qualitatis, ut appareat quæ bonæ, aut malæ, quidve ſpei aut metus inſinuent. Art. 2. quid ex pulſu varii generis, item febre prævia, nunc ſubſequente queat colligi, indicatur. Art. 3. urinam quidem nihil certi in purpuræ morbo portendere traditur; cocta tamen ſi conſpiciatur, cum encoremate laudabili, eoque conſtanti per plures dies, & paulatim ad vitri fundum deſcendente, ſalutem certo prænunciari. E contrario ſecuturæ mortis argumentum deſumi, ſi urina pinguis inſtar olei, aut nigra, vel livida, vel magna copia circa febris decrementum prodeat. Art. 3. de ſudorum incerto præſagio circa purpuram agitur, & art. 5. de alvi fluxu aſſeritur, hunc utiliter contingere, ſi malignitas dominetur; nocivum eſſe, ſi putredo ſit major. Art. 6. delirio perſeverante, tremore manuum & linguæ, quod mortem hæc inferant; item de ſurditate & ſternutatione in ſtatu morbi bona, dolore vero ſtomachi & ructibus frequenter moleſtis, item de appetitu plane dejecto, malis breviſſime dicitur. Tandem ad III. ſectionem devenitur, quæ curationem purpuræ, morbillorum & variolarum ſiſtit. Art. 1. declaratur, indicationes in purpura eſſe deſumendas a febribus iſtis malignis & peſtilentialibus, quarum ſymptoma ordinarium illa eſt. Cumque liberanda tum ſit natura ab onere opprimente, ſive hoc ſanguis ſit, ſive humores ſint, horum vero corruptio ab aere plurimum dependeat, hinc artic. 2. ejus correctio varie docetur inſtituenda: v. g. ſi nimis calidus aer deprehendatur, refrigerandum eſſe transfuſione frequenti aquæ frigidæ

gidæ ex uno vaſe in aliud, item humectando conclave aceto vini vel aqua roſarum, aut herbas & flores refrigerantes ſpargendo, e. g. fol. vitis, ſalicis, nymphææ, fl. roſarum, violarum, & poſtea eodem articulo, quomodo nutriri debeat æger purpura laborans traditur. Inter alia ſuadetur pro potu ordinario uſurpari decoctum hordei & tamarindorum cum pauculo cinamomi, aut aquæ ſaccharo & citro infectæ Cujuscunque autem generis potus eligatur, admiſcendas illi eſſe tres aut quatuor guttas ſpiritus vitrioli aut ſulphuris, Nam hos ſpiritus virtutem poſſidere refrigerandi, aperiendi, reſiſtendi purtedini & inflammationi humorum, imo ſitim extinguendi. Artic. 3. diætæ ratio in variolis & morbillis obſervanda fuſius exponitur. E cibis maxime interdicuntur ova & carnes, item fructus horæi, & quicquid acre, ſalitum, pingue & dulce eſt: conceduntur moderate frigida & adſtringentia. Pro potu ordinario commendatur aqua ſaccharata aut decoctum hordei, aut acetoſæ, vel raſuræ eboris aut cornu cervi, addito ſirupo limon. q. p. item ptiſana cum hordeo mundato & glycyrrh. parata, in qua bullierit una vel altera uva Damaſcena, aut aliquid ſirupi limon. vel granatorum admiſtum fuerit, Febri autem intenſius ſæviente, extinguatur aliquoties lamina auri vel fruſtum chalybis in decocto hordei, additoque citri aut granatorum ſucco præbeatur. Cæterum ſi alvus forte clauſa ſit, recurrendum eſſe putatur ad clyſteres & ſuppoſitoria. De venæ ſectione autem artic. 4. notatur, quod in principio purpuræ, & antequam appareant maculæ, non tantum, ſed etiam poſt eruptionem illa ſub certis conditionum legibus adminiſtranda habeatur. Idem jubetur art. 5. in morbillis & variolis. Et quamvis Fernelius, Riolanus, Ambroſius Pareus ſub vel poſt eruptionem nullo modo venam ſecari admittant, neceſſarium tamen hoc omnino eſſe judicatur, ſi febris tunc temporis advertatur magis acuta, ægrotus majori torqueatur inquietudine & reſpirationis difficultate, urina craſſior & magis rubra, ac ſymptomata graviora deprehendantur. Art. 6. poſt ſatis repetitam ſanguinis miſſionem ventoſæ vel ſiccæ, vel ſcarificatæ in natibus, ſcapulis, dorſo &c. item frictiones frequentes in extremitatibus cum panno aſpero laudantur. Non parvæ quoque utilitatis veſicatoria celebrantur, ſi malignitas & ſymptomata graviora urgeant, collo, brachiis, inter humerum & cubitum, item natibus &c. applicata. Verum cum cantharides hoc fine adhibitæ veſicæ vim inferre ſoleant, adde commode jubetur ſemen

ammios in pulverem redactum. Si ſuſpecta ſit venæſectio, reſpectu e. g. infantum aut temporis, ſcarificationes ſubſtituendas eſſe aſſeritur in humeris, natibus &c, idque etiam in morbi ſtatu, cum naturæ motum promoveant. In infantibus tamen non debere profundas fieri monetur, quod ſanguis calidus & bulliens tanto forſan impetu efflueret, ut ſiſti vix queat. Art. 7 & 8 de purgatione tam in purpura, quam variolis & morbillis inſtituenda diſſeritur, quoad tempus, remedia & modum. In hiſce autem ſingulis affectibus non niſi ante macularum eruptionem alvum moveri, & ſi durante morbo hæc occluſa ſit, clyſtere ex jure aut lacte eam ſolvi; abſoluto autem toto morbi circuitu purgationem ordinari jubetur. Art. 9. ſudorifera in ſtatu & declinatione purpuræ utilia prædicantur, modo ſint minus calida, e. g, card. bened. regina prati, ſcordium &c. Salia autem abſynthii, ſcabioſæ, nec non antimonium diaphoreticum plus caloris habere judicantur. Inter alia ſudorem moventia medicamenta ſequens primo loco ſtat: Rec. aquæ cardui bened· reginæ prati a. ℥ij. ſucci limonum ℥j Theriacæ ʒß ℈ij. vel ʒj. M. Art. 10. pro faciliori variolarum & morbillorum cura, ſi natura in expellendo ſegnior advertatur, varia ſudorifera, ſed maximam partem decocta, & in his lentes commendantur. Art. 11. cordialia cum hactenus præſcriptis medicamentis exhibenda ſuadentur, quo malignitati & putredini ſpecifica proprietate reſiſtant, qualia ſint rad. penthaphylli, tormentillæ, carlinæ, folia ſcordii &c. item pulvis ex corall. rub. raſura eboris, cornu cervi, & pulvis bezoardicus. Art. 12. pro virium conſervatione juſcula cum herbis varia & quædam medicamenta; præ omnibus vero vinum vetus laudatur vel odore ægrotum reficiens. Art. 13 quomodo variis ſymptomatibus obviam eundem edocetur, ſi ſcilicet hepar, lien, inteſtina, renes, pulmones, collum, oculi, nares, facies a variolis obſideantur. Ex reliquis duo notamus tantummodo: ſcilicet in oculos, ſi illi impetantur, ſæpius inſtillandum eſſe columbarum ſanguinem, & faciem ipſam, ne cicatricibus aut foveis fædetur, tali ſanguine e vena ſubalari extracto & calido eſſe lavandam. Ex infinitis autem remediis ad formæ elegantiam a variolarum veſtigiis præſervandam varia recenſentur ſelecta nobilioribus e ſexu ſequiori inſervitura, e. g. oleum vitellorum ovi, pinguedo vervecina recens fuſa ſeu liquefacta, aqua mille florum, aut fimi vaccini menſe Majo deſtillata, axungia humana, item aqua peculiaris deſcripta &c. quibus

bus omnibus vel inungi, vel etiam lavari facies præcipitur. In additamento ſeu Mantiſſa remediorum præter alia communicantur tria in gratiam formoſiorum, quæ infallibilia venditantur pro pulchritudinis theſauro conſervando: (1) lardum vetus q. p. infigatur extremitati baculi, vel immittatur batillo focario ignito & accendatur, ut guttæ decidant in pelvim frigida repletam, Poſt coagulationem colligatur, & in alia aqua frigida ſæpius mutanda pluries lavetur, adhibendo tandem aquam roſarum & plantaginis, poſtque admiſceatur pauculum ceruſſæ. Hoc unguento poſt eruptionem puſtularum, & quando ſuppurari incipiunt, ægri facies fricanda tota eſt, ſuperimpoſita deinde paropide ex linteo optimo. Sic ſuppuratione facilius facta pruritus mitigatur, & cruſtis decidentibus foveæ nullæ remanent. (2) Fundatur leni igne ſeu ſtilletur lartum recens in patinam figulinam vernice obductam ſeu vitreatam, capiantur ejus accurato pondere ℥iij. agitentur diu cum aqua roſarum & plantarum, & in fine adjiciatur ℥j. ſanguinis columbæ & vitelli ovi, redigantur omnia in ſubſtantiam uniformem, & eum pluma applicetur hoc unguentum bis in die tepide univerſæ faciei. Notandum tamen ejusmodi remedia nunquam adhibenda, niſi poſt nonum vel decimum diem, expulſione ſcilicet puſtularum omni perfecta. (3) Poſt caſum ſquamularum ſeu cruſtarum pomada ſequens commendatur, quæ non tantum foveas a puſtulis relictas explendo cutim reddat æqualem, ſed & a rugis faciei ac mammarum, nec non aliarum partium a puerperio deformitatem contrahentium præſervet: Rec. 40. vel 50. pedes vervecinos biduo vel triduo ante plenilunium. Confracti bulliant in ſ. q. aquæ, & quod ſupernatabit colligatur. Huic adde ſperm. ceti duas vel tres drachmas, pinguedinis porci recentis & butyri recentis non ſaliti a. ℥ij, Liquefiant omnia in olla vitreata, & ſic unica refigerentur, hinc laventur aqua roſarum ad perfectam albedinem, ac tandem ſerventur in vaſe vitreo pro uſu. Bene facerent, inquit Dn. Auctor, hoc medicamento uſuri, ſi plura fruſtra pellis d' Occagne præparata faciei vel aliis partibus a rugis præſervandis applicarent. Præparationis tamen modum tanquam ſecretum ſibi reſervat.

Qui annexus eſt tractatulus de renum & veſicæ calculo, in duas abit ſectiones, Utraque ſcinditur in tria capita, quorum I. de diagnoſi ſeu cognitione calculi vel in renibus, vel in veſica; II. de prognoſi,

& III de curatione agit. Singulis capitibus ſui ſubjacent articuli, quos ſingulatim recenſere merito ſuperſedemus. Arctis enim brevitatis liminibus circumſcribuntur, ut ægre citra totius lacerationem quicquam liceat extrahere. Quædam tamen in hoc compendio cumulantur, quæ forſan lectionem videntur meritura.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΤΗΣ ΔΙΑΝΟΙΑΣ σχημάτων· καὶ περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων. α. β. &c.

i. e

Alexandri *de figuris Sententiæ atque Elocutionis libri II. cum* Phœbammonis *de Schematibus oratoriis Scholiorum libris duobus*, *&* Minuciani *de ſedibus argumentorum libro Græce, cum verſione Latina & notis* Laurentii Normanni Prof. Reg. Upſalienſis.

Upſaliæ excudit Henricus Keyſer, 1690. in 8. Plag. 13.

QVis Alexander hic, librorum περὶ τῶν τῆς διανοίας σχημάτων; καὶ περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων auctor ſit, inter eruditos adhuc diſquiri ſolet. *Conradus Geſnerus* in Bibliotheca ſua Univerſali eum Alexandrum Aphrodiſienſem, ſummum Philoſophiæ Ariſtotelicæ inſtauratorem eſſe, arbitratur. At clariſſimus editor, vir Græce doctiſſimus, *Laurentius Normannus*, in notis hic ſubjectis, argumentis non obſcuris haud alium eſſe, quam qui Numenii filius, ὁ Νουμηνίου σοφιστής a Suida adpellatur, probat: qui, ut ipſe ex Julio Rufiniano rhetore antiquo colligit, Aquilæ itidem rhetoris σύγχρονος, ac adeo ævo Antoninorum floruerit. Siquidem parens ipſius, Suida teſte, παραμυθητικὸν Ἀδριανῷ εἰς Ἀντίνοον ſcripſit. Cui quum Hypotheſes item περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων *Suidas* tribuat, aut ſimillimum & maxime geminum, aut hoc ipſum fortaſſe filii ſcriptum intellexiſſe, laudatus modo *Normannus* noſter conjicit. Hic vero Aldinum exemplar Græcum, quod præ manibus habuit, tum emendavit, tum nova interpretatione illuſtravit, notasque ſub finem adjecit eruditas. Cui propter cognationem argumenti, *Phœbammonis* Σχόλια περὶ σχημάτων ῥητορικῶν ex editione Aldina, in qua nullum præſcriptum fuerat nomen, adjunxit,

junxit, eadem argumentis haud contemnendis autori dicto vindicans, verum an is Hermogene ſit antiquior, definire haud auſus, probat, poſt diviſum veteris novæque Romæ Imperium vixiſſe, ac gente Ægyptium & quidem Alexandrinum fuiſſe. Id dubio caret, eum profeſſione fuiſſe Chriſtianum: quia *lib*, 2. *p.124*. S. Paulum, θεῖον ἀπόςολον, (allegando 1. Cor. X. 10) adpellat. Tandem nominatis jam duobus rhetoribus comitem dat *Minucianum*, qui libro περὶ επιχειρημάτων, argumentorum inveniendorum rationem brevi, ſed exquiſita bonarum rerum fruge ac copia referto libello, operis majoris ἀποσπασματίῳ, ſummatim complexus eſt. Is licet in Aldinorum Rhetorum opere ultimum teneat locum, ingenio tamen & arte neutiquam poſtremus eſt. Patre Nicagora Sophiſta Athenis natus, Gallieni Imperatoris ætate vixit. Synopticæ Rhetoricæ autor eum hoc elogio ornat: Μινουκιανός ἐκεῖνος, ὃν ἔφην, ὁ τεχνογράφος, φύσεως θείας μετεσχηκώς. Mentionem quoque ejus *Photius Cod. CCXLIII* facit honorificam. Præclare igitur de bonis literis & antiquis ſcriptoribus Græcis meretur *Cl. Normannus*, qui non tantum Rhetores laudatos Græcos emendate publicæ iterum luci expoſuit; ſed alia etiam Græca ſcripta prælo parata habet, quæ ut Orbi Erudito communicet, merito optamus.

MEMOIRES DU SIEUR DE LA CROIX CONTENANS diverſes relations de L' Empire Othomann.

i. e.

Relationes diverſæ de Imperio Othomannico, auctore Domino de la Croix.

Pariſiis apud A. Cellier 1684, in 12. Plag. dim. 83.

DEſcriptionem hanc Imperii Othomannici ex diariis ſuis compoſuit nobiliſſimus Auctor, cum Legato extraordinario Regis Galliæ Marchioni de Nointel ad Imperatorem Turcarum, anno 1670 & ſequentibus, ab epiſtolis eſſet. Tractationem totius Operis duobus voluminibus, undecim vero epiſtolis ad amicum ſcriptis complexus eſt, præmiſſa explicatione vocabulorum linguæ Turcicæ in libello ocurrentium. Vol. I. *Epiſtola prima* iter ex Gallia per Archipelagum, adventum Legati

gati in inſula Melitenſi, ejus receptionem a Magno Ordinis Magiſtro factam, adjuncta delineatione urbis & munimentorum, tunc abitum & appulſum ad inſulas Tenedum & Chium, item ad propugnacula Imperii Turcici *Dardanelles* dicta, in fine adventum in metropolin, magnificum ingreſſum Legati in illam, & primum ejus congreſſum cum Gubernatore urbis Conſtantinopolitanæ *Kaimmakam* dicti deſcribens. Qua occaſione notat, naves transportantes Legatos Regis Galliæ, in tranſitu regiam ſedem Imperatoris Turcici, *Serraglio* dictam, exploſione tormentorum bellicorum non ſalutare; tametſi hæc ſpecies quædam ſubmiſſionis a Legatis, ſi navibus hanc ſplendidiſſimam ſedem Imperatoris prætervehant, aliis exigatur. *Secunda epiſtola* iter Legati Adrianopolin verſus, ubi nunc temporis Monarcha Turcarum venationibus operam dabat, exponit, cum recenſione eorum, quæ in congreſſibus Legati cum Magno Viſirio, deinde Imperatore ipſo, tum primo ſacrorum Turcicorum Antiſtite, & Gubernatore Urbis notatu digna ſeſe obtulere, non prætermiſſa accurata recitatione omnium ſolennium & ceremoniarum, qua exactiſſime etiam in hac aula in receptione legatorum obſervari ſolent. Tandem hanc epiſtolam enarratione ceremoniarum, in feſto *Bayram* dicto, quo jejunium quadrageſimale Turcarum finitur, coucludit. Reverſus cum legato Conſtantinopolin Auctor, *epiſtola tertia* urbis hujus palatia, templa, ædificia publica, ſedem Imperatorum, Boſphorum Thracicum, caſtella maris nigri, columnam Pompeji, quam tamen perperam hoc nomine inſigniri ait, cum Cæſari Auguſto, ut ex inſcriptione videndum, dicata ſit,) aquæductus & balnea, accurata deſcriptione exhibet. Quæ cum de urbe retuliſſet ad amicum, porro de regimine & politia Turcarum, de ſumma auctoritate Magni Viſirii, de diſciplina militari & civili, de cœca obedientia ſubditorum erga Imperatorem, & de viribus Imperii Ottomannici, (quas quidem exiguas admodum & deminutas eſſe aſſeverat) *epiſtola quarta* refert; de Magno Chamo Tartariæ, quatenus ille Imperio Turcico obnoxius ſit, quædam adjiciens. *Epiſtola quinta* iter ſecundum Legati Adrianopolim, & ejus negotiationes cum Magno Viſirio, tum qui apparatus bellum cum Rege Poloniæ anno 1672 geſtum in aula Turcica anteceſſerint, & qua pompa & magnificentia ipſe Imperator cum toto exercitu in expeditionem profectus ſit, quantus militum numerus, quid in expugnatione Caminecii contigerit, memo-

morantur, quibus in fine rebellionis in urbe Tripoli eodem anno ortæ motus annectuntur. *Epiſtola ſexta*, ab amico monitus, in deſcriptione Regiæ Sedis Conſtantinopolitanæ mentionem Imperatricis & fœminarum illic habitantium factam non fuiſſe, prolixa narratione reſpondet, quæ habitacula ſint Imperatricis, quæ fœminarum aliarum, qui miniſtri, quæ mulierum harum vivendi ratio, qui ritus nuptiales Imperatoris, quæ ratio mutuæ ſalutationis inter Imperatorem & matrem ejusdem, quis modus faciendi preces, & quæ quotidianæ occupationes Magni Imperatoris ſint. His ſubjungit finem negotiationis Legati Gallici in aula Turcica, additis articulis fœderis pacti. Cum his ipſis poſtquam miſſus a Legato Auctor in Galliam fuerat, ut ratificationem Regiam adferret, redux Conſtantinopolin, *Voluminis ſecundi Epiſtola prima* ad amicum refert, quid eo in itinere ſibi obtigerit, cum deſcriptione inſulæ Scii & urbis Smirnæ, quas in itinere ſalutaverat. Reliquam epiſtolæ partem hiſtorica relatio de origine Magni Viſirii tunc temporis Rioprulli, ejus varia fortuna, promotione ad ſupremum miniſterium ſtatus, familia, miniſtris & ſumtibus, ut & reditibus occupat. Annexa eſt enumeratio præcipuorum miniſtrorum Imperii, cum expeditionibus cuique convenientibus: ſub finem de adventu Legati Regis Angliæ, & quid notatu dignum in negotiatione ejusdem fuerit, amicum certiorem reddit. *In ſecunda epiſtola* de ceremoniis circumciſionis filiorum Imperatoris, Muſtaphæ & Hamet, agit Auctor; ubi ſermonem de ſpectaculis & feſtis eodem die celebratis, de donis Principibus circumciſis non ſolum a ſupremis imperii miniſtris, ſed ab omnibus artificum & opificum ſodalitia oblatis, de itinere principum per urbem, & inſequutis nuptiis Muſtaphæ Baſſæ cum filia Imperatoris; & quæ in illis obſervatu digna fuerint, inſtituit. In *tertia epiſtola* exhibetur hiſtorica deſcriptio provinciarum Moldaviæ & Walachiæ, de nominatione & inveſtitura Principum, de receptione illorum a ſubditis, quas leges, quam formam gubernandi obſervent, quæ caſtra, qui miniſtri, quanti ſumtus & reditus illorum ſint. Et cum in epiſtola prioris Voluminis *quinta* de bello Turcico cum Rege Poloniæ ad amicum quædam perſcripſiſſet Auctor; hinc poſterioris Voluminis *quarta* de adventu Legati Polonici ad aulam Turcicam, de qropoſitionibus ejus concludendæ pacis cauſſa, de articulis pacis, & quæ huc pertinent, illum certiorem reddit. Mox cauſſas nati belli inter Ducem Magnum Moſcoviæ & Imperatorem

Uuu Tur-

Turcarum literas hinc inde ſuper hoc bello ſcriptas, profectionem exercitus Turcici, conjunctionem cum Tartarorum copiis, obſidionem & expugnationem caſtelli Czegrim, cladem Turcarum & res afflictas eorundem exponit; ſtrategema Magni Viſirii, qui a Moſcorum militum ſupremo præfecto ruinam exercitus centum millibus Ducatorum redemerit, ſimul referens. Tandem *epiſtola quinta* & ultima de falſo Meſſia Judæorum *Subbathi Sevi* integram concinnat hiſtoriam; ejus ortum, ſtudia, itinera, conjugium cum fœmina quadam *Mirjam* dicta, & cœcitatem Judæorum hunc deceptorem recipientium depingit. Hinc Turcarum metum de ſeditione Judæorum, captivitatem falſi Meſſiæ, ejus apoſtaſiam & tandem mortem in carcere enarrat; qua occaſione, de religione, fide, ceremoniis, feſtis diebus, jejuniis, nuptiis & ſepulturis Judæorum non pauca lectu non injucunda apponit, totum hoc opuſculum indice rerum & verborum concludens.

INSTITUTIONES GRAMMATICÆ ANGLO-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ, auctore Georgio Hickeſio Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Oxonii e Theatro Scheldoniano 1689. in 4. Plag. 46.

QUalem jamdudum Eruditus Orbis deſideravit, & *Thomas Mareſchallus*, Collegii Lincolnienſis in Academia Oxonienſi, dum viveret, Rector clariſſimus promiſerat, Grammaticam Anglo-Saxonicam atque Gothicam, *Georgius Hickeſius* tandem laudando ſtudio compoſuit publicique juris fecit. Cum enim vir hic doctiſſimus deprehendiſſet, antiqua Saxonum Gothorumque monumenta, quorum in Anglia inprimis haud exigua copia hodieque ſupereſt, a Theologis æque ac Jureconſultis & Philologis legi merito debere; pauciſſimos vero eſſe, qui ſine Grammaticæ adminiculo facere id ſeu velint, ſeu cum ſucceſſu poſſint: id laboris in ſe ſuſcepit, ut linguam, quam barbaram & incultam plerique putant, ipſe vero diſertam & ad elegantiam Græci ſermonis aſpirantem laudat, certis diſciplinæ regulis ſubjiceret. Sed de hoc inſtituto ſuo ipſe in præfatione uberius diſſeruit, harum rerum ſtudioſis omnino legenda. Cæterum Grammaticam hanc, de qua in compendio plura dici non poſſunt, excipiunt in eodem hoc volumine

TAB. VIII.

TAB. VIII.
Ad Supplementorum Sectionem X. pag. 523.






Fig: 2.

tria adhuc opuſcula alia. 1. *Runolphi Jonæ* Rudimenta Grammaticæ Islandicæ, A. 1651 Haſniæ jam edita, ſed quibus nunc Dictionariolum ab *Hickeſio* noſtro concinnatum acceſſit. 2. Catalogus veterum librorum Saxonicorum atque Gothicorum, tum qui typis exſcripti ſunt (quorum quidem illos, qui a *Joſſelino*, *Somnero*, *Mareſchallo* & *Junio* editi fuere, puros ac emendatos; reliquos vero omnes, etiam quos *J. Seldenus* & *H. Spelmannus* ediderunt, mendoſos prodiiſſe, in Præfatione Autor noſter monuerat) tum qui in Bibliothecis, Angliæ inprimis, manuſcripti magno ſatis numero aſſervantur. 3. *Eduardi Bernardi*, celeberrimi ſæpiusque nobis laudati viri, Etymologicum Britannicum, e Diſſertatione, quam de Orbis Eruditi Litteratura apparat, decerptum; quod ſpecimen tale eſt, ut Diſſertationem integram non poſſint non docti omnes quam avidiſſime expectare.

PRAXIS NOVA ET EXPEDITISSIMA GEOMETRICE menſurandi diſtantias, altitudines & profunditates, auctore P. Stanislao Solski, Polono, Societatis JEſu.

Cracoviæ, ex officina Franciſci Cezari 1688. in 4. plag. 17. Schematum Tab. 16.

QUem in ſcenam produxerat doctiſſimus S. J. Pater Solskius *Geometram Polonum*, operationes practicas ſine uſu acus magneticæ & regulæ proportionum facillima ratione expedientem, illum habitu Romano circumdatum denuo in lucem emiſit, ut ad ſtudioſos Geometriæ Polonici idiomatis ignaros ipſi quoque pateret aditus. Nova autem menſurandi praxis, quam ille docet, quinque hujus libelli partibus explicatur. *Prima* præmittit problemata de formandis lineis, angulis & figuris, breviterque perſtringens incommoda inſtrumentorum, quibus vulgo Geodætæ utuntur, exponit fabricam tabulæ tam *ſimplicis* quam *diviſæ*, nec non dioptræ cum pinnacidiorum novorum genere, ex quatuor conſtante chordis, quæ dum decuſſantur, duos angulos acutos efformant. (Vid. Fig. 1.) *Simplex* tabula nihil aliud eſt, quam tabula quadrata, ex quatuor quadratulis minoribus compoſita: ex ſimplici vero fit *diviſa*, ſi quadratulorum latera in centum partes æquales diſtri- TAB. VIII.

 buan-

buantur. Pars *ſecunda* uſum tabulæ ſimplicis & diviſæ explicat: *tertia* vero continet conſtructionem & uſum *tabulæ artificialis*, in quam tabula diviſa mutatur, ſi pars ejus dimidia, quæ duo quadrata complectitur, inſternatur lamina nobili easdem diviſiones habente. (Vid. fig. 2.) Transfert autem doctiſſimus Autor inſtrumentum parallelarum ad novum uſum, dum unum ejus latus illud, quocunque etiam genere tabulæ utatur, lineæ fiduciæ adplicat, alterum vero ita diducit, ut longitudinem quæſitæ lineæ in quadratuli latere abſcindat. (Vid. fig. 3.) In *quarta* parte docetur, quomodo tabulæ ligneæ ſimpliciſſimæ, quam *aſſerculi* nomine vocat Autor, adminiculo omnes dimenſiones Geometricæ poſſint perfici, necnon quomodo *trium baculorum* ope, qui compoſiti triangulum rectangulum conſtituunt, quamplurima quæſita Geometrica in campis reſolvantur. *Quintam* denique partem complent problemata, quibus dimetiri licet altitudines per *umbram diurnam ac nocturnam*, non tantum extenſam per planum horizontale, ſed & fractam in plano verticali. Singulæ autem propoſitiones, quæ in univerſum ſunt 59, non ſolum demonſtrationibus confirmantur, ſed tanta cum perſpicuitate quoque proponuntur, ut facillime poſſint intelligi, præcipue ab illis, qui uſum Quadrati Geometrici & Menſulæ Prætorianæ habent perſpectum.

JOHANNIS GOAD, ANGLI, ASTRO-METEOROlogia Sana, ſeu Principia Phyſico-Mathematica, quibus mutationem aëris, morborum epidemicorum, cometarum, terræ motuum, aliorumque inſigniorum naturæ effectuum ratio reddi poſſit.

Londini, apud Samuelem Tidmarſch. 1690. 4. plag. 24.

QUæ in *Actis Eruditorum* Anni 1687, p. 22. ſeq. a nobis commemorata ſunt *Aſtro-meteorologica*, Clariſſimus eorum Autor, antequam Anno 1689 de vita decederet, in compendium contracta, Latino ſermone, exterorum in gratiam, denuo propoſuit, perſuaſiſſimus hanc cœleſtium contemplationem non ſolum animum pariter atque oculos erigere lætoque paſcere ſpectaculo, ſed varias quoque utilitates redundare poſſe in genus humanum, ſi aſtrorum vires rite inveſtigentur.

Quam-

Quamobrem nauticæ quoque rei peritos orat, ut in longo ſuo marino otio impendant potius tempus, quam fallant; nec arte ſua ad privatorum quæſtum tantum, ſed bonum publicum utantur; cui poſt propagationem religionis Chriſtianæ melius conferre non poſſint, quam aëris mutationes diligenter annotando, ut tandem ars Aſtrologica perfectior evadat: ipſisque majori cum voluptate id facere poſſint, certas regulas præſcribit. Cæterum opuſculum ipſum in duas partes commode tribuere licebit, quarum *prima* de ſubjecto & materia meteororum diſputat; ſtellis tam errantibus qam affixis influxus ſuos vindicat, varios modos, quibus Planetæ caloris & frigoris viciſſitudines producant, affert; præcipue vero de aſpectibus non ſolum in univerſum, ſed ſingulorum quoquo Planetarum inter ſe & cum fixis, agit; tandemque ſuſpiciones Coſmicas de fixarum & partium Zodiaci, nec non de Horizontis & Meridiani viribus proponit. *Altera* pars per præcedentis doctrinæ principia rationem reddere conatur inſigniorum aliquot naturæ effectuum, diſſerendo de natura & qualitatibus menſium anni, de morbis epidemicis & peſte, cometis, terræ motibus, fulmine & fulgure, maris fluminumque motibus & inundationibus, ventisque tandem & tempeſtatibus. Quos vero aphoriſmos de rebus jam dictis in medium profert, eorum veritatem diligentiſſimis accuratiſſimisque multorum annorum obſervationibus expertum ſe eſſe Cl. Auctor affirmat, nec Chymicum ullum foco aſſidentem diligentius avidiusque unquam excubuiſſe notandis obſervandisque variis ignis gradibus, & arcani χρυσοποιητικȣ͂ diverſis coloribus mutationibusque, quam ipſe in naturæ cœleſtis varietatibus aërisque viciſſitudinibus perſcrutandis invigilaverit. Provocat autem, ſicubi brevior eſt, ad majus ſuum opus Anglicano idiomate editum, ex illoque repetit conſilium de Profeſſore Aſtrologiæ Lugduni Batavorum conſtituendo, quod tanquam *ex nimio fervore dictum culpaſſe* Cl. Auctori viſi ſumus, cum illud l. c. recenſeremus. Enim vero mentem hanc a nobis alienam fuiſſe, facile intelliget, quisquis verba noſtra inſpicere non gravabitur.

AVERIGVACIONES DE LAS ANTIGVEDADES de Cantabria, Autor el Padre Gabriel de Henao, &c.

ſive,

Cantabriæ Antiquitates luci reſtitutæ, autore P. Gabriele de Henao, Valdoletano, Theologo & Magiſtro Scripturæ S. in Regali Collegio Societatis Jeſu in Academia Salamanticenſi.

Salamanticæ, ap. Eugenium Antonium Garciam. 1689. fol. Plagul. 121.

ORdinis ſui primipilum ac fundatorem, *Ignatium Loyolam*, (cui & ampullis pleniſſima dedicatione liber hic inſcribitur) peculiari honoris genere mactaturus Autor, patriam ejus Cantabriam ſcriptis ſuis clariorem reddere, ipſiusque hiſtoriam & antiquitates a ſilentii caligine vindicare ſibi propoſuit. Utut vero haud inficietur, terram hujus nominis latiores fortean fines olim habuiſſe: hac tamen appellatione nunc tres illas potiſſimum provincias, propiori Magiſtrum iſthunc ſuum jure attingentes, comprehenſas vult, *Guipuſcoam* puta, *Biſcaiam* & *Alavam*: quarum prima nempe natale ſolum, reliquæ duæ majores ac proſapiam ipſi dediſſe celebrantur. Et Guipuſcoam quidem quod attinet, ſatis conſtat, eam Ignatio patriam contigiſſe: cum hodienum in oppido *Azpeytia*, (ſub cujus nempe diſtrictu Loyolana Domus ſita eſt,) & templum Divi Sebaſtiani & baptiſterium ejus, in quo ſcilicet iſte ſacrum recens natus lavacrum ſubierat, hoc nomine a gravidis certatim frequentari feratur, ſuos ibidem partus boni ominis ergo ſacris initiari exoptantibus, imo & plerumque ipſos Ignatii Ignatiæve nomine vocare geſtientibus. Quin & ſupereſt ibidem ipſum nobilis illius familiæ de Loyola palatium, *la Santa Caſa* nunc appellari ſolitum, quod eum in hanc lucem primum editum ſuſcepit: quodque non ita pridem, anno nempe 1681, ab ultimis ejus poſſeſſoribus, Ludovico Henrico de Cabrera & Tereſia Henrica Velaſca de Loyola, Marchionibus de Alcannizas & Oropeſa, per ſollennem ceſſionem translatum fuit in Dominam MARIANAM Auſtriacam, hodierni Regis Hiſpaniæ matrem. quæ dein anno ſequenti illud porro ceſſit Patribus Societatis Jeſu, pro fundando illic Ordinis ſui collegio; reſervato tantum ſibi, & poſt mortem ſuam Regi filio, ejusque in regno ſucceſſoribus, jure Patronatus, repetitaque denuo conditione, quippe quæ & priori illi ceſſioni annexa fuerat, ne ſcilicet

ſcilicet ullum pro futuri Collegii fabrica parietem demoliri fas eſſet, ſed antiquis hujuscc domus muris, ob vetuſtatis venerationem illibatis, cōntigua modo ædificia adjungere & excitare liceret. Biſcaiam vero & Alavam quod concernit, operoſe evoluta iſtarum hiſtoria genealogica clare deducit Autor, Ignatium ex earum familiis nobilitate antiqua conſpicuis maternum genus derivare; cujus etiam rei notitia inter incolas iſtorum tractuum ſparſa, id effeciſſe ſe Noſter prædicat, ut Status Biſcaiæ anno 1680, habita ſolenni diæta, Sanctum hunc in provinciæ ſuæ Patronum adoptarent, feſtumque ei quotannis die 5. Novembris celebrandum dedicarent, confirmatione hujus rei ab Innocentio XI & Sacra Rituum Congregatione, impetrata: quale quid a Guipuſcoanis jam tum anno 1610 fuerat factum: ut adeo dubium fere ſit, majorine officii genere Loyolam ſuum, propter conciliatos noviter tot cultores atque clientes, an vero Cantabriam ob illuſtratas tam egregie ipſius Antiquitates, ſibimet devinxerit Autor: quanquam & ipſe profiteatur, in iſtius potiſſimum honorem, totum hunc laborem a ſe ſuſceptum fuiſſe; de cujus etiam hiſtoria non pauca commemorat particularia, pleniorem tamen ejus notitiam deſiderantes remittit ad largius P. Franciſci Garciæ opus de vita, virtutibus & miraculis Sancti Ignatii conſcriptum.

Præſentem huncce Librum Autor in *quatuor Tomos* diſpeſcere conſultum duxit, quorum Primus dicatur antiquiori Catabrorum hiſtoriæ, a ſummis inde temporibus, quibus Hiſpania incolis habitari cœpit, per totum annorum tractum, quo Romani in ea imperium tenuere; *Secundus* deſtinatur rebus in Cantabria Gothorum dynaſtia durante geſtis; *Tertius* iis, quæ Maurorum ævo ibi contigerunt; *Quartus* denique recentiori quodammodo hiſtoriæ, ſub Regibus nempe Legionis Comitibus item Regibusque Caſtellæ, eousque donec hæc provinciarum triga Caſtilienſi tandem coronæ incorporata fuerit. Utut autem impræſentiarum non niſi *primus* exhibeatur *tomus*, Clariſſimi e Societate Jeſu ſæpiusque laudati nobis Viri, *Danielis Papebrochii*, beneficio ad nos delatus; aſſeverat tamen Autor, & reſiduos omnes jamjam elaboratos in promtu eſſe, quantocyus publicandos, cum compererit, iſthunc a bonis bene acceptum fuiſſe: de qua quidem vix erit dubitandum, cum & ſingularis induſtria hoc in opere adhibita, & materiæ, hactenus nempe non niſi parciſſime ab aliis pertractatæ, raritas

ritas plurimorum facile applauſum impetrare poſſe videatur. Ac ſane certum éſt, de regionibus his, quod antiquiora maxime tempora concernit, parum aut nihil conſignatum literis ſupereſſe, cum gens hæc, perinde ac aliæ plures fortitudini ac militaribus exercitiis magis, quam ſtudiis humanioribus deditæ, præclara facere, quem ſcribere maluerit: exteri vero ob barbaros incolarum mores non auſi ſunt oras has ibive geſta penitius explorare, notitiamque adeo, quæ commentariis concinnandis ſufficere potuiſſet, ſibi comparare. Et hinc cum neminem Noſter habuerit, maxime circa primordia hujus nationis & remotiora ſecula, primo hocce libro comprehenſa, cujus veſtigia hac in materia legere potuiſſet, conſarcinandum ipſi undiquaque fuit, quicquid apud priſcos ſcriptores, & in Romana inprimis hiſtoria, ſparſim de Cantabris traditum extat: quæ nempe cuncta indiſtincte tribus illis Hiſpaniæ provinciis accommodare non dubitavit, proteſtatus tamen, ſe per hoc nullum reliquis præjudicium facere velle, ſi quæ partem de rebus iſtis ſibimet vindicare præſumant; quandoquidem conſtet, Guipuſcoam, Biſcaiam & Alavam, (tractus puta recentioribus demum ſeculis iſta nomina, quorum ratio etymologica *cap.54.55.56.* operoſe redditum, ſortitos,) non poſtremam Cantabriæ portionem conſtituiſſe, quamvis probabile ſit, ampliorem Hiſpaniæ partem ejus quondam appellationis fuiſſe participem. Non pauca tamen inſuper, quæ tractatui huic inſereret, ex archivis partim publicis, partim privatis amicorum ſcriniis corrogaſſe ſemet profitetur, utut exoptatis pauciora, dum plura hujuſcemodi ſibi promiſerit, quam impetraverit. Cum vero, ceu dictum, ſigillatim compilare cuncta, & in cumulum ex variis autoribus congerere oportuerit, hinc non commode licuit juſtam & filo continuo decurrentem nulliſque interruptam hiatibus hiſtoriam contexere: contentuſque adeo fuit, materias ſparſim occurrentes ſeparatis capitibus tractare, tali quidem ordine, qualem aut temporum ſeries, aut commodior argumentorum connexio efflagitare viſa eſt. Ac ne interſectus tot autorum allegationibus diſcurſus ingratior lectori videretur, utque uniformi magis dictionis genere conſtaret, adducta autorum loca (quorum numeroſa nuſquam non comparens caterva de inſigni ejus πολυλεξίᾳ affatim teſtatur,) in ipſo contextu ubique Hiſpanico ſermone expreſſit; ipſis citationibus verbiſque Scriptorum Latinis ac authenticis ſub finem cujuſque capitis rejectis; quorſum etiam relegavit notas

notas ac digreſſiones varias hiſtoricas atque philologicas, quas pro occurrentis materiæ ratione paſſim facere viſum ipſi fuit. Cæterum non diſſimulat Autor, ſcriptum hocce ſuum non de panegyrici minus, quam de hiſtoriæ natura participare, dum non nude res geſtas referre, ſed ſubinde oratoriis amplificationibus extollere videri queat: proteſtatur tamen, ſalva ubivis rei veritate id a ſe factitatum eſſe, cui nempe inanibus ornamentorum lenociniis nil quidquam detractum voluerit. Et fatendum omnino eſt, ipſum non parum ingenii oſtendiſſe in exſculpendis quacunque ex occaſione Cantabrorum ſuorum laudibus: dum argute varia Autorum teſtimonia, obiter quandoque tantum de iis prolata, ſuos in uſus vertere iſtorumque encomio accommodare ſcivit. Jam ut de potioribus capitum hujus libri contentis adhuc nonnulla breviſſime dicamus; ſub initium inquirit Autor, quando primum habitatoribus inſtrui cœperit Cantabria: ubi rejecta opinione Alphonſi de Cartagena, Epiſcopi Burgenſis, Hiſpaniam jam ante diluvium incolas nactam ſtatuentis, contendit, Tubalis auſpiciis primitus coli hominibusque frequentari haſce terras cœpiſſe: cujus rei veſtigia hodienum reſidua innuit in variis locorum nominibus, Armenicam quadantenus originem ſapientibus. Proximis capitibus perſequitur colonias a Cantabris quondam in alias orbis partes emiſſas: in Hiberniam puta, Corſicam, Iberiam Aſiaticam, nec non Britanniam, quæ ipſa nempe hujus rei memoriam in *Cantabrigiæ* ſuæ nomine ſervaſſe perhibetur. Sicuti inter conjecturas, de Hibernia a Cantabris quondam habitata, & illud refertur, quod familiaris adeo nobilioribus ejus regni viris titulus *Onel* vel *Odonel*, nonnunquam plane in merum *O* abbreviari ſolitus, derivatus videatur a Vaſconica voce *Oneen*, quæ *Optimum* ſonet. Sed & in aliis terrarum tractibus inveſtigandis ſtrenue collata a Cantabris opera Cap. 4. extollitur. Sic ſub rege Caſtellæ Henrico III, circa annum 1393, Biſcaiani & Guipuſcoani memorantur detexiſſe Canarias; pariter a nave quadam Biſcaiana Columbus primam de America hauſiſſe notitiam dicitur; quin & famoſa illa navis *Victoria*, quæ terrarum orbem prima totum circumire auſa eſt nauclerum habuiſſe traditur Guipuſcoanum, nempe *Joannem Sebaſtianum del Cano* ex civitate *Guetaria* oriundum. Porro *Cap. 5.* inter Cantabriæ prærogativas & illud recenſetur, quod in horrenda illa annonæ inopia & ſiccitate, quæ circa annum Mundi 2888 univerſam Hiſpaniam

migrare coactis paſſim incolis, afflixiſſe narratur, pluviis per 25, vel ſecundum alios, per 29 annos penitus ceſſantibus; (quos dein continui per triennium imbres exceperint,) Cantabria tamen per hoc habitatoribus haud nudata fuerit, ut reliquæ pleræque provinciæ, dum alumnum ejus flumen Iberus, nunc *Ebro*, pariter ac in Andaluſia Bætis ſeu *Guadalquivir*, ab exſiccatione immunitatem habuerit. *Capite 6. & ſequentibus* compluribus, Autor varia geſta & egregia Cantabrorum facinora pertractat, ac ſecundum potiores circumſtantias expendit, quibus in bello Hannibalis cum Romanis, aliisque dein præliis, Pompeji primorumque Cæſarum Romanorum ævo habitis inclaruere: qua occaſione non exigua lux accenditur antiquæ Geographiæ, dum Autor hiſtoria id ferente, ſedulo, & integris quandoque capitibus, inquirit in verum ſitum locorum a priſcis Scriptoribus memoratorum, & quænam hodie oppida iis reſpondeant: v. g. ubi Juliobriga ſteterit, portusque Victoriæ, *c 10.* ubi Cantabria urbs, quam ab Auguſto everſam nonnulli tradunt, & num talis unquam extiterit, *cap. 15. ſequ.* ubi Segeſama, *c. 17.* Vellica, *c. 18.* Mons Vinnius, *c. 19.* Arracillum, *c. 21.* Mons Medullius, *c. 22.* quænam Flaviobriga a Veſpaſiano fundata, ac num ei reſpondeat ſitu hodierna *Bermeo*, *c. 37.* num vero *Bilbao c. 38.* vel *Ordunna*, ant Fontarabia, aut *Portugalete*, aut *Urdiales? c 39.* tanta enim caligo priſcam non raro Geographiam obſidet. Cæterum quicquid de debellatis ab Auguſto Cantabris plerique dicant, noſter dubiam valde ejus rei fidem facit *c. 27.* aut ſaltem hancce ſuam Cantabricarum provinciarum trigam a jugo Romanorum liberiorem perduraſſe contendit, ejusque rei argumentum inter alia allegat pertinacem iſtic linguæ Vaſconicæ retentionem; cum alias ditiones devictæ plerumque victorum ſermonem adoptaſſe deprehendantur. De priſcorum quoque Cantabrorum religione Autor nonnulla in medium affert *c. 30.* quos licet ab omni ſuperſtitione abſolvere non audeat, ſtatuit tamen Craſſioris iſtius idololatriæ, gentium plerisque familiaris expertes, nude Deum ἄγνωϛον coluiſſe; mentionemque ſimul facit legationis cujusdam, quam ab Hiſpanica natione ad Salvatorem noſtrum miſſam, pro impetranda evangelii apud ſuos prædicatione, nonnulli volunt, trahentes illuc textum *Joh. 12. v. 20.* ubi de Græcis Chriſtum viſere exoptantibus agitur. Porro quamvis ipſam Cantabriæ deſcriptionem geographicam in Librum hujus operis IV. diſtulerit: non omiſit

miſit tamen interim varia notabilia & privilegia, primarias ejus civitates, Bilbao, Bermeo, Fuente-Rabia concernentes commemorare, a *cap.* 42. usque ad 48. Denique non erudita minus, quam lectu jucunda ſunt, quæ de ferreis priſcarum quarundam gentium nummis *c.* 7. de Crucis imagine jam olim a Cantabris inſignium loco adhibita, *c.* 28. *ſeq.* de Inſcriptionibus variis in Cantabria repertis, *c.* 40. & 41. de famoſa illa quercu prope Guernicam, (quæ & ipſa abſolute *arbor de Guernica* vulgo audit, ſub qua nempe olim Biſcaiæ Domini nudato pede ſiniſtro ſuis juramento ſe obſtringere juſſi fuerunt, & hodienum diætæ generales Biſcaianorum celebrantur, unde & per arborem illam ſignificata quibusdam creditur, quam Biſcaiæ inſignia lupo lupaque ſtipatam, repræſentant) *cap.* 60. *ſq.* nec non de pluribus aliis talismodi materiis ad hiſtoriam & philologiam facientibus afferuntur: quorum ſuavitate deguſtata, plurimi dubio procul reſiduorum etiam hujus libri tomorum editionem feſtinandam nobiſcum anxie exoptabunt.

RELATION UNIVERSELLE DE L'AFRIQUE Ancienne & Moderne. en quatre parties, par le Sr. de la Croix.

hoc eſt:

Deſcriptio Africæ Antiquæ & Hodiernæ, quatuor partibus diſtincta, autore Domino de Cruce.

Lugduni apud Thomam Amaulry 1688. in 12. Tomi IV.

Conſtat Alphab. 4. plag. 9.

HÆc Africæ deſcriptio non æqualiter in Partes & Tomos diſtributa eſt, ſed Partium diviſio materiam ſequitur: Tomorum diſpenſatio commoditatem voluminum, adeo ut pars prima in Tomum ſecundum; & Pars ſecunda in Tomum tertium excurrat: in cujus medietate incipit Pars tertia, quæ in quarum etiam Tomum quartum. Partes rurſus in Libros, libri in Capita, hæc in Sectiones diſpeſcuntur. Pars Prima de regione Alborum Africanorum; ſecunda de Nigritarum terra; tertia de Æthiopia utraque, Superiore & Inferiore; quarta de Inſulis circa Africam tractat. Præmittitur generalis theoria

Terreſtris Globi ſecundum Circulos,Zonas,Climata, Umbrarum differentias: nec non quatuor majorum partium,Europæ,Aſiæ,Africæ,Americæ, ſecundum limites,ſitum,tempeſtates, etiam incolarum mores ac ingenia, quantum de illis in univerſo judicare licet.

Primæ Partis liber primus *Ægyptum* deſcribit, & Inferiorem quidem, ſive ad mare vergentem, a finibus Barcani regni per Nili oſtia progrediendo, ubi Alexandria cum veteri Pharo & Bibliotheca; Bochiris ſive Buſiris; Roſette cum herba Loto; & Foa, ac aliæ urbes illuſtrantur. Aliter autem nobiliſſimus Autor tripartito Ægyptum, quam veteres, diſtinguit. Ptolemæus Hebdanomidem, & Strabo Mediam inter Delta ſive Inferiorem,ac Thebaidem ſive Superiorem locaut: Noſter ſuam Mediam ita a latere apponit Inferiori, ut Damiatam, quæ in Peluſii, maritimæ urbis,ferme loco eſt,adſcribat Mediæ; Memphim vero & Pyramides, quæ veteribus in Media ſunt, ad Superiorem referat. In Memphitico tractu urbem ampliſſimam Cairo commendat, quam quadripartitam facit, Bulac,quæ portum in Nilo continet: Caraſam ſive Maſſar, quæ palatia habet: Veterem urbem in ruinis, Chriſtianorum & Armeniorum habitaculum: & tandem Magnam Cairo, de cujus amplitudine, vicorum, platearum, portarum,turrium numero multa ibidem recenſet. Digreditur hinc ad Balſami, arboris odoriferæ deſcriptionem, quam contra Plinii, Strabonis, Dioſcoridis & aliorum ſententiam, negat in Palæſtina aut Syria primigeniam fuiſſe, quod propria Arabiæ Felicis, & in ea Meccanæ & Medinenſis regionis ſit; unde ſacra illa peregrinatione, quam ad ſepulcrum Mohammedis ſuſcipiunt Cairenſes, in Ægyptum quoque deferatur: in Judæa autem primum viſam, quum Regina Sabæa Salomoni eam dono tuliſſet. Addit de uſu ejus in medicina, nec non de aliis odoriferis, Moſcho, Tamariſco & ceteris, quarum in Ægypto copia ſingularis ſit. In eodem Cairenſi tractu oppidulum aut pagum Matarеam laudat, ubi Mariam cum puero Servatore exulaſſe, multorum ait conſenſu probari, qui rudera etiam domunculæ, & fontem oſtendant,quibus ſancti illi exules, Herodem fugientes, uſi credantur, Prope inde ruinas Heliopoleos diſtare, in iisque obeliſcum hieroglyphice inſcriptum ſupereſſe commemorat. Interjecta Pyramidum deſcriptione, Mumias, & qua condiuntur, pollincturæ materiam examinat, nobilium cadavera a plebejis ex elegantia vel incuria diſpoſitionis ac ordinis diſtin-

diſtinguens. De lampade etiam inexſtinguibili, in Memphiticis ſepulcris reperta, & hujus occaſione de ſimilibus lucernis Romanorum diſputare inſtituit. Varia deinde, quæ reſtant, commiſcet, inſulam Nili Michiam, & Gezam oppidum prope Pyramides; & Suez emporium ad ſupremam Sinus Arabici oram: & auſtrum verſus plura oppida ac obeliſcos; & tandem Aſnam in alia Nili inſula, quæ Siene eſt veteribus. Variis quoque arboribus ac herbis explicatis, tempeſtates anni pro illo Climate definit, Ver nempe per Januarium & Februarium bimeſtre: Æſtatem primam & peregrinis noxiam per Martium, Aprilem, ad ſolſtitium usque: inde Æſtatem ſecundam & tolerabiliorem usque ad Auguſti finem, quo Autumnus incipiat, qui Septembrem & Octobrem abſumit: a quo reliquum menſium, November & December, hibernis temporibus relinquatur. Pergit Autor ad linguam antiquam gentis, quæ Coptica dicatur, nec hodie pura ſuperſtes ſit, ſed variis linguis, Arabica, Græca & aliis permiſta, & hæc quoque rara in Ægypto, in vernaculæ uſum Arabica ſuccedente. Hieroglyphicam ſcripturam poſt Cambyſis incurſionem ceſſaſſe credens, argumentum inde pro Mumiarum antiquitate ſumit, quod hieroglyphico charactere tam ciſtæ earum, quam involucra conſignata videantur. Hinc ad imperandi formam progreſſus, & vetuſtiſſimum ſtatum, & qui ſub Ptolemæis fuit, & ſub Romanis, ac ſub Caliphis & Sultanis, breviter exponit, quibus ordinem magiſtratuum Turcicorum, in Ægypto hodie conſtitui ſolitorum, adjungit. De religione antiqua gentilium præfatus aliquid; quæ noſtris temporibus ibi vigeat, in Mohammedanam, Chriſtianam, & Judaicam diſtinguit, ita ut Mohammedana prævaleat, Chriſtiana non unius ſectæ, ſed Catholicorum, Jacobitarum, Georgianorum, aliorumque ſit. Tandem de Lacubus & Nilo agit, in illis duos potiſſimum commemorans, qui Alexandriæ in auſtrum ſubjacent: De Nilo Kircherum cum Voſſio committit, nec ipſe, quod certum ſibi videatur, ſuperaddit.

Ejusdem primæ Partis libro ſecundo Autor *Barbariam* percurrit, & quantum primus adhuc Tomus capit, regnum Maroccenſe cum Feſſano perluſtrat. Generatim mores, reditus, potentiam, limites contemplatus, urbis Marocco tum ſitu, tum magnitudine oſtenſa, ad ſingulas regni provincias, Hea, Sus, Duquelle, Gezule & ceteras converſus, principalium quoque urbium, utut Europæis incogni-

cognitarum, rationem habet, quarum enumeratione Lectorem non ſatigabimus. Pariter in regno Feſſano, poſt metropolim Fez ſive Fes, provincias ſubjectas narrat, quarum præcipua, & ipſa Fez cognominata, ad Oceanum urbem Salée teneat, Europæorum quoque fœderibus notam. Cætera provinciarum nomina Asgar, in qua Larache; Habad ſub mediterraneo mari, cujus Arzilla, Tanger, & Ceuta ſunt; Errif, in qua Pennon des Velez: ac Garet, ubi Melilla eſt, quæ urbes in ora maris ſitæ, Hiſpanici juris, excepta Tingi ſive Tanger, adhuc fuerunt.

Tomus ſecundus continuat Barbariæ regnorum enumerationem, hoc eſt Algeriani, Tunetani, Tripolitani. Sub Algeriano etiam Telenſinum cenſetur, cujus metropolis Tremeſem ſive Telenſin, Arabibus Telimiſen, laudatur. In provinciis Algerianis, quarum XVIII cum *Gramaye* Geographo numerantur, præcipua cenſetur, quæ nomen regiæ Alger ſervat, quam urbem Autor non delineat modo cum munimentis ſuis, ſed incolarum etiam mores & conſuetudines; nec non imperium deſcribit, quod varium fuit pro diverſis temporibus. Si enim Alger Cæſarea Mauritaniæ eſt, ut Autori & aliis multis videtur, Romanæ olim ditionis fuit, quibus Saraceni eripuerunt, nomen quoque urbis pro ſua lingua commutantes, in quorum poteſtate manſit, aliquando Telenſino regi ſubdita, poſt Principi cuidam Arabum, cui famoſus pirata Barbaroſſa edemit, cujus frater, Hiſpanorum potentiam veritus, in Turcorum fidem ac clientelam ſe, urbem, & regnum dediſſe vertur, quum Maximilianus Imperio in Germania præeſſet; quamvis Turcis in eam exigua poteſtas ſit, quod cives libertatem magnam contra quoscunque tueantur. Deinceps alias urbes, Algerianis ſubjectas, Autor noſter recenſet, ut ſunt Gigeri, Gallorum mercatura quondam nobilis: Conſtantina, olim Cirta dicta; & Bona, Hippo Regius antiquis, Auguſtini epiſcopalis ſedes. Hiſtoriam ſubnectit bellorum contra Algerienſes geſtorum, ſub Carolo V. infeliciter, ſubmerſa claſſe, & terreſtri quoque clade accepta; & nuper a Gallis felicius, coacta civitate bombardarum tormentis, ut duris conditionibus pacem acciperet. De Tunetano regno Autor refert, eandem fere, quæ Algeriani, nunc formam ſub Turcorum imperio eſſe, ad quos delata tandem Tunis ſit, quum Caliphis antea, deinde Mauroccenſibus, poſtea propriis regibus ſubfuiſſet. Hiſpanos omnibus viribus laboraſſe, ut Turcos inde repel-

repellerent, & Carolum V. rege Muley reſtituto, Guletam etiam, urbi vicinum caſtellum, præſidio tenuiſſe. Sed Muleyum a filio dejectum, novam materiem tumultuum fuiſſe, quibus Turci tandem invitati omnes Hiſpanos expulerint. Aliæ hujus regni urbes, Napoli di Barbaria, Cammart, Ariane, Porto Ferino, Suſa, Mahomete, & Cairoan, quæ ſedem aliquando Caliphis præbuit, memorantur.

Tripolitanæ urbis ſimilia fata narrantur. Poſt Romanos Saracenis ſubditam vel Mauroccenſi regi, vel interdum Tunetano paruiſſe. Seculo ſuperiori captam a Petro Navarro, reſtitutam a Carolo V. invaſiſſe prædonem Barbaroſſam, cui rurſus ademtam ab eodem Carolo Imperatore, donatamque S. Johannis Equitibus, Turcos ſub medium iſtius ſeculi occupaviſſe, qui Baſſam quovis triennio regundæ civitati mittant, cujus autem poteſtas perinde ac apud Algerianos & Tunetanos, populi libertate reſtringatur. Provinciæ & urbes Tripolitanis ſubjectæ, per Cyrenaicam, Barca, & vicinas regiones, deſertas pleraſque inveſtigantur, præter litorales urbes, a portubus commendatas, ut Bon Andrea (vetus Apollonia) Trabucho, Luco & aliæ ſunt. Subjuncta eſt deſcriptio pyrobolicæ obſidionis, qua Galli nuper Tripolim, & revertentes inde Genuam Italiæ afflixerunt, extorquentes utrique urbi duriores pacificationes.

Liber tertius Partis primæ de *Biledulgerid*, ſeu interiore Numidia & vicinis regionibus agit. Nam ab Oceano incipit, quem provincia Sus attingit, ſed alia ab illa, quæ ſupra in Barbaria appellabatur. Ab hoc in ortum recedunt Dara, Tafilet, & propria Biledulgerid, cum deſertis Zahara & Zanhaga, quorum illud Libyæ nomine antiquis Latinis ſignificatum dicitur. Et tantum de prima Parte.

Eodem ſecundo Tomo Pars ſecunda de *Nigritis* initium ſumit, & primo quidem libro de iis agit, qui circa flumen Nigrum late ab utraque ripa habitant, ut in Guinea mediterranea, regnis Tombut, Guber, Agader, Cano, &, quæ regio notior eſt, Nubia, ab Nilo rigata, cujus caput olim Tenupſis, nunc Dangala perhibetur. Nubienſes Chriſtiani eſſe dicuntur, Alexandrinum Patriarcham cum Habeſſinis, quorum moribus congruant, venerantes. Secundo Partis ſecundæ libro litorales Nigritæ recenſentur, ut Zeloſes inter Nigri brachia, quorum regi minores reges circa Viride Promontorium & Flumen Gratiæ ſubjecti ſunt. Obſcura inde regna narrantur usque ad Sierra Lionis, qui altiſ-

ſimus

ſimus mons & regioni nomen dat, in qua Batavi, Angli, Dani negotiantes loca quædam poſſident. Sed clarior in hiſce litoralis Guinea, & in ea poſt Quojæ regnum Litus Aureum in primis celebre, quod itidem Autor in regna diviſit, quorum tantum caſtella quædam & munita ab Europæis loca nominamus, Takorari, Caboco[r]ſo, de la Mine, cujus obſidionem, qua Hollandi Luſitanis ademerunt, copioſis verbis recitavit. Addita ſimilis expugnatio caſtelli Cormantin. Capite V. hujus libri animalia, fructus, metalla hujus regionis explicantur, cum repetitione eorum, quæ a Batavis in hoc litore poſſidentur, quibus & alias nationes Europæorum adnumerari oportet. Cætera in his litoribus regna, Arder, Benin, & provinciam Amboſinen, juxta inſulas hujus nominis, quod minus nota ſunt noſtris, ſufficiat ſolo nomine indicaſſe.

Tertia Pars Operis Tomo tertio fere medio incipit, & in quartum Tomum narrationem profert. Prior ejus Partis liber *Æthiopiam* Superiorem ſive Habeſſiniam; poſterior Inferiorem explanat. Habeſſinorum imperium, quod quondam ampliſſimum fuit, in IX vel X regna ab Autore dividitur, quibus totidem ferme Provincias adjungit, quæ regni nomine careant. Nobiliſſima ex his ſunt regnum Gojam ſive Goſcham, quod Nilus fere circumfluit: & Amhara rupibus, regum fratres quondam cuſtodientibus, ut fama eſt, nobile: Xaoa, & Damot, in quibus Jeſuitæ ſua collegia & eccleſias poſſidere dicuntur. Horum mentione excitatus Autor in tempus inquirit, quo primum Romana Eccleſia ejusque Pontifex Habeſſinis innotuerit. Suſpectam ait quibusdam legationem ad Eugenium IV. eſſe, Concilii Florentini temporibus, tanquam ideo a Latinis confictam, ut Græcis perſuaderent, tam longe, late, in Æthiopiam usque Pontificis auctoritatem patere. Noſter primas ab Habeſſinis in Italiam allatas literas tradit ad Clementem VII, anno 1533. per Franciſcum Alvarez: inde usque commercium aliquod cum hac gente exſtitiſſe. De Niliaca inſula Meroë rejicit cum Voſſio eorum opinionem, qui ipſum regnum Gojam, Nilo fere circumfluum, antiquorum Meroen interpretantur. Inde ad Gallas, Habeſſinorum hoſtes progreſſus, originem illorum ex Judæis & a Salmanaſſaris temporibus ducit, ſilens, qua id fide aſſeveretur. Claudit librum diſſertatione de animalibus, plantis, fructibus, tempeſtate regionis: item de moribus gentis, de lingua, de religione, quam Chriſtianam

num & probam eſſe tuetur, non obſtante circumciſione, quæ liber ritus in hac gente ſit, non Judaicum ſacramentum.

Libro ſecundo Partis tertiæ Æthiopia Inferior, ſive reliquum Africæ exhibetur, & primo quidem quæ in latere Occidentali ſuperſunt regna, Lovango, Goy, Congo, Fungeno, Angola, in quibus multi barbari ad Chriſtianam fidem perducti dicuntur Luſitanorum opera, qui ibi negotiationes ſuas, etiam oppida & caſtella, præſertim in Congo & Angola, habent.

Tomo quarto hæc tela pertexitur, & regiones in auſtrum magis vergentes recenſentur, ut ſunt Benguela, Mataman, Cafreria ſive Hotentotorum patria, in cujus ora & extremo Africæ angulo celeberrimum promontorium Bonæ Spei eſt, cum Batavorum egregio munimento. Supra Cafres in mediterraneis imperium Monomotapa eſt, cujus regia deſcribitur, cum aliis locis, ad quæ acceſſus Jeſuitis patere traditur. Ab auſtro in ſeptentrionem adſurgens Autor, in Orientali latere enarrat regna Europæis commerciis in litore frequentata, Sofale, Zanguebar, Moſambique, Quiloa, Mombaza, Melinde, in quorum ſingulis eſt, quod Luſitanis vindicatur. Metropoles pleræque idem nomen tenent, quod provinciæ; & in ora maritima, ſaltem in inſulis continenti admodum propinquis ſitæ ſunt. Hinc ad propiora Arabico Sinui tranſitur, quæ pleraque Mohammedanis principibus parent, ut Magadoxo, Adel, Zeila, & inſulæ in iſto Sinu, Barbora, Mazuca, Dalaca, Babelmandel. Ubique mores incolarum explicantur; etiam quæ terra ferat ſingularia.

Quarta pars *inſulas circa Africam*, remotiores a continente, habet: proximæ enim antea in regnis & provinciis declaratæ. Initium fit a Malta ſive Melite, inter Siciliam ſita & Africam, cujus urbs Valeta, & caſtra ſeu oppida S. Angeli ac Cita Vittorioſa laudantur. Ubi Equites S. Johannis, hujus inſulæ nunc poſſeſſores, peregrinati fuerint Rhoda expulſi, antequam Carolus V. concederet Maltam, ſtudioſe denarratur: etiam, quæ inſulæ circa Maltam Equitibus ſubjectæ ſint, Goza nempe, Lampedoſa, Linoſa, Pantalarea. Index appoſitus eſt omnium Magiſtrorum hujus Ordinis; etiam hiſtoria antiquæ poſſeſſionis, Carthaginenſis, Romanæ, Saracenorum, quos Rogerius Normannus Siciliæ Comes expulit, & inſulam cum Siciliæ, regno conjunxit, cum quo per ſucceſſores ad Carolum V. devoluta fuit, qui Equitibus,

Rhodo ejectis conceſſit habitandam. Liber ſecundus Partis quartæ Oceani inſulas manifeſtat, incipiens a Madagaſcar ſeu S. Laurentii inſula, in litore magis, quam introrſus cognita. Gallorum in litore munimenta, & mores inſularium copioſius narrantur: nec non minores inſulæ, quæ circa hanc Laurentianam ſunt, ut S. Mariæ, de Bourbon, Mauricii, Roderigo & aliæ. Inter Africam & Americam laudantur Helenæ inſula, affluens naturæ divitiis, ſed inhabitata: S. Matthæi, Adſcenſionis, & juxta Æquatorem, Anni Boni, & S. Thomæ, a Portugallis inventa & poſſeſſa, quanquam aliquando a Batavis intercepta fuerat. Inſulæ quoque, ad Promontorium Viride ſitæ, nominatim enumerantur, conditione illarum & fortuna perſcripta: nec minus, quæ Canariæ vocantur, enarratæ omnes ſunt, cum monte ſuo Pico, facile omnium altiſſimo, in inſula Teneriffa. Hæc omnia ita traduntur, ut regiones chartis geographicis; principales urbes & caſtella, etiam ritus quidam, elegantibus figuris, non in hac tantummodo parte, ſed in toto etiam opere, illuſtrentur.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ VETERIS Teſtamenti capita, & in loca ejusdem, inſignia diſſertationes hiſtoricæ, chronologicæ, criticæ. Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctore Theologo, & emerito Profeſſore.

Pariſ. apud Antonium Dezallier, in Vico San-Jacobæo, ad Coronam Auream A. 1689. Volumina VI.
Conſtat Alphabet. 11. plag. 6.

CUm Autor hiſtoriam eccleſiaſticam ſedecim a Chriſto natu ſeculorum, 26 voluminibus comprehenſam & alibi a nobis memoratam abſolviſſet, præſentis ſeculi hiſtoria aliis relicta, vel ſaltem in aliud tempus dilata; veteris Teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam non abſimili methodo conſcriptam addere voluit. Eam in ſex ætates diviſit, & totidem voluminibus complexus eſt. Neque tamen ſingulæ ætates ſuis voluminibus reſpondent. Prima enim ætas ab orbe condito usque ad diluvium, & ſimul ſecunda a diluvio usque ad vocationem Abrahami, primo

primo volumine continentur. Tertia a vocatione Abrahami usque ad Iſraelitarum egreſſum ex Ægypto, ſecundum volumen occupat. Quarta, quæ ab exitu Iſraelitarum, usque ad ædificationem templi Salomonei pertingit, tertium pariter & quartum volumen implet. Quintæ vero ætati ab ædificatione templi usque ad captivitatem Babylonicam, & ſextæ a Captivitate Babylonica ad Chriſti nativitatem, quintum etiam & ſextum volumen adæquatur. Singularum ætatum hiſtoria primum e Sacris Literis recenſetur, & deinde quomodo illa partim a Joſepho aliisque Hebræis, partim ab Ethnicis Scriptoribus vel illuſtrata & confirmata, vel interpolata & corrupta fuerit, exponitur. In ſecunda & ſequentibus ætatibus etiam exotica Ægyptiorum, Græcorum aliarumque gentium hiſtoria ſubjungitur. Et hiſtoricam hanc ſynopſin in ſingulis periodis diſſertationes hiſtoricæ, criticæ, & chronologicæ excipiunt, quarum argumenta breviſſimis indicabimus.

Primæ ætatis hiſtoriam decem diſſertationes illuſtrant. Prima de principio, in quo Deus cœlum & terram creavit, de Spiritu aquis incubante, de anni tempeſtate qua mundus conditus, de luce primigenia cæterisque hexaemeri operibus diſſerit. Secunda de Paradiſo ejusque loco & ſitu, nec non de arboribus Paradiſi agit. Tertia Adami & Evæ creationem, tentationem, lapſum & pœnitentiam exponit; qua occaſione fœtus ſyſtematis Præadamitarum refutatur, nec non Cajetanus, qui hiſtoriam de Evæ creatione ad metaphoricum & parabolicum ſenſum detorſit, Quarta neque Lamechi polygamiam Patriarcharum exemplo excuſandam, neque Patriarcharum polygamiam Lamechi exemplo damnandum aſſerit. Quinta circa Henochi raptum verſatur. Sexta docet, e Scriptura probari non poſſe, quod hominibus, pui ante diluvium vixerunt, carnium eſus prohibitus fuerit. Septima veterum quorundam ſententiam de Angelorum cum filialibus hominum concubitu refutat, & gigantes veros homines fuiſſe contra Paulum Burgenſem, & corporis proceritate vulgarem hominum ſtaturam exceſſiſſe contra Goropium Becanum oſtendit. Octava de annis Patriarcharum antediluvianorum diſputat, quorum computationem non juxta verſionem 70. Interpretum, ſed juxta Hebraicos fontes inſtituendam eſſe docet; etſi contraria ſententia longo uſu & tabulis eccleſiaſticis nondum emendatis roborata ſit, quam ab Autore antiquitatis temporum reſtitutæ, qui Hebræum textum a Judæis corruptum ſtatuit, fruſtra defendi oſtenditur.

Nona de Patriarcharum longævitate tractat. Decima difficultates quasdam de arca Noæ ejusque dimenſione & capacitate diſcutit, diluvium univerſale fuiſſe contra autorem Prædamitarum probat, & hac occaſione de Noæ filiis & nepotibus, & terris quas incoluerunt, prolixe diſſerit.

Secundum ætatem ſex diſſertationes illuſtrant. Prima agit de ordine filiorum Noæ ſic inſtituendo, ut primus locus Japheto, Semo medius, ultimus Chamo aſſignetur. Secunda de præceptis Noachidarum, quæ ſigillatim explicantur. Tertia de Noachi ebrietate inculpabili, & benedictione Japheto data, qua vocatio gentium prædicta. Quarta de Cainan filio Arphaxad, quem in verſionem Græcam, indeque in Lucæ Evangelium irrepſiſſe, contra fautores contrariæ ſententiæ probatur. Quinta de turri Babylonica, & linguarum confuſione. Sexta de anno natali Abrahami & profectione in terram Canaan, in qua aſſeritur, Abrahamum anno Tharæ 130 natum, & anno ætatis 75 in Cananæam profectum. Hæ enim ſunt Autoris δεύτεραι φροντίδες, qui olim in diſſertat. de Vulgata quæſt. 6. num. 96. ſeqtuageſimo Tharæ anno Abrahamum natum ſtatuerat.

Tertiæ ætatis diſſertationes ſunt numero 16: nempe I. de annis 430, quos Paulus Gal, 3. v. 17. a teſtamento divinæ promiſſionis Abrahamo factæ, usque ad legis promulgationem interceſſiſſe ſcribit; quem locum cum Exod. c. 12. v. 4. ita autor conciliat, ut Vulgatum ibi emendandum affirmet. II. De raptu Saræ, in qua diſquiritur, utrum ab Abrahamo citra mendacii & imprudentiæ notam ſororor vocata fuerit, & a Regibus Pharaone & Abimelecho intacta ad maritum redierit, quorum utrumque affirmatur. III. De Melchiſedeco, quem neque Filium Dei, neque Spiritum S. neque Virtutem cœleſtem, ſed hominem a Semo tamen diverſum eſſe, felicius ab Autore probatur, quam quod oblatione panis & vini ſacrificium miſſaticum præfiguraverit. IV. De finibus terræ promiſſæ, & ſacrificio, quod in ſignum terræ promiſſæ Abrahamo Deus imperavit. V. De conjugio Abrahami cum Hagar, quod nec Abrahamo inhoneſtum, nec Saræ contumelioſum fuiſſe aſſeritur. VI. De circumciſione contra Marshamum, qui eam ab Ægyptiis ad Hebræos perveniſſe opinatus eſt. VII. De facto Lothi filias ſuas Sodomitarum libidini proſtituentis, ejusdemque ebrietate & inceſtu. VIII. De Iſaaco in ſacrificium offerendo, contra Marshamum, qui hoc ſacrificium novum & inauditum

Abra-

Abrahamo non fuiſſe aſſeruit. IX. De facto Jacobi benedictionem paternam fratri ſurripientis & ſe primogenitum aſſerentis. X. De cæde Sichemitarum ob ſtuprum Dinæ illatum a filiis Jacobi inique perpetrata. XI. De Juda & Thamar, ubi inter alia iterum contra Marshamum aſſeritur, jus leviratus Patriarchis uſitatum non ab Ægyptiorum aliorumq; gentilium exemplis, ſed ex Dei revelatione ortum habuiſſe, item ſcortationem etiam ante legem datam licitam non fuiſſe. XII. De oraculo Jacobæo Gen. 49. v. 10. quod non ad ſolam tribum Juda, ſed ad totam Judaicam gentem pertinere Autori noſtro viſum. XIII. De hiſtoria Jobi, & de autore illius libri. XIV. De cæde hominis Ægyptii per Moſen facta. XV. De apparitione divina, quæ in rubo ardente contigit. XVI. De inſtitutione, celebratione, & ritu Judaici Paſchatis.

Quarta ætatis hiſtoriæ ſubjunctæ ſunt diſſertationes 26: nimirum I. de ſpoliis Ægyptiorum, Iſraelitarum per mare Erythræum tranſitu, quem Autor contra Toſtatum & alios miraculoſum fuiſſe docet. II. De præceptis Decalogi, quæ ſingula explicantur. III. De legibus ceremonialibus, quæ ita diſpeſcuntur, ut aliæ ad ſacrificia, aliæ ad ſacra, aliæ ad ſacramenta, aliæ denique ad varias obſervationes pertineant; qua diviſione præmiſſa, de ſingulis ſpeciebus ſeorſim & ita quidem agitur, ut Spencerus ejusque opus de legibus Hebræorum ritualibus earumque rationibus paſſim notetur. IV. De legibus forenſibus ſive ad Principes & ſubditos, ſive ad concives & extraneos, ſive ad converſationem domeſticam inter maritos & uxores, parentes & liberos, dominos & ſervos ſpectantibus. V. De vitulo aureo non ad Cherubinorum ſimilitudinem formato, contra Moncejum, qui Aaronem purgare fruſtra conatus eſt. VI. De ſerpente æneo contra Marshamum, qui ſerpentem illum ad inſtar præſtigiarum Ægyptiarum quaſi amuletum erectum & ſuſpenſum cenſuit. VII. De Bileami aſina & oraculis. VIII. De morte Moſis. IX. De Pentateucho, quem vere a Moſe ſcriptum contra Spinoſam & alios defenditur. X. De antiquitate Moſis & aliorum Prophetarum, quorum ſcrinia a Gentilium Poetis Philoſophis & Hiſtoricis compilata exemplis nonnullis demonſtratur. XI. De Moſis & totius Scripturæ V.T. divinitate. XII. De jurata Gabaonitis a Joſua & populi Principibus ſecuritate, laudabiliter ob juramenti religionem præſtita, etſi eam ex Autoris noſtri ſententia præſtare non tenerentur. XIII. De admirabili Solis ſtatione tempore Joſuæ,

 quam

quam, ut obiter hoc addamus, in epiſtola dedicatoria hujus operis ad Regem Galliæ (qua fide, cordatus lector haud difficulter judicabit) his verbis applicat: *Quod res Chriſtiana nunc invaleſcat, Turcis prope perditis, debet moderationi tuæ. Non enim ſtaret Vienna; noſtra non eſſet Buda, Alba Regalis, Agria; non inclinaret in ruinam Byzantium imminuto altero cornu, & deficiente jam Luna, ſi, non dico, repugnare, ſed pedem movere, ſed minari, ſed renuere voluiſſes.* STETISTI SOL CONTRA GABAON, *dum populus Dei perſeqveretur adverſarios, & immotus hoſtes eccleſiæ perdidiſti, qui levi motu facere poteras, ne perirent, hoc ab Sole aſtrorum Principe diverſus, quod non alieno ſtetiſti imperio, ſed tuo.* Addit poſtea Regem non ideo ſtetiſſe, ut eſſet alienæ victoriæ otioſus ſpectator, ſed interim Calvinianorum octies decies centena millia Eccleſiæ Romanæ ſubdidiſſe. XIV. De annis ſabbathicis & jubilæis. XV. De tempore principatus Joſuæ. XVI. De libro Joſuæ, quem incerti Autoris & temporis eſſe, Alexander noſter ſtatuit. XVII. De annis interregnorum, oppreſſionem ſervitutis & quietis, num ſeorſim numerandi ſint, an Judicum annis includendi, quorum poſterius in hac diſſertatione aſſirmatur. XVIII. De Debora contra Serarium & alios, qui eam in numero Iſraeliticorum Judicum numerandum eſſe negant. XIX. De voto Jephthæ imprudenter emiſſo & crudeliter impleto. XX. De Simſonis pœnitentia & morte. XXI. De libro Judicum. XXII. De hiſtoria Ruth, ubi inter alia eorum refellitur ſententia, qui tres Boozos fingunt. XXIII. De defuncti Samuelis apparitione, Regi Sauli facta, quam veri Samuelis fuiſſe Autor arbitratur, etſi etiam contrariam opinionem probalitate ſua non carere fateatur. XXIV. De Pſalmis eorumque autore, numero, diſtributione in quinque libros, & propheticis, quibus ſcatent, oraculis. XXV. De libris Samuelis XXVI. De initiis regni Salomonis, ubi quæritur, quo ætatis ſuæ anno regnare cœperit; & num Adoniam juſte capitis damnaverit, & Abjatharem exautoraverit.

Ex ætatis *quinta* hiſtoria undecim capita Autor ſelegit, quæ peculiaribus diſſertationibus digna judicavit. Primum enim de templo Salomoneo diſſerit, & Marshamum ac Spencerum refutat, quibus originem ædificati templi a gentilium exemplis arceſſere placuit, Secundo de Regina Sabæ agit, quam ex Æthiopia veniſſe, & poſtea ad verum Dei cultum converſam aſſerit. Tertio de æterno Salomonis

poſt

poſt mortem ſtatu nihil certi in utramvis partem definiri poſſe judicat. Quarto de libris Salomonis tractans, num duo poſtrema Proverbiorum capita Salomonem autorem habeant, dubitat; ex Eccleſiaſte multa gentiles hauſiſſe obſervat; Canticum autem Canticorum non eſſe carmen amatorium filiæ Pharaonis conſecratum, contra Caſtalionem & Grotium probat. Quinto de Jeroboami & 10 tribuum defectione agens, contra Moncejum diſputat, qui vitulos Jeroboami veri Dei ſymbola fuiſſe ad Cherubinorum inſtar formata exiſtimavit; cum Autori noſtro perſuaſum ſit, ipſas animalium figuras a Jeroboamo & Iſraelitis adoratas, easdemque a Cherubinorum figura alienas fuiſſe. Sexto Eliam & Enochum Chriſti præcurſores futuros probare contendit. Septimo Naamanem Syrum idoli cultum ſimulaſſe negat, & nunquam ei hujusmodi ſimulationem ab Heliſæo conceſſam probat. Octavo ipſum Solem, non umbram tantum Solis, ut Grotius putavit, ſub Ezechiæ imperio retroceſſiſſe evincit. Nono libros Regum & Paralipomenon a Matthæo & Luca, genealogiam Chriſti referentibus, non diſſentire demonſtrat. Decimo de Prophetis agit, qui ante captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt quibus etiam Baruchum adnumerat. Undecimo hiſtoriæ & libri Tobiæ veritatem, & canonicam, quam ſibi imaginatur, autoritatem adſtruere nititur.

Sextæ denique ætatis hiſtoria decem diſſertationibus illuſtratur. Prima Prophetas enumerat, qui tempore captivitatis Babylonicæ oracula ſua ediderunt, Ezechielem puta & Danielem, ad quem etiam hiſtoria de Suſanna, Belo & Dracone refertur. Secunda in 70 Danielis hebdomades: Tertia in captivitatis epocham inquirit. Quarta Esdram ſacros libros collegiſſe quidem & digeſſiſſe & a mendis repurgaſſe concedit, at plane depreditos ex integro reſtituiſſe negat; negat quoque eum Hebraicæ punctationis & Maſoræ autorem fuiſſe. Quinta Darium, ſub quo templi inſtauratio abſoluta fuit, non Darium Nothum, ſed Darium Hyſtaſpis filium fuiſſe probat. Sexta Prophetas, qui ſoluta captivitate vaticinati ſunt, nempe Haggæum, Zachariam & Malachiam commemorat. Septima de reliquis libris Biblicis agit ſexta hac ætate editis, ſcilicet libris Regum & Paralipomenon, Esdræ, Judith, Eſther, Sapientiæ, Eccleſiaſtici & Maccabæorum. Octava circa 70 Interpretes verſatur. Nona Herodem Idumæum & alienigenam fuiſſe probat. Decima Joſephi de Chriſto teſtimonium pro genuino agnoſcit.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS OPERA. INTERPRETATIONE & notis illuſtravit Daniel Criſpinus.

Lugduni apud Aniſſonios &c. 1689. tomi 4. in 4.

QUæ compluribus priſcis Scriptoribus hoc ævo contigit felicitas, ut in Delphini ſtudiorum gratiam, venuſtiores comtioresque prodirent; eam etiam Ovidius adeptus eſt, ſtudio docti Helvetii *Danielis Criſpini*, qui Saluſtium ſeptendecim abhinc annis eundem in habitum adornarat. Neque ſane ullus reperiri poteſt cultus, quem non impendi par ſit abſolutiſſimi hujus Poetæ libris: qui, ſi Virgilii majeſtatem & curioſam Horatii felicitatem ſeponamus, reliquas dotes ita poſſedit, ut recte Julius Cæſar Scaliger in Rhetoricis (libro deperdito, ſed quem citat Heinſius cap. 13. de conſtit. tragœd.) tanquam abſolutum & perfectum omni ex parte exemplum ſcripta ejus propoſuerit. In iis igitur recenſendis, & a mendis, quas injuria temporis & incuria hominum aſperſerat, liberandis, elaborarunt doctiſſimi viri *Herc. Ciofanus*, *Aldus*, *Andr. Naugerius*, *Raph. Regius*, *Jac. Micyllus*, *Greg. Bersmannus*, & qui Ovidiani vindices merito audiunt, imitationis quoque ejus felicitate gaviſi, *Heinſii*, *Daniel* parens & *Nicolaus* filius: quorum is anno 1629 ad Palatinum codicem, & Scaligeri ac Gruteri libros; hic anno 1659 ad complura Manuſcripta collatus omnes ſuperſtites Ovidii libros emendatiores evulgarunt. Nam qui extitiſſe feruntur, ſed perierunt, Faſtorum ſex libri poſteriores, Medea tragœdia, Epigrammata, liber de phænomenis, liber in malos poetas, nonnulla vaticinia, triumphus Cæſaris Getica lingua deſcriptus, bellum Actiacum, & ſi qui alii allegati inveniuntur; æquo a nobis animo deſiderantur, dum his, qui ſuperſtites doctorum virorum induſtria ſanitati & nitori reſtituti ſunt, oblectamur. Et ſane Criſpini ſtudio terſiſſimum in modum concinnatus, interpretationeque & notis illuſtratus Naſo, tanto majori cum voluptate oculis uſurpatur, manibusque nunc teritur, quanto magis ratio iſta in Delphini uſum adornandorum Auctorum ſe hactenus cunctis approbavit. Indicum imprimis ſumma cum diligentia & cura inſtructorum utilitas, inſignis deprehenſa eſt; in hoc opere extantior, quia nullius antea in contexendo Ovidianorum verborum elencho ſe exercuerat ſtudium.

):(o):(

ACTORUM ERUDITORUM,
quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Sect. XI.

GEOMETRA Y ARCHITEKT POLSKI.
ſive
Geometra & Architectus Polonus, conſcriptus a P. Stanislao Solski Soc. Jeſu.
Cracoviæ, Anno 1683. 1686. 1690. in fol.
Alph. 7. pl. 9. & figurarum tab. 67.

CUm *Author* obſervaſſet, cultiora Nationis ſuæ ingenia, a Geometriæ ſtudio tribus potiſſimum de cauſis averti, conatus eſt eas omnes hoc Opere ſuo amoliri. Primum obſtaculum illi ſtudio poni aſſerit, a defectu librorum, ac inſtrumentorum Mathematicorum. Alterum, ut non deſint libri, in iis tamen ſparſim reperiri, quæ ad uſum trahi poſſint: tenacique opus eſſe memoria, ut ſuis quæque locis inveniantur, quibus interdum opus habeas. Poſtremo cauſatur, Græcis aut latinis terminis, paſſim in Matheſi adhiberi ſolitis, obſcuram reddi cognitionem ſcientiæ, cuivis hominum ſtatui magnopere neceſſariæ. Eam ob rem digeſſit clariſſimus *Author* ſuam Polonicam Geometriam in certas claſſes, quas *Occupationes* appellat, ea ratione, ut in earum ſingulis ordine convenienti collata ſint, quæcunque ad idem genus pertinebant.

Prima igitur *Occupatione*, ejusque *Sectione 1*, adfert Indicem terminorum omnium, tam Græcis ac Latinis, quam Polonicis vocibus expreſſorum, quos quidem ordine Alphabeti digeſſit; ſed eos duntaxat, qui in Opere ſuo in uſum veniunt, cum ſuccincta eorundem declaratione. *Sect. 2*, Definitiones omnes Geometricas ita diſtribuit, ut uno capite contineantur Definitiones Linearum, altero Angulorum, tertio Figurarum Planarum, poſtremo Solidarum. *Sect. 3*, Collocat Axiomata toti Matheſi communia, quæ, adjectis Schematibus, ad faciliorem vulgi captum elucidat.

Secunda Occupatio ſeſe impendit, Primum ducendis Lineis Perpendicularibus, Parallelis, & Proportionalibus. Deinde dividendis varia ratione, tam Rectis, quam Circularibus lineis, quarum priores ſecantur non tantum in partes æquales, cum Geometrice, tum Organice, ſed etiam inæquales, ut ſunt Sinus, Tangentes &c. Atque Problemata hæc tractantur ſeparatis Propoſitionibus, quas Autor *Dogmata* vel *Doctrinas* appellat.

Tertiæ Occupationi attributi ſunt Anguli, quorum Sectione priori Conſtructio, in Polygonis vero, tam ad Centrum, quam ad Ambitum Supputatio pertractatur: poſteriori vero Diviſiones Angulorum in partes imperatas docentur.

Quartam Occupationem ſibi vendicant Figuræ, tam Rectilineæ, quam inflexis lineis terminatæ, quarum varia conſtructio, tum & unius alteri inſcriptio traditur. Reperias hoc loco polygonorum ſupra datum latus conſtructionem, imo & Hexagoni, cujus unum latus ſubduplum ſit reliquorum. Inſcribuntur pariter Polygona Circulo, & iſte quibusdam illorum inſcribitur, e Quarto *Euclid.* Elemento. Deſcribuntur tandem Figuræ Ovatæ, nec non genuinæ Ellipſes, una cum reliquis, e ſecto Cono ortis, Hyperbola, & Parabola: idque abſolvitur tam Geometrice, quam Organice. Claudit agmen Voluta Architectorum, Helix Archimedis, ac demum Quadratricis uſitata deſcriptio.

Quinta Occupatio mutuam Figurarum Planarum metamorphoſin pertractat, eſtque in ſex partes diſtributa. Harum *Prima*, Rectas lineas in Circulares commutat, & viciſſim. *Secunda*, Triangula transmutat in alia Triangula, tam in Quadrata, ac etiam in Circulum, *Tertia*, Quadrilateras transformat in Trilateras, & Circulum. *Quarta*, Multilateris Figuris invicem permutandis incumbit. *Quinta* Circulos in Rectilinea ac etiam Circulares Figuras, aut earum partes, in Ellipſes item redigit. *Sexta* Ellipſin, Parabolam, Helicemque redigit in Figuras alias, cum Rectilineas, tum Circulum.

In *Sextam Occupationem* congeſſit *Authbor* omnia Praxium Geometricarum Theoremata fundamentalia, quæ ille *Proprietatum* nomine inſignivit. Demonſtrationes harum non ubique adjecit, indicat tamen Authorum Propoſitiones, unde illæ peti poſſint: Hortatur autem Lectorem ſuum ad evolvenda hæc Theoremata, quod ea totius

Geo-

Geometriæ ſint anima, & quibus ſecluſis, Praxes omnes ſint velut cadaver exanime. Diſtribuit autem præſentem Tractatum in partes duodecim, quibus totidem Materias attribuit, proſequiturque Parte 1 Proprietates Linearum. 2 Angulorum. 3 Triangulorum. 4 Quadrilaterarum. 5 Multilaterarum Figurarum. 6 Circulorum. 7 Sectionum Coni. 8 Sphærarum. 9 Cuborum. 10 Cylindrorum. 11 Priſmatum. 12 Pyramidum: atque ita Parti I Geometriæ ſuæ finem imponit.

LIBER II Geometriæ complectitur *Occupationes* quinque, ordine cum præmiſſis continuato numeratas. Nam,

Septima Occupatione traditur dimenſio omnium Diſtantiarum etiam inacceſſarum, Altitudinum & Profunditatum: quem in finem conſtruit Author varia Inſtrumenta facile parabilia, ac inprimis Monotrochium Geodæticum, pro menſurandis Longitudinibus in campo. Deinde Menſulam Agrimenſoriam cum fulcimento portatili, & Regula Dioptris inſtructa, in qua deſignatæ ſint duæ ſcalæ: una brevior Pollicis unius. Longior altera Pollicum 12 vel 16, pro magnitudine Lateris Menſulæ: utraque vero, transverſarum auxilio in partes 1000 accurate diviſa; ut harum ope quæſitæ longitudines inveſtigentur, tam per Regulam Trium, quam ſine hac, ſi quis Arithmeticæ peritus non ſit. Hoc autem Inſtrumento ſuo tam exacte, ac interdum etiam exactius, Dimenſiones inſtitui poſſe affirmat *Author*, quam quibusvis aliis ex ære in Batavia affabre factis; dummodo in ejus uſu ſerventur Cautelæ, quas ſcrupuloſe commemorat.

Octava Occupatione dimetitur Geometra Sarmaticus Ambitum Figurarum omnium Rectilinearum, tam Regularium, quam Irregularium; quin & Ellipſium ac Oviformium; idque citra uſum Tabularum, Sinuum, Tang. & Secantium, ſed ope ſolius ſcalæ in partes 1000 diſtributæ, quæ proinde dimenſio non in campo ſed charta peragitur.

Nonæ Occupationi aſſignatur dimenſio Areæ in figuris Planis, tam Rectilineis Regularibus & Irregularibus, quam Circulo ejusque Segmentis ac Sectoribus; itemque Parabola, Ellipſi, Oviformi, ac tandem Iſoperimetris, non modo minoribus, in charta, ſed majusculis etiam, in campo, vel alibi.

Decima Occupatio Geometram exercet circa Ichnographias Camporum, Urbium, Ædificiorum, idque dupliciter. Prior enim ſectio docet modum deſignandi limites camporum in charta, deſcribendi ve-

ſtigia urbium, ædificiorum, ac munimentorum: quam in rem adhibet non ſolum menſulam ſuam Geodæticam, ſed etiam inſtrumentum ſingulare, quod *Author* appellat Ichnographicum, eſtque gemellum ei, quod *Kircherus in Arte Magnatica*, & *Caſp. Schottus*, *Pantometrum* vocitant. Horum inſtrumentorum uſum exemplis edocet, ac etiam indicat modos hæc omnia abſolvendi, absque ullo ſimili inſtrumento. *Altera Sectio* deformatas in charta Ichnographias, vice verſa, transfert in campum: & eum in finem præmittit apparatum complurium dogmatum ſive propoſitionum quibus tradit modos ducendi in campo lineas perpendiculares, parallelas idque in variis caſibus non obviis; deſignandi Angulos imperatos, ac Figuras multangulas conſtituendi; quibus præmiſſis tradit artem, munimentum, quodvis regulare ac irregulare, e charta, in campum traducendi: ac tandem huic Occupationi finem imponit, aperiendo modos aliquot datæ delineationis in charta, exemplar aliud, cum æquale, cum æquale, tum majus, minusvè, ſimile tamen, in alia charta depingendi.

Undecima Occupatio, hujus libri poſtrema, verſatur in dividendis figurarum planarum Areis, in partes imperatas tam in charta, quam campo, e datis punctis in Angulo figuræ, vel alibi. Partitur autem ita non modo trilateras, aut quadrilateras, ſed multilateras quoque figuras, regulares ac irregulares. Geometricis hujusmodi diviſionibus ſuccedunt civiles Agrimenſoriæ, queis campus quilibet in certa jugera, legibus publicis definita diſtribuitur. Ejus diviſionis initium facit ab explicatione menſuram, Agrimenſoribus uſitatarum, quales ſunt, Palmus, Pes, Cubitus, Paſſus, Virga, Pertica, Chorda. Qua omnes menſura ulnæ Cracovienſis definit. Ejus itaque Ulnæ, vel Semiſſis, genuina quantitas alicubi exhibenda fuiſſet, ſive jam figuræ ligneæ (quales pleræque ſunt in hoc Opere) aut æreæ inciſa; ſive collata cum pedibus Europæ celebrioribus, quod tamen ab *Autore*, res ſuas ſat accurate pertractare ſolito, nullibi præſtitum eſt; & percommodum Lectoribus, non exteris tantum, ſed & ſuis popularibus accidiſſet.

LIBER III Geometriæ, datus in lucem Anno 1686, complectitur tres ultimas *Occupationes*, cum præcedentibus continuatas; Harum enim *Prima*, ſed numero

Duodecima Occupatio tota eſt Stereometrica, in qua ſenis ſectionibus varia in hoc genere pertractantur, ut ſequitur. 1 Conſtruuntur cor-

corpora magis uſitata, velut Obeliſci, Pyramides, Coni, & quinque Regularia. 2 Menſuratur ſuperficies Cylindrorum, Conorum, Pyramidum, & 5 regularium. 3 Invenitur ſoliditas omnium prædictorum, ac etiam Sphæroidis ac Conoidis, Parabolici & Hyperbolici: Corporum vero irregularium dimenſionem, in aqua dimerſio manifeſtabit. 4 Corporum ſuperficies explicantur in unam planam ſuperficiem; ubi etiam Dodecatemoria, Globo inducenda decircinantur. 5 Transmutantur invicem corpora; quin & pluribus unum, aut duorum differentiæ, exhibetur æquale. 6 Dividuntur tandem in partes, ut hæ ſint in data quavis ratione.

Occupationem XIII Conſecravit *Author* Praxibus Gnomonicis, quibus promptius expediendis, opportunum præmittit apparatum; ut eſt inventio lineæ Meridianæ, altitudinis Poli, quam præterea pro variis Poloniæ civitatibus, ordine alphabeti in Tabulam digeſtis, exhibet: docet inveſtigare locum Solis in Zodiaco, ejusque declinationes ab Æquatore: tandem conſtruit inſtrumenta quædam deſignandis Horologiis perutilia: Ipſa demum Horologia deſcribit, non ſolum in planis regularibus, ſive æquidiſtantibus primariis ſphæræ circulis, ſed & declinantibus, ac inclinatis; imo & quibusvis ſuperficiebus organice deſcribit. Idem quoque exequitur in Sphæra, Cylindro, Annulo. Neque præterit arcus ſignorum Zodiaci, horas Italicas, Babylonicas, Antiquas, ac etiam Lunares, quarum in Solares commutandarum rationem tradit. Reperias ibidem horam ortus & occaſus Solis, longitudinem diei ac noctis, ex tabella arcuum ſemidiurnorum, pro denis altitudinibus Poli, & alia, quæ ſigillatim proſequi, longum foret.

Poſtremæ ſive *XIV Occupationi* attribuit *Author* dogmata Arithmetica, quæ tam plene tradit, ut non ſolum praxibus Geometricis, ſed quibusvis aliis in vita communi occurrentibus ſervire poſſint. Præmiſſa enim terminorum Arithmeticorum, ordine alphabeti diſtributorum, ſuccincta declaratione, rem aggreditur a ſcripti numeri pronunciatione, pronunciati ſcriptione, ac tum cæteras operationes Arithmeticas ordine pertractat; qua quidem in re hanc ſervat rationem, ut cujusvis operationis præcepta Rhythmis Polonicis complectatur, quas poſtquam membratim fuſius explanaſſet, ea exemplo uno alterove elucidet; interjectis ubique cautelis, in certis caſibus obſervandis. Abſolvit itaq; hoc Tractatu ſuo tum operationes omnes uſitatas, tum regu-

las proportionum omnes, ac tandem extractiones Radicis quadratæ, & Cubicæ, quibus nonnulla de rerum permutatione & combinatione ſubjungit.

Appendicis loco ſubnectit aliquot capita de dimenſionibus Geodæticis per inſtrumenta, quas ex *Occupatione VII* in hunc locum rejecerat. Primum igitur tradit pleniorem uſum inſtrumenti ſui Ichnographici, quod oſtendit perfectius eſſe illo, quod *Schottus Pantometri Kircheriani* nómine inſignivit. Altero capite agit de Quadrato Geometrico,quod ad majorem exactitudinem provehere nititur. Tertio capite diſtantias Horizontales eodem quadrato expedit. Quarto altitudines eodem dimetitur. Quinto profunditates. Concludit hanc *Appendicem*,tradendo modum deſcribendorum Limitum,Agrorum, Ditionum, Urbium, ſimiliumque Ichnographicarum, ope Tabulæ ſuæ Menſoriæ.

ARCHITECTUS editus eſt Anno 1690: cujus contenta omnia *octonas Occupationes* libroſque ternos *Author* diſtribuerat, e quibus tamen ſolus primus, tres complexus Occupationes, in lucem prodiit. In ejus procemio reddit inſtituti ſui rationem, cur videlicet Architectonicen, eamque lingua patria pertractet. Ad prius horum compulſum ſe dicit eſſe tot erroribus, qui circa ædificia in Regno Poloniæ committi ſolent;adeoque ſe artis hujus ignaris opem ferre voluiſſe: Illectum quoque ſe eſſe noſtri Servatoris exemplo, qui fabri filius haberi, ac fortaſſis etiam operum adjutor eſſe dignatus eſt: ſed & Apoſtolum gentium, ſcenofactoriæ operam ſuam, inter alia ſuæ vocationis munera navare non recuſaſſe. Æquum vero eſſe cenſuit, ut Idiomati Polonico Architectura non deeſſet, quæ cæteris Europæ linguis pertractata copioſe ſit, & exculta. Conſulendum etiam putavit ipſis artificibus ſuæ gentis, qui plurimos habent artis terminos, qui Latine reddi non poſſint,quoſque paſſim adhibuit *Author*, ut ab aliis intelligeretur. Monet tandem, a ſe data opera in compluribus machinis omiſſam fuiſſe compagem aut contignationes ſuſtinendis Rotis neceſſarias, quod hæ ſoleant obfuſcare partes interiores machinæ, cognitu magis neceſſarias: quandoquidem Sceletum illud exterius, quivis artifex e trabibus facile coaptare, pro rei exigentia valeat.

Prima igitur *Architecti ſui Occupationi* deſtinavit *Author* eas Machinas, quibus grandia pondera facilius tractantur in attollendo, demitten-

mittendo, traſferendo. A primis itaque Mechanices fundamentis exorſus, explicat genera Vectis, eorumque vires demonſtrat. Tum vero deſcribit quindenas Machinas, ponderibus ſublevandis idoneas, cum earum uſu, & cautelis in eo neceſſariis. Harum pleræque ſunt notæ ſub nominibus Trochlearum, Rotarum dentatarum, Pancratii, Cochleæ, Ergatarum, Axis in Peritrochio &c. ſuntque nonnullæ ex prædictis compoſitæ, aliæ vero omnino ſimplices ac ruſticanæ, a Vecte originem trahentes.

His præmiſſis, docet modum ſupputandi vires & converſiones in machinis illis, quæ rotis dentatis ſunt inſtructæ: tradit item modum explorandæ reſiſtentiæ, qui in tali machina ab Axium & Dentium attritu procedit. Abſolutis his XV Machinis, ſubnectit vulgares induſtrias, in transferendis ponderibus adhiberi ſolitas, ut eſt, tractio per ſolum, vel ſubjectas perticas; volutio corporum rotundorum; promotio in Ditrochio, vel ſupra Cylindros, gravi ſuppoſitos; Everſio ex angulo in alterum, ut in tabulis quadratis majoribus; Propulſio extremitatum corporis oblongi, alternatim inſtituta, & his conſimilia.

Subnectit non pauca de pondere corporum inveniendo. Doctrina vel Prop. 32 oſtendit, vanam eſſe illam Mechanicorum jactantiam, dato pondere datum quodvis movere; quin & in ipſam Tellurem Vecte primi generis: hic enim ſi ſemidiametrum terræ longitudine æquaret, appenſum in ejus extremitate Pondus movens, non premeret vectem illum ad rectos, ſed inclinaretur angulo gr. 45 verſus commune centrum gravium; idq; magis contingeret in vectibus longioribus, adeo ut in vecte totius Diametri T. decuplo, Antiſacoma cum vecte illo angulum 17 minutorum includeret, ac proinde illius activitas ad movendam tellurem eſſet exigua.

Hac occaſione terræ totius pondus ſupputat, & confert cum pondere obeliſci Vaticani, a Dominico Fontana erecti, & ex ejus apparatu Machinarum concludit, quantus proportione ducta neceſſarius eſſet ad totam tellurem in altum ſublevandam.

Doctrina 33. Adducit aliquot experimenta ſua circa pondera, quæ per planum varie ad Horizontem inclinatum, ſurſum trahuntur, eaque Theoremati *Stevini* conſentire concludit. *Dogmate 37* diſquirit, an motus perennis per Machinas exhiberi poſſit. Eum in finem conſtru-

conſtructum a ſe Machinulam examinat,ac ejus defectus inſuperabiles indicat. Finem huic *Occupationi* imponit aliquot problematibus, cochleæ ſtructuram, ejusque virium ſupputationem concernentibus; tum etiam proponit artificium, quo ſitulæ e rudent in orbem redeunte penſiles, ad transferendam terram, pro vallis & aggeribus aptari debeant.

Secunda Occupatio Architecti verſatur circa eas Machinas, quæ ſui motus velocitate ad aliquid efficiendum neceſſaria, vires Machinam incitantes aggravant, ut ſunt omnis generis Molendina, Machinæ ſecandis in aſſeres trabibus ſervientes, Automata culinaria & Horodictica &c. Hanc diſpeſcit Author in partes novenas, ut ſequitur.

Sectione I Præmittit definitiones rerum, ac verborum ſignificationes, ac tum proprietates ponderum, aut aliarum potentiarum rotis applicatarum enarrat. Reducit autem rotas omnes, velocitatum mobili conciliantes, ad duo genera vectis *aggravantis*, quorum primus eſt idem cum primo genere vectis *alleviantis*, quoad ſtructuram; Hypomochlio videlicet inter potentias conſiſtente: aggravans vero vectis Potentiam motricem habet breviori brachio vectis applicatam. Secundum genus vectis aggravantis eſt, ipſe tertius vectis, a Mechanicis ita appellari ſolitus, in quo potentia movens medio loco conſiſtit inter Hypomochlium ſibi vicinius,& vim ſuperandam alteri vectis extremo applicatam. Ad hos vectes revocat varias rotarum dentatarum in prædictis Machinis combinationes. *Sectione 2* agit de rotarum dentibus,ac illarum diviſione,tum de numeris ad rotas aptiſſimis,quos pronunciat eſſe illos, qui ſe invicem metiuntur, aut continent absque fractione. Tales enim rotas durabiliores eſſe affirmat, præſertimque e ligno conſtructas, in quibus poſita digitorum craſſitie & intervallo, per varia problemata docet praxes varias, ad hujusmodi rotarum fabricam ſpectantes. Addit & tabulam numerorum, in qua datis tympani dentibus 4, 5, 6, 8, 10, 12, & dato numero converſionum illius, intra unam rotæ majoris,tympanum hoc admordentis,converſionem, exhibet numerum dentium rotæ illius majoris, a dentibus tympani exacte menſuratorum. Atque hujus Tabulæ uſum pluribus declarat. *Sect. 3* Perſequitur inſtitutionem rudium molitorum, in conſtituendis molendinis aquaticis, quorum quatuor differentias aſſignat, quintam molendino Bulgarico tribuit, quod axem rotæ aquaticæ verticaliter

liter erectum poſſidet, rotam ipſam ſitu horizontali, quæ lapſu aquæ ex altitudine minimum cubitorum quatuor impellitur, cujus rei Figuram adjungit Tab. XII, Fig. 5.

Sect. 4 Tranſit ad ea Molendina, quæ equis vel bobus aguntur, in quorum Fabrica multos defectus detegit, ac tradit modos optimos ea conſtruendi, pro duplici eorum differentia. Ubi etiam Dogmate 13 deſcribit duplex Molendinum Caſtrenſe, ac delineat, Tab. 13, Fig. 3 & 4. Eſt hoc inventum *Pompei Targonis*, Ingeniarii apud Ambroſium Spinolam, olim Gubernatorem Belgii Hiſpanici, duplex eo ex capite, quod in eodem curru conſiſtente, duobus equis ad duos temones junctis, & currum circumeuntibus, duo lapides molares circumducantur. *Sect.* 5 Molendina Anemotechnica; Sexta Manualia; Septima Machinas ſerratorias, parandis aſſeribus deſtinatas, easque tum aqua, tum jumentis animatas; ubi multa ad harum Machinarum conſtructionem perutilia obſervat. *Sect* 8. Digreditur ad amœniorem variorum motuum conſiderationem, cum uſui, tum ingenii culturæ ſervituram.

Imprimis enim tradit modos aliquot, ut circulari motu, rectilineus efficiatur is reciprocatus itu ac reditu uniformiter accelerato, tum etiam difformiter veloci. Deinde pluribus agit de aperienda & claudenda, quam vocat, *Sera Salomonis*, quæ alioquin in Germania appellari ſolet Zang- vel Zanck-Eiſen. Tradit autem, fuſe quidem, ſed tamen confuſe, modum aperiendi & claudendi Syſtema illud annulare, in duplici hypotheſi; quando videlicet Annulorum numerus eſt par, vel impar; hæc enim operationem variant, quam longum eſſet deſcribere, & lectori parum volupe legere, absque praxi manuali, & oculari inſpectione. Tertio deſcribit ſeram annularem, quæ characteribus variis inſcripta forinſecus, his in certam vocem conjunctis aperitur. Ubi agit de modo clavis iſtius verbalis inveniendæ per combinationes notarum, quarum ſpecimen Tabella ſingulari proponit. Quarto exhibet tria ſpecimina artificioſæ illius innodationis, in qua primo intuitu apparet, quaſi corpus quoddam, anguſto foramine longe majus, per illud traductum fuiſſet; ejusque rei tria exempla adfert, in duabus nucibus, trabeculis, & annulo: & hinc morale corollarium deducit, videlicet, audito difficili quodam Problemate, non continuo præcipitandam eſſe ſententiam, de ipſius impoſſibilitate pronunciantem.

tem. Quinto addit nonnulla de Horologiis rotatis, ac præſertim de eorum Indicibus; quo in genere exhibet cum Figura, tum ſupputatione Syſtema Rotarum, quæ per Indices ſuos oſtendunt Motum Solis, Lunæ, ac Fixarum, in Aſtrolabii Rete deſignatarum. *Sect. 9* Deſcribit Inſtrumentum Viatorium, confecti itineris quantitatem ſuis Indicibus commonſtrans. Tandem ſubnectit nonnulla quæ ad Sect. 4, plenioris doctrinæ cauſa, referenda ſunt.

Tertia Occupatio Hydrotechnica omnia continet, & in Novem Partes diſtribuitur. Nam,

Sect. 1 Proprietates aquæ naturam conſequentes exponit, earumque cauſas, ratione & experientia ſtabilit.

Sect. 2 Indicat modos inveniendi Scaturigines aquarum, ſub terræ ſuperficie latentium: ibidemque profert indicia, quibus aquæ bonæ a ſequioribus diſcernendæ ſint. Inter cætera affirmat, aquas fluviatiles Ruſſiæ Plicam (ut vocant) Polonicam generare. A pluvialibus verrucas in manibus provenire, quarum tollendarum rationem probatiſſimam indicat, ſi videlicet eæ bis terve perfricentur Scarabæis illis, qui æſtate in fimo quadrupedum delicias ſuas inquirunt.

Sect. 3 Agit de Libellatione Locorum, pro ducendis aquis ex uno ad alium, in diverſis caſibus. Declivitatem Semicubiti ſufficere pronunciat, ut aqua defluat ad intervallum quadrantis *milliarii* Polonici.

Sect. 4 Plurimos adfert modos educendæ in altum aquæ, e puteo profundiore, cui rei varias Machinas deſcribit, & inter has Dogmate 14 adducit viſam a ſe Conſtantinopoli Machinam, Hortis irrigandis deſtinatam in qua ſitulæ quadratæ duobus funibus in orbem redeuntibus affixæ, hauſtam in puteo aquam ope tympani grandioris, quod ambiunt, in receptaculum altius effundunt, Machinam equo vel aſello circumagente. Dogmate 25 id ipſum humana vi, ſequenti vero 26 venti auxilio per Machinam *Varſaviæ* conſtructam effici poſſe, prolixe oſtendit, adjectis eam in rem figuris.

Sect. 5. Tota eſt in deſcribendis Machinis, quarum auxilio aqua e loco humiliore in altiorem promoveatur: Id autem peragitur ope Piſtillorum prementium, Anthliarum, Sitularum, idque mediante rota aquatica, vel etiam citra hanc. Digreditur tandem ad tentamina motus per aquam perpetuandi: quam in rem producit machinam a ſe

quon-

quondam peculiari Libello publicatam, & alteram a priori diverſam; in quibus demonſtrat hanc Propoſitionem: *Dato liquore gravitatis, ut ejus quantitas modulo preſſoriæ Anthliæ contenta ſub duplo ſit pondere, ad eundem liquorem, hoc eſt, mole æqualem, contentum tubo verticaliter erecto, & XIII cubitis alto, poſſibile eſt motum perennem hujus liquoris beneficio exhibere.*

Verum impoſſibilem Hypotheſin ponit *Author:* quoniam vis liquorem illum in tubo 13 Cubitis alto detinens, æquivalere debet Cylindro æque alto, cujus baſis ſit æqualis Baſi Modioli, in quo ſit aquæ compreſſio, alteram Tubo contentam in data altitudine detinens; major autem nonnihil, ſi motum efficere oporteat: hæc enim proportio in quovis, & cujusvis gravitatis Liquore vi preſſionis attollendo, fundatur in ipſarum baſium ad invicem ratione; quemadmodum ex Hydroſtaticis demonſtrari poterit.

Utramque tandem Machinam ſuam applicat *Author* ad elevandas aquas in altum, ope fluentis aquæ, dummodo hæc deſcenſum habeat tres ulnas altum.

Sect 6. Machinas Hydrotechnicas *Jacobi de Strada a Rosberg* diſcuſſerat *Author*, earumque defectum ſuppleverat, ſed quia Figuræ ſumptuoſæ fuiſſent, omiſit.

Sect 7. Tractat de Fontibus ſalientibus, quorum extimam ſtructuram, oculo blandientem, e libris vel aliunde petendam eſſe aſſerit, ipſe autem ſola principia & artificia, impulſum aquarum concernentia attingit.

Sect. 8. Deſcribit ac deſignat aliquot Machinas Hydraulicas, horis indicandis ſerrituras, quas inter etiam reperitur ea, quam olim *Marius Bettinus* ad calcem Ærarii ſui deſcripſerat. Subjungit etiam praxin facilem conſtruendi Excitatorii, quod aquæ ſtillicidio dormientem præſtituto tempore, noctu expergefaciat. Poſtremo delineat Figuram a *Jo. Voellio* in *Horographia* ſua deſcriptam, cujus ope in quavis Regionum latitudine, quovis tempore, hora ortus & occaſus inveniri poteſt.

In Sectionem 9 ac poſtremam congeſſit *Author* complura Technaſmata, ordine Alphabeti digeſta, quæ interventu aquæ inſtitui poſſunt; partim uſui, partim oblectationi ſervitura. In uſum venire poterit modus explorandi per aquam, utrum in moneta alicubi cuſa,

 argenti

argenti cum ære, definita legibus mixtura, exacta ſuerit obſervata. Sumpta enim bilance accurate conſtructa, alteri ejus lanci imponitur argenti puri pondus quoddam, una cum æris quantitate, quæ definitam illam ad argentum habeat rationem; tum alteri lanci tantum monetæ cuſæ apponitur, usque dum æquilibrium obtineatur. Tandem Lanx utraque immergitur aquæ: ſi moneta levior apparuerit, plus æris continet, quam oportuiſſet. In auri mixtura dijudicanda praxis eadem ſervari poterit. Concludit hunc Architecti ſui librum, fonticulis aliquot, qui artificiis Hydraulicis conſtruuntur. In finem tandem Lectorem monet, ut in Divinam id referat providentiam, ſi Secundus ac Tertius Architecti ſui Liber lucem non aſpexerit.

S. BERNARDI ABBATIS PRIMI CLARÆVALLENſis Opera poſt Horſtium denuo recognita, aucta & in meliorém ordinem digeſta, nec non novis præfationibus, admonitionibus, notis & obſervationibus illuſtrata, ſecundis curis Domini Johannis Mabillon Presbyteri & Monachi e Congregatione S. Mauri.

Pariſ. ſumtibus Joh. Guignard, Anno 1690.

Tomi 6. Volumina 2. Fol. 18. alphab. 7. plag.

DIvus Bernardus Abbas Claraevallenſis nobili ingenio, inſigni doctrina, nativa eloquentia, cordata dicendi libertate, ſingulari vitæ ſanctimonia, aliisque egregiis animi dotibus, quibus etiam miraculorum fama acceſſit, tantam dum v veret obtinuit autoritatem, ut Pontifices, Cardinales, & integra Epiſcoporum Concilia, non minus ac Reges & Principes, eo tanquam communi oraculo uterentur, nihilque in Eccleſia vel aulis Magnatum abſque ejus conſilio & ſententia gereretur. Neque cum ejus vita, magna, quam nomini ſuo conciliaverat, veneratio expiravit. Nam ab Alexandro III Sanctorum faſtis adſcriptus eſt, & ſcripta ejus in tanto pretio fuerunt, ut nulla ferme vel magis ſcribentium manus fatigaverint, vel frequentius, poſt inventam typographiam prelo commiſſa fuerint.

Ac primum quidem Bernardi ſermones de tempore, de Sanctis & diverſis, cum libro ad Milites templi, A. 1475 Moguntiæ lucem

ad-

adſpexerunt, quo circiter tempore etiam Rotomagi libri de conſideratione, apologia ad Guillelmum Abbatem, & tractatus de præcepto & diſpenſatione, ſine certa anni deſignatione prodierunt. Secuta anno 1481 Bruxellenſis editio ſermonibus de tempore & de Sanctis epiſtolas adjecit, quas etiam in Pariſienſi editione A. 1494 Magiſter *Rovauld* ſermonibus in Canticum conjunxit. Hanc excepit editio Brixienſis A. 1495, quæ homilias in *miſſus eſt* cum aliis quibusdam opuſculis exhibuit, Spirenſis 1501, & Veneta 1503 non paucis ſpuriis & Bernardo ſuppoſitis operibus referta. Qui pleraque Bernardi opera in unum corpus redegit primus eſt *Johannes Bocardus*, cujus ſtudio & induſtria Bernardus A. 1508 Pariſiis novam quaſi formam nactus eſt. Hunc imitatus *Jodocus Clichtoveus* Bernardi opera denuo recognovit, & A. 1514 Lugduni publicavit, quæ editio Pariſiis & Lugduni ſæpius iterata fuit. Alia Lugdunenſis editio prodiit A. 1520, per duos monachos Claræ vallenſes *Lambertum Campeſtrem*, & *Laurentium Dantiſcenum* adornata, quæ inter emendatiſſimas reputatur. Anno 1547 novam operum Bernardi editionem *Franciſcus Comeſtor* Collegii Sorbonici ſocius procuravit, & Lutetiæ Claudii Chevallonii viduæ imprimendam dedit. Secuta eſt anno 1550 editio Veneta, & 1552 editio Baſileenſis, quam *Antonius Marcellinus* apud Johannem Hervagium hoc ordine adornari curavit, ut primum locum ſermones, ſecundum epiſtolæ, tertium tractatus, ultimum pſeudepigrapha & dubia tenerent. Anno 1566 Lutetiæ prodiit alia Bernardi editio, præmiſſa Franciſci Comeſtoris epiſtola, & ad calcem adjecta appendice Hervagiana ſtudio *Jacobi Pamelii*, qui Bernardi ſermones parvos numero 16, item ſoliloquiorum librum & alia nonnulla Bernardo ſuppoſita in lucem protulit. Hanc excepit alia Pariſienſis *Johannis Gillotii* A. 1572 vulgata, in cujus præfatione etiam mentionem injicit recognitionis a Theologis Pariſienſibus factæ, qui poſtremas editiones tam privato ſuo conatu, quam ex collatione veterum codicum, quos in Gallicanis bibliothecis corrogare licuit, reſtituerunt. Poſſent, ſi id opus foret, & aliæ ſuperioris ſeculi editiones memorari, & inter has illa omnium elegantiſſima A. 1586 vulgata, quæ navis ſymbolo ornata & ſæpius repetita fuit. Nec ſegnius præſenti ſeculo officinæ typographicæ imprimendis Bernardi operibus inſudarunt. Nam ſtatim ſub initium hujus ſeculi prodiit editio *Edmundi Tiraquelli* monachi Ciſtericenſis, quam poſt octennium editio

Johannis Picardi cum notis & aliquot epiſtolarum acceſſione ſecuta eſt. Infiniti pene laboris eſſet cæteras omnes enumerare; quamobrem ad eam properamus, quem *Jacobi Merlini Horſtii* cura A. 1641 primum prodiit, & anteriores omnes nitore ſuo obſcuravit, & ab eo tempore ſæpiſſime in variis locis & provinciis ad prelum revocata fuit. Et in hac quidem Horſtiana editione opera Bernardi in 6 tomos diſtribuuntur, tractatus in capita & ſectiones diſtinguuntur, epiſtolis cæterisque tractatibus argumenta ſeu ſummaria præfiguntur, annotationes adjiciuntur, ut cætera, quibus hæc Horſtiana editio omnibus quæ hactenus emiſſæ fuerant, palmam præripuit, taceamus. Quamvis autem & auctiorem & accuratiorem editionem Vir doctiſſimus pararet, morte tamen, quæ ipſi A. 1644 obtigit, præventus propoſitum hoc exequi non potuit. Poſt Horſtii obitum *Claudius Cantelovius* monachus Ord. Ben. e Congregatione S. Mauri, Præfectorum ſuorum juſſu, Horſtianum Bernardi textum ad Gallicanos codices exegit, & ſermones quidem de tempore & de Sanctis emendatiſſime in lucem emiſit. Verum dum reliquis Bernardi operibus pari diligentia vulgandis incumberet, hanc provinciam morte ſua in *Johannem Mabillonium* devolvit. Is enim Præfecti ſui generalis Bernardi Audeberti juſſu, telam a Cantelovio cœptam pertexuit, & A. 1666 & 1667 omnia Bernardi opera notis ſuis illuſtrata, & duobus voluminibus majoris, octo autem voluminibus minoris formæ comprehenſa in lucem publicam emiſit. Etſi vero iſta Bernardi editione de mellifluo Doctore, quem Nicolaus Faber Patrum ultimum appellavit, ſatis præclare meritus fuerit, omittere tamen non potuit, quin de politiori & caſtigatiori editione aliquando vulganda ſæpius cogitaret, & ſubinde quæ huc facerent, diligenter annotaret. Et hinc ſecunda hæc, quam nunc recenſemus, Bernardi editio doctiſſimo Mabillonio nata eſt, qui etſi nonnulli ejusdem Congregationis ſocii, nempe *Michael Germanus, Theodoricus Ruinartus, & Edmundus Martenius* auxiliatrices operas contulerint, præcipuas tamen hujus laboris partes ſibi vendicat, & alteram hanc Bernardi editionem non tam ſecundam, quam novam prorſus eſſe pronunciat.

Nam primum in ſecunda hac editione multos vetuſtos codices antea ſibi non viſos conſuluit, quos partim in variis, quas perluſtravit, provinciis evolvere ipſi licuit, partim ex Colbertina bibliotheca a Stephano Baluzio communicatos accepit. Et horum ope plurimis

in

in locis Bernardi textum nativæ ſuæ integritati reſtituere conatus eſt. Deinde nonnulla Bernardi ſcripta, quibus olim inter genuina locum reliquerat, in nova hac editione inter ſuppoſititia rejecit, & ex genuinorum numero expunxit, ut duas epiſtolas, quas ex Bernardi Brito annalibus Horſtius Bernardi epiſtolis inſeruit, item ſermones quosdam de tempore & de Sanctis, cum libro declamationum & quibusdam aliis, quæ Bernardi non eſſe certis indiciis deprehendit. In qua cenſura præter Gaufredum & alios vitæ Bernardinæ Scriptores, & manuſcriptos codices, & veterum autorum Bernardi ſcripta allegantium monumenta, Bernardinum conſuluit, ſeu florilegium ex Bernardi ſcriptis contextum, quod Pariſiis A. 1503 primum prodiit. Hoc enim Bernardinum, cujus autorem eſſe *Willermum* S. Martini Tornacenſis monachum, ex codice quodam Ciſtercienſi deprehendit, longe accuratius eſſe cenſet, quam alteram illam Bernardinorum florum collectionem, quæ A. 1571 ab *Huberto Scuteputæo* Canonico Regulari facta eſt. Præterea in nova hac editione, quoad tomorum diſtributionem, ordinis quædam mutatio occurrit. Nam in Horſtiana & priori mabillonii editione primus tomus epiſtolas, ſecundus ſermones de tempore & de Sanctis, tertius ſermones in Canticum, quartus tractatus ſive opuſcula, quintus dubia, ſpuria & ſuppoſititia, & ſextus denique Guerrici Abbatis Igniacenſis & Gilleberti de Hoylandia diſcipulorum S. Bernardi opera complectebatur. Verum in altera hac Mabillonii editione, commodiori ordine epiſtolas ſtatim excipiunt tractatus ſeu opuſcula, quorum pleraque vel ad modum epiſtolæ ſcripta, vel ex epiſtolis ob prolixitatem in tractatuum claſſem redacta ſunt. His tertio loco ſuccedunt ſermones de tempore & Sanctis, quarto ſermones in Cantica, quibus in quinto tomo ſtatim annectitur eorundem in Cantica ſermonum continuatio per Gillebertum, cum variis operibus Bernardo perperam adſcriptis. Sextum denique tomum occupant Guerrici Abbatis Igniacenſis ſermones, Guigonis Cartuſiani epiſtolæ & varii autores, qui de vita & rebus geſtis Bernardi ſcripſerunt, quos vitæ Bernardinæ Scriptores Horſtius & Mabillonius in priori editione primo volumini præmiſerant. Denique in nova hac editione non ſolum notæ fuſiores, quæ ad calcem tomi quarti ſeu primi voluminis leguntur, non pœnitendis acceſſionibus auctæ ſunt, ſed etiam aliæ notæ breviores ad ipſum Bernardi textum maxime in epiſtolis adjectæ; ut de prolixa præfatione nihil

hil dicam, in qua non ſolum varias Bernardi editiones recenſet, & inſtitui ſui rationem reddit, verum etiam nonnulla ad Bernardi vitam & res ab ipſo geſtas ſpectantia eruditis obſervationibus illuſtrat. Agit enim de Bernardi doctrina, quam non tam humanis artibus acquiſitam quam cœlitus infuſam ipſi fuiſſe ſtatuit; nec non de ejusdem ſanctitate & autoritate in eccleſia: item de ejusdem zelo in corruptos Clericorum imprimis & Monachorum mores, & ſingulari vitæ ſeveritate, quam hodie pleroſque vix credituros Mabillonius aſſerit, niſi monachi beatæ Mariæ de Trapa aliique nonnulli auſteritatem illam imitatione ſua facto posſibilem demonſtrarent; de ſchiſmate Antipaparum ejus temporis per S. Bernardum compreſſo; de erroribus Petri Abælardi & Gilberti Porretani a Bernardo refutatis; de Henricianis aliisq; hæreticis a Bernardo represſis, & denique de expeditione ſacra, ad quam Bernardus concionibus ſuis plurimos incitavit, ejusque infelici ſucceſſu.

Epiſtolæ Bernardi, quas *primo tomo* contineri diximus, in antiquiſſimis editionibus leguntur 310, in Clichtoveana 350, in Lugdunenſi per duos Claravallenſes monachos procurata, Baſileenſi & quibusdam aliis 351, in editione Johannis Picardi 368, in Horſtiana 386, in priori Mabilloniana 397 & in hac noviſſima 444. Adjecit enim epiſtolas viginti in Germania inventas, & Coloniæ appendicis inſtar Horſtio adjectas, & nonnullas alibi inventas, quibus etiam nonnullæ admiſtæ, quæ ad Bernardum vel in Bernardi cauſa ſcriptæ ſunt, & ad Bernardinas illuſtrandas proficuæ. Et in prioribus quidem epiſtolis 310, veterem ordinem ſervavit; in reliquis, quæ per varia intervalla adjectæ ſunt, temporis, quo ſcriptæ ſunt, rationem ſequi maluit, cum eas in prioribus editionibus ordine tam præpoſtero collocatas animadverteret, ut nonnunquam reſponſio ad quasdam literas facta longo illas intervallo præcederet. Præterea etiam genuinas Bernardi epiſtolas a dubiis & ſuppoſititiis diſcrevit, totamque epiſtolarum Bernardi collectionem ad tres claſſes revocavit, quarum primam conſtituunt Bernardi epiſtolæ 310 veterem ordinem ſervantes; ſecundam reliquæ Bernardi epiſtolæ genuinæ in novum ordinem redactæ ab epiſtola 311 usq; ad epiſtolam 417; tertiam denique epiſtolæ Bernardi dubiæ & ſpuriæ, nec non chartæ & inſtrumenta ejus nomine confecta, item literæ ad ipſum vel pro ipſo ſcriptæ, cum aliis nonnullis, quæ ad illuſtrandas ejus epiſtolas conducere viſæ ſunt, ab epiſtola 418 usque ad 444.

In-

Inter *tractatus* ſeu *opuſcula*, quæ *ſecundum tomum* conſtituunt, numero 13, primo loco comparent *libri 5 de conſideratione* ad Papam Eugenium, quos Nicolaus V. elegantiſſime in uſus ſuos deſcribi curavit; quorum lectionem Pius V & Gregorius XIII. menſæ ſuæ adhibuerunt; quos urbanus VII, dum Epiſcopus & Cardinalis eſſet, familiares ſibi reddidit, & ſecum ad conclave tulit, in quo Pontifex renunciatus eſt; quos Innocentius IV. in prælatorum uſum, ut commodius circumferri poſſent, ſeorſim imprimi optavit ut Gerardus Voſſius Tungrenſis Præpoſitus teſtatur, qui hos libros Romæ A. 1594 ſeorſim edidit, & Clementi VIII. dedicavit. Et vel ob hunc ſolum tractatum Mabillonius ejusque ſocii Bernardi opera digna judicarunt, quæ Alexandro VIII. dedicarent, cum hic tractatus ipſorum judicio tot oraculis refertus ſit, ut ad dirigendos ſummos Pontifices divinitus dictatus videatur. Monent autem in præfatione tomi ſecundi, hos libros ad Eugenium, quos autor quidam non malus & Bernardo ferme æqualis Summorum Pontificum Deuteronomium appellavit, non ſimul & ſemel ſcriptos, ſed primum, in quo Bernardus conſiderationis utilitatem & neceſſitatem demonſtrat, anno 1149 ſcriptum fuiſſe; ſecundum quo conſiderat, quis & qualis Pontifex, A. 1150; tertium quo agit de iis quæ infra Pontificem ſunt, A. 1152; quartum vero, quo ea quæ circa Pontificem ſunt, contemplatur, & quintum quo ea, quæ ſupra Pontificem ſunt, conſiderat, paulo poſt, vel eodem anno, quo tertium abſolvit. Secundum Bernardi opuſculum eſt *tractatus de officio Epiſcoporum*, ex ejusdem epiſtolis, quas inter locum 42 habuit, huc translatus, & ad Henricum Senonenſem ſcriptus, cum is a Gaufredo Carnotenſi & Burchardo Meldenſi jam ad meliorem vitam connverſus, novis ſtimulis ad Partes ſuæ dignitatis ſtrenue implendas incitandus videretur, Tertium opuſculum eſt liber ſeu *ſermo de converſione ad Clericos* Pariſienſes habitus, capitulis 22 diſtinctus. Quartum opuſculum agit de præcepto & diſpenſatione, cui ſcribendo Carnotenſes monachi occaſionem dederunt, a quibus conſultus fuerat, quænam eſſet regula Benedicti, & ſtatutorum ejus obligatio. Cum autem Carnotenſes, inconſulto Abbate ſuo, hac de re ad Bernardum ſcripſiſſent, præmiſſa eſt epiſtola ad Abbatem Columbenſem, quem Bernardus rogat, ut hunc tractatum a ſe perlectum Carnotenſi Abbati transmittat, ne inſcio Abbate in monachorum manus perveniat; cum ex lege ſui Ordinis, ſine Abbatis ſui nutu, epiſtolas dare &

accipere prohibeantur. Quintum opuſculum eſt *apologia ad Guillelmum S. Theodorici Abbatem*, quæ in editione antiquiſſima Rotomagenſi, cujus ſupra mentionem fecimus, inſcribitur: *libellus Bernardi de concordantia religioſorum ſtatuum, qui tempore ſuo erant.* Agit enim Bernardus in hac apologia de Ciſtercienſibus & Cluniacenſibus, & priori quidem parte Ciſtercienſes perſtringit, quod ſeverioris vitæ ſpecie Cluniacenſibus detrahant; poſteriori autem, Cluniacenſium ſolutiorem diſciplinam & luxum deprehendit. Neque dubitandum cenſet Mabillonius in admonitione huic opuſculo præfixa, quin vera ſint, quæ de Cluniacenſibus Bernardus notavit, quem accurate hac de re edoctum fuiſſe probat ex ſtatutis Petri Cluniacenſis, qui coacto apud Cluniacum Capitulo generali, pleraque illa vitia emendare conatus eſt. Sextus tractatus eſt *liber de laude novæ militiæ* ad milites Templi, Hugoni Militi Chriſti & Magiſtro militiæ Chriſti dedicatus. Regulam autem Templariorum, quam a Bernardo dictatam Miræus, Manricus & alii cenſenſuerunt, Bernardi non eſſe probat Mabillonius, ideoque ejus inter Bernardi opera, quod & ab aliis factum, nullam rationem habet. Poſt opuſcula ad varios ſtatus eccleſiaſtici ordinis ſpectantia, ſequuntur in hac editione, quæ ad Chriſtianas virtutes pertinent. Septimum igitur Bernardi opuſculum eſt *tractatus de gradibus humilitatis & ſuperbiæ*, qui ſi temporis ordo in digerendis his Bernardi opuſculis ſervatus fuiſſet, cæteris omnibus præponi debuiſſet. Octavum opuſculum eſt *liber de diligendo Deo*, in quo amoris erga Deum modus, cauſæ, origo, gradus, obligatio, aliaque quæ ad hanc materiam faciunt, exponuntur. Etſi autem Berengarius huic libro inſultaverit, quaſi ſuperfluum eſſet de eo diſſerere, de quo nemo dubitat, reponit tamen Mabillonius in admonitione huic opuſculo præmiſſa, quod præceptum amoris ſi non verbis, factis tamen a maxima hominum parte negetur, quin & a nonnullis prava interpretatione ita in nihilum redigatur, ut dubitare impune liceat, num Deum Optimum Maximum aliquo ſpeciali amoris actu vel ſemel in vita a quovis Chriſtiano diligi oporteat? Quæ ſequuntur opuſcula dogmatica ſunt & polemica. Nonum enim eſt *tractatus de gratia & libero arbitrio* ad Guillelmum S. Theoderici Abbatem, parvus quidem liber, Mabillonii judicio, ſed qui plus ſucci & ſolidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ hoc argumentum pertractarunt. Decimum, quod olim inter epiſtolas numero 77 legebatur,

tur, eſt *reſponſio ad quæſtiones* de Baptiſmo, Chriſti incarnatione aliisque fidei articulis, quos Bernardo Hugo de S. Victore propoſuerat, non quidem ille, qui ab Eugenio in epiſtola ad Sugerium laudatur, ſed alter ſcriptis ſuis notiſſimus, quem Mabillonius non Saxonem, quod Miræo aliisque viſum, ſed Ipreuſem fuiſſe exiſtimat. Anonymus autem ille, qui Hugoni a S. Victore occaſionem dedit de his quæſtionibus Bernardum conſulendi, juxta Mabillonii conjecturam, non alius eſt, quam Hugo Tarſitus, cui 35 Bernardi epiſtolam inſcriptam legimus. Undecimum opuſculum, quod olim epiſtolam 190 conſtituit, eſt *tractatus de erroribus Petri Abælardi*, ad Innocentium II. Pontificem ſcriptus, cui præmiſſa ſunt capitula hæreſium Petri Abælardi, quæ ex Vaticano codice deſcripſit, & ad Mabillonium ejusque ſocios transmiſit Johannes Durandus. Duodecimum opuſculum hiſtoricum eſt *de vita & rebus geſtis S. Malachiæ* Hiberniæ Epiſcopi. Ultimum denique eſt *tractatus de cantu*, cui præmiſſus eſt prologus ſuper antiphonarium Ordinis Ciſtercienſis. Hunc tractatum primus edidit Jacobus Hommey in Supplemento Patrum, qui etiam huic Bernardi tractatui ſubjungit tractatum de ratione cantandi gradale, item expoſitiones morales & alia quædam, in nova hac Bernardi editione eam ob cauſam omiſſa, quod alium quam Bernardum autorem agnoſcere viderentur.

Tertius tomus operum Bernardi *Sermones de tempore, de ſanctis, & de diverſis* complectitur, qui verborum acumine, ſententiarum varietate, rerum ſublimitate, & affectuum pietate cæteris ejus ſcriptis minime cedunt; quam laudem Bernardum cum paucis habere communem, doctiſſimi editores obſervant, cum in reliquorum Patrum ſcriptis ea pars, quæ homilias ſeu ſermones complectitur, plerumque minus elaborata deprehendatur. Quibus diebus Bernardus hos ſermones habuerit, quibus horis, qua lingua, Latina an Gallica, & quæ doctrinæ capita in ſuis ſermonibus imprimis tractaverit, prolixe in præfatione huic tomo præmiſſa inquiritur, ejusque ſententia de ſtatu animarum poſt mortem exponitur, nempe quod animæ ſanctæ corpore ſolutæ ſtatim in cœlum & conſortium Angelorum admittantur, ibique in multa luce verſentur, & ante reſurrectionem corporum tantum humanitatem Chriſti, non item Divinitatem videant, multamque in corde ſuo, licet non plenam lætitiam habeant. Obſervatur tamen, nonnullis in locis Bernardum ſanctis animabus ipſius quoque Dei viſionem tribuere. Notatur præ-

terea Thomas Anglus, qui in libello de medio animarum ſtatu aſſerit, primum e Patribus Bernardum beatorum animabus corpore ſolutis ſedem in cœlo tribuiſſe, cum reliqui Patres non niſi poſt extremum judicium beatis in cœlo locum dederint; quod falſum eſſe, Cypriani, Alcuini, & Flori Diaconi Lugdunenſis teſtimoniis probatur. Idem Thomas Anglus ſtatuit, Bernardum Divinitatis viſionem animabus ante reſurrectionem corporum negaſſe, quam alii Patres ipſis conceſſerint. Ad quam ſententiam reſpondetur, non conſtare, quod veteres, qui beatorum animas ante reſurrectionem non in cœlo, ſed in abditis quibusdam receſſibus ſtatuerunt, iisdem divinæ eſſentiæ viſionem conceſſerint; Bernardum autem, cum humanitatis Chriſti manifeſtam contemplationem animabus ante extremum judicium tribuat, vel in hoc a Johannis XXII. ejusque ſequacium opinione diſſidere, & contra ab eorum opinione non alienum videri, qui divinitatis intuitum beatis tribuunt, ſed minus perfectum, quam poſt reſurrectionem. Poſtrema hujus præfationis pars de Nicolao agit, qui ex Arremarenſi monacho Clarævallenſis factus, Bernardi Notarius primum, & poſt ejusdem deſertor fuit. Inter alia animadvertitur vulgaris eorum error, qui aſſerunt, hunc Nicolaum, cum a Bernardo defeciſſet, in Angliam profugiſſe, & ſe in S. Albani monaſterium recepiſſe, nec diverſum eſſe a Nicolao, qui Bernardi vita jam defuncti de conceptione Deiparæ ſententiam oppugnavit, & Petrum Cellenſem adverſarium habuit. Diverſos enim fuiſſe hos Nicolaos, ex eo probatur, quod Nicolaus Bernardi Notarius natione Francus fuerit, alter Anglus; item quod Bernardi Notarius Petro Celſenſi de facie notiſſimus, alter de facie ignotus fuerit,

Quartus tomus operam Bernardi complectitur 86 *Sermones in Canticum Canticorum.* Quod opus etſi A. C. 1135 cœptum fuerit, perfici tamen intra octodecim, quibus ſupervixit, annos non potuit, cum variis eccleſiæ & regni negotiis interpellatus, & nonnunquam importuna hoſpitum adventantium frequentia impeditus fuerit; quæ cauſa etiam fuit, quod Bernardo ſermones hos habituro non ſemper præmeditari licuerit, unde nonnunquam eos nondum ſcriptos ex animi copia & plenitudine depromſit. Habuit autem hos ſermones in auditorio Fratrum, & quidem Novitiis præſentibus, non vero Converſis ſeu fratribus laicis; horis interdum veſpertinis, interdum matutinis, & nonnunquam absque dierum intervallis. Quo magis mirandum, meditandis

his

his ſermonibus ipſum parem fuiſſe, quos una cum libris de conſideratione doctiſſimi Editores præ cæteris ejus ſcriptis maxime commendant. Præmiſſa eſt in hac editione ſermoni 65 epiſtola *Evervini*, Steinfeldenſis prope Coloniam Præpoſiti, ad Bernardum, quæ etiam tomo 3. Veter. Analect. p. 452. legitur. Multum enim lucis hæc epiſtola affert ſermoni 65 & 66, in quibus Bernardus de illis ipſis hæreticis agit, de quibus Evervinus in hac epiſtola ad ipſum ſcripſerat. Et Mabillonius quidem primum cum Horſtio cenſuerat, in prædictis ſermonibus Bernardum non de aliis hæreticis agere, quam de Henricianis, contra quos epiſtolam 240 edidit. Verum reperta & perpenſa Evervini epiſtola, ſententiam mutavit, cum Colonienſes illi hæretici ab Evervino deſcripti, etſi cum Henricianis, qui imprimis Aquitaniam turbarunt, in nonnullis conſenſerint, nonnulla tamen peculiaria habuerint; unde Mabillonius colligit, quod diverſi rami fuerint ex una radice prodeuntes, nec dubitat Colonienſes illos hæreticos ex Tanchelini officina prodiiſſe. Ad calcem quarti tomi leguntur flores ſeu ſententiæ ex Bernardi operibus depromptæ; Nomenclator vocum exoticarum in S. Bernardum; Chronologia Bernardina ab anno 1091, quo natus eſt, ad annum 1153, quo mortuus; Stephani Abbatis Ciſterienſis II. cenſura de aliquot locis Bibliorum, quæ depromta eſt ex codice Bibliorum apud Monaſterium Ciſtercienſe, nec non Mabillonii notæ in Bernardi opera fuſiores, quarum ſupra mentionem fecimus, intermixtis nonnullis Horſtianis, quæ addito Horſtii nomine in margine ſignantur.

Tomo V, a quo Volumen II. incipit, continetur *ſermonum in canticum Salomonis continuatio*, *autore Gilleberto de Hollandia*, (quod nomen eſt inſulæ Anglis & Scotis conterminæ,) Abbate Ciſtercienſi, cum nonnullis ejusdem tractationibus aſceticis, & epiſtolis *Guillelmi* Abbatis S. Theodorici prope Remos, poſtea Monachi Signiacenſis; epiſtola ſeu liber ad Fratres de morte Dei, a nonnullis Bernardo perperam adſcripta cum aliis nonnullis ejusdem Guillelmi tractatibus; brevis commentatio ad duo priora capita Cantici Canticorum, quam Mabillonius in priori editione Bernardi ſermonibus in Cantica, tanquam genuinum ejus fœtum adjunxerat; *Gaufridi* Abbatis declamationes ex Bernardi ſermonibus collectæ, ad Henricum Cardinalem; *Guigonis* Cartuſiani ſcala clauſtralium, ſeu tractatus de modo orandi, perperam Auguſtino & Bernardo adſcriptus, aliique tractatus Bernardo ſuppoſiti; nec non va-

rii ſermones *Ælredi*, *Nicolai Claravellenſis*, *Ogerii*, *Echerti*, *Bernardi Cluniacenſis*, *Bernardi Archiepiſcopi Toletani* & aliorum, Bernardo in nonnullis codicibus affićti, & poſtremo carmina quædam & rhythmi, quos Bernardo tribuere nonnullis placuit.

Reſtat *ſextus tomus* operum Bernardi, qui complectitur *Guerrici* Abbatis Igniacenſis, qui S. Bernardi diſcipulus fuit, ſermones, *Guigonis* Cartuſiæ majoris Prioris quinti epiſtolas quasdam, & libros ſeptem de vita & rebus geſtis Bernardi, quorum primus *Guillelmum* S. Theoderici prope Remos Abbatem, ſecundus *Ernaldum* vel *Arnaldum* Bonæ Vallis in agro Carnutenſi Abbatem, tertius, quartus & quintus *Gaufridum* Bernardi Notarium & poſtea Abbatem, ſexus *Philippum* & alios Claravallenſes Monachos autores habet; ſeptimus autem ex magno exordio Ciſtercienſi excerptus eſt. Accedunt fragmenta ex libris *Herberti* de miraculis Ciſtercienſium monachorum; Vita Bernardi, autore *Alano* Archiepiſcopo Autiſſiodorenſi; Fragmenta de vita Bernardi, a Petro Franciſco Chiffletio A. 1679 in quatuor opuſculis ex Autore quodam incerto, quem Mabillonius *Gaufridum* eſſe exiſtimat, excerpta; *Johannis Eremitæ* libri duo de vita Bernardi; *Philothei* monachi de vita & moribus Bernardi carmen encomiaſticum; deſcriptio monaſterii Claravallenſis; *Gaufridi* Abbatis Claravallenſis ſermo in obitum Bernardi, ejusdem epiſtola ad Albinum Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem, de condemnatione errorum Gilberti Porretani, & libellus contra capitula Gilberti, nec non epiſtola ad Josbertum brevem orationis Dominicæ explicationem continens; *Alexandri III.* epiſtolæ de canonizatione Bernardi; *Henrici Abbatis* Claravallenſis epiſtola ad Stephanum Anglorum Regem de elevatione corporis S. Bernardi, & tandem variorum Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Regum & Magnatum, Abbatum & Generalium, Doctorum Theologorum, Religioſorum, Jureconſultorum, Oratorum, illuſtrium Fœminarum, & Proteſtantium de Bernardo teſtimonia, cum Horſtii parænesi ad ſectarios, & excerptis ex ejus invectiva contra cenſuras Centuriatorum Magdeburgenſium. Cæterum *Petrus Franciſcus Chiffletius* A. 1660 Divione diatribam edidit de illuſtri genere Bernardi, ut oſtenderet, Romani breviarii clauſulam, qua S. Bernardus honeſto loco natus dicitur, eſſe infra illius dignitatem, cum illum ex utroque parente perquam nobilem fuiſſe conſtet. Hanc diatribam paucis attingere, quam totam

tam exſcribere Mabillonius maluit, & monet, monaſterii Claraevallenſis inſigne, quod in ſcuto nigro baltheum auri ſive argenti minii ductu gemino teſſellatum exhibet, non eſſe derivatum, ut quibusdam viſum, a Bernardi inſigni gentilitio, ſed ex Ducum Campaniæ familia, ex quibus Hugo Claram Vallem fundavit; ſenas vero faſcias ex auro & cyano dextrorſus obliquatas in margine purpureo, quod Ciſtercienſis Ordinis ſymbolum eſt, a Burgundiæ Ducum familia petitum eſſe, quorum beneficiis Ordo Ciſtercienſis fundamenta ſua debet. Hæc de nova hac Bernardi editione dixiſſe ſufficiat, cujus utrumque volumen copioſis indicibus clauditur.

ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΥ ΣΑΜΙΟΥ ΠΕΡΙ ΜΕΓΕΘΩΝ ΚΑΙ ἀποςημάτων Ἡλίȣ καὶ Σελήνης Βίβλιον &c.

ΠΑΠΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΤΟΥ ΤΗΣ Συναγωγῆς Βιβλίȣ Β΄ ἀπόσπασμα &c

hoc eſt,

Ariſtarchi Samii de Magnitudinibus & Diſtantiis Solis & Lunæ liber &c.

Pappi Alexandrini ſecundi libri Mathematicæ Collectionis fragmentum &c.

Edidit, & notis illuſtravit Johannes Wallis S. T. D. &c.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, anno 1688, in 8vo.

Conſtant plagulis $10\frac{1}{2}$. Iconiſmis 3.

INter priſci ævi mathematicos non incelebre nomen conſecutus eſt *Ariſtarchus Samius*: cum ob propugnatam terræ motæ hypotheſin, quam peculiari illum libro expoſuiſſe, autor nobis eſt *Archimedes* in *Arenario* ſuo; & ob quam a *Cleanthe* in jus vocatum, tanquam qui ſacra Veſtæ loco movere attentaſſet, commemorat *Plutarchus* libro *de facie in orbe Lunæ*: tum ob eruditiſſimum libellum, qui ſolus ex ſcriptis ejus hodie ſuperat, cujusque titulum modo exhibuimus. Hujus quædam *l. 6 Collectionum* ſuarum, *prop. 38* recenſuit *Pappus Alexandrinus*; integrum vero, ſed & Latinum idioma translatum, ſuperioris ſeculi anno 72 Piſauri edidit *Federicus Commandinus*, de ſtudiis mathematicis non uno nomine optime meritus.

Cum

Cum autem textus autoris Græcus hactenus deſideraretur: publicis eruditorum votis, & præcipue *Societatis Philoſophicæ Oxonienſis* hortatu, laborem hunc ſuſcepit Venerandus ſenex, idemque inter mathematicos ſeculi noſtri primos, *Joannes Wallis*, Geometriæ Profeſſor *Savilianus* celeberrimus: uſus ad hanc operam codicibus manuſcriptis, uno *Henrici Savilii*, Equitis Angliæ illuſtriſſimi (quem ſua manu ex Vaticano codice, ut *Walliſio* videtur, deſcripſit;) altero Collegæ ſui clariſſimi, *Eduardi Bernardi*, e priore illo dudum fideliter deſcripto. Adjunxit textui Græco e regione verſionem *Commandini* integram (inſuper habita alia *Georgii Vallæ*, quæ in *Bodlejana* Bibliotheca habetur) textui ita examuſſim conveniente, ut ex eodem fonte cum codice manuſcripto derivata cenſeri poſſit: adjectis etiam iis, quæ ex *Pappi* loco ſupra citato, verſioni ſuæ inſeruit *Commandinus*, quorum textum Græcum ex duobus manuſcriptis *Pappi* codicibus *Savilianis* ſuplevit. Addita inſuper ſunt bina ſcholia cum Latina verſione, quæ in *Commandiniana* editione deſiderantur; & ad calcem paginarum *Editoris* notæ, integritatem textus utplurimum ſpectantes; quibus, ne quid deeſſet, interſperſæ ſunt notæ *Commandini*, ut & ſub finem libelli, Shematiſmi hujus textum illuſtrantes.

Eleganti huic libello *Ariſtarchi*, Editor ſubjungendum duxit *fragmentum* aliquod *Collectionum Pappi Mathematicarum*, hactenus ineditum. Habemus quidem dudum hunc autorem, ſed in Latinum converſum & commentariis exornatum, a ſæpius laudato *Commandino*; editumque noſter commemorat Venetiis anno 1589; quam tamen editionem, fatis jam functo *interprete*, antevertit alia, auſpiciis *Franciſci Mariæ II Urbini Ducis*, accurante illius genero *Valerio Spacciolo*, Piſauri anno 1588 emiſſa: ſed habemus capite truncatum, cum primus & ſecundus libri nulla tum *Commandini* diligentia, ſed nec hactenus, inveſtigari potuerint. Cum ergo inter codices *Pappi* Savilianos manuſcriptos *Walliſio* repertus fuerit, qui præter ſex poſtremos, partem etiam ſecundi libri non contemnendam complecteretur, ex qua de reliquo judicium fieri poſſet; & hanc, textibus Latino Græcoque ex adverſo poſitis, notis illuſtratam publico voluit impertiri: non tantum ut deperditus quadantenus; ſed & (ex quo deſumtus idem eſt) *Apollonii* liber reſtitueretur, aut ſaltem doctrina inibi ab utrisque tradita. Incipit vero *fragmentum* a propoſitione 15ta, deſinit in 27ma, ipſoque, ut

tex

textus ſert, ſine libri. Propoſitiones quod attinet, nihil illæ continent, quam doctrinam multiplicationis numerorum, qualis ſcilicet, nondum receptis Indorum figuris numericis, quam commodiſſime inſtitui poſſe viſa tum eſt Veteribus. Itaque utut jam hodie, algorithmi figurarum Indicarum beneficio, priſcorum illis non indigeamus ambagibus, multoque brevius & felicius ea exequamur, quam *Pappus* hic præcepit: tanti tamen eſt, ut ſciamus, qua ſagacitate quaque via in hoc argumento progreſſi ſint Veteres; quid porro ſit eruditionis Mathematicæ, qua tam diu non ſine magno reſtitutionis deſiderio caruimus; quidque demum reſtet eorum, quæ nobis adhuc deſunt: quæ juxta *Editoris* conjecturam, vix ſupra additionis & ſubtractionis praxes, conſuetis hodie regulis longe facilius, quam Veterum illis expediendas, aſcendunt. Ex quo, quemadmodum tanto jam æquius jacturam eorum reliquam ferre poſſumus; ita eruditiſſimo *Walliſio* laboris inſumpti gratias deberi eximias, oppido profitemur: nihilque magis in votis haberemus, quam ut ea ſenii gauderet viriditate, eoque ab aliis laboribus abundaret otio, ut reliquos *Pappi* libros ſuperſtites, e codicibus manuſcriptis Oxonienſibus, uno *Bodlejano*, *Savilianis* duobus, pari cum iſthoc fragmento induſtria emaculatos, orbi erudito in originario ſuo, hoc eſt Græco textu propediem legendos, indubie poſſemus polliceri.

TRAITE SINGULIER DES REGALES &c. Par M. Franſois Pinſſon &c.

i. e.

Franciſci Pinſſonii, veterani in Parlamento Pariſienſi Advocati, Tractatus ſingularis de Regalibus, ſive de juribus Regis circa beneficia Eccleſiaſtica. Item: Collatio ſuper edictis regiis Contraſignaturæ (Contrôle) & inſinuationum Eccleſiaſticarum cauſa antehac publicatis. Acceſſerunt plurimæ aliæ inſtructiones de materia beneficiaria.

Lutetiæ apud I. Guignard, & A. Dezallier 1688 in 4to. Tomi II. Alphab. 9. Plag. 3.

OPus hoc Viri, ut ſatis apparet, juris Canonici & Civilis peritiſſimi, & in foro diu exercitati, tum aliis ſcriptis, quæ ipſe citat, celebris, inter ea referri debet, quæ cum theſauris, ſive pretioſarum & rararum rerum apothecis comparari ſolent. Congeſſit enim Autor, multo labore, magnum Conſtitutionum & Diplomatum Pontificiorum & Regiorum, tum Monumentorum Actorumque aliorum in tribunalibus regiis numerum, quibus Tractatus ſuos confirmavit; additis etiam inſignibus annotationibus ad intellectum & applicationem documentorum, quæ produxit, apprime utilibus. Stylo quoque utitur plano & gravi; præterea ingenui animi indicia ubique præbet. Quapropter volumina hæc, tot ſingulares parumque hucusque cognitas res exhibentia, in magno pretio haberi, & in Bibliothecis illuſtrioribus reponi merentur. Majorem quidem fructum illis afferent, qui in Gallia aut alibi litibus de beneficiis Eccleſiaſticis implicantur, ſed & iis lectu non injucunda erunt, qui monumenta antiqua æſtimant, ex quibus hiſtoriæ lux affulget; forſitan & iis, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt, ſolatio eſſe poterunt, quod ex labyrintho tricarum forenſium pene infinitarum, & quæ nullo remedio in provinciis Romanæ Hierarchiæ ſubjectis caveri poſſunt, ſumtusque ingentes exigunt, ereptos ſe & liberatos eſſe vident.

Prima & præcipua pars Operis de *Regalibus* inſcribitur, & *volumine primo* paginas 316 occupat. Per *Regalia* Autor hic intelligit generatim jura Regum & Principum circa dignitates & functiones atque emolumenta, ſive, ut vocari ſolent, *beneficia Eccleſiaſtica*; ſpeciatim vero illa, quibus Rex reditus vacantium Epiſcopatuum aliarumque, ut vocant, præbendarum ſibi vindicat, & quæ tempore vocationis diſtribui in Epiſcopatibus & Collegiis ſacris poſſunt beneficia, pro ſuo confert arbitrio. Galli, ut ſpeciem hanc a genere diſtinguerent, hoc jus nominarunt *la Regale*, & jamdudum ſtylo curiali genere fœminino Regalia & Regaliæ etiam Latine dici cœperunt. Commentandi de ſpeciali hoc *Regaliarum* jure occaſionem ſumſiſſe ſe ſcribit Pinſſonius a tractatu *Boëtii Eponis*, gente Friſii, inſignis quondam in Academia Lovanienſi & poſtea in Duacena,

cena Jureconſulti, anno 1588 edito, ſub titulo *de Regalibus vel univerſo Jure Principum in Beneficiis Eccleſiaſticis.* In hoc Epo jus *Regaliæ* ſpeciatim ſic dictum, quod Galliæ Reges exercent, alii vero uſurpant, pant, ut injuſtum & illicitum impugnavit. Hoc igitur, ut ſingularem & cum aliis minime communem Regum Galliæ prærogativam, multis argumentis defendendum ſuſcipit Pinſſonius, idque non ex indulgentia Pontificum derivat, ſed jure proprio Regibus competere, ipſorumque axiomati & perſonis inſitum veluti eſſe, & non ſecus ac donum ſtrumis medendi inhærere contendit; unde ullo modo amitti, alienari, aut præſcribi nequeat. Elidit objectionem, quod Beneficia Eccleſiaſtica ſint ſpiritualia: id enim negat, oſtenditque temporalia vel mixta eſſe, & ſic a Regibus & Principibus, utut laicis, recte conferri. Rejicit quoque reſtrictionem ad certos quoſdam Epiſcopatus, in quibus ab antiquo a Regibus hoc jus exercitum fuerit, & *Carolum Molineum*, ſtrenuum olim libertatum Eccleſiæ Gallicæ defenſorem ſecutus, autoritatem, quæ ex libris Cameræ Rationum regiarum (*Chambre des Contes*) contra Regaliam allegari ſolet, quaſi ex Epiſcopatibus illi ſolum Regali huic juri obnoxii ſint, quorum nomina in *Rationes* illas ſunt relata, extenuat, & univerſale per totum Regnum, omneſque, quæ illi accedunt, provincias jus Regi aſſerit, argumento ſatis valido, ſi, ut præſupponit, jus iſtud perſonæ Regum quaſi innatum eſt, nec ab indulgentia Pontificum oritur, nulla quoque præſcriptio, cujuscunque temporis, Regibus obſtat. Quomodo vero Reges contra Pontificum oppoſitiones jus hoc ſuum a multis ſeculis tutati ſint, Autor in præfatione hiſtorica Volumini primo præmiſſa per compendium recenſet, & in opere ipſo latius deducit. Allegat inprimis Regum *Philippi Auguſti* & *Ludovici Noni* ſive *Sancti* teſtamenta & acta anno 1220, 1248, 1268, & maxime ſanctionem *Ludovici*, quæ dicebatur *pragmatica.* Deinde *Gregorii X* Pontificis deciſionem in Concilio Lugdunenſi anno 1274 habito, pro Rege interpretatur. Extat ea *Lib. VI. Decretal. tit. de electione, cap. Generali*, habetque duo membra. In primo Pontifex excommunicat omnes, qui *Regalia*, *cuſtodiam ſive guardiam*, *advocationem* & *defenſionem* in Eccleſias uſurpant, & vacationis tempore reditus occupant. Hoc ad minorum gentium Dynaſtas pertinere ſtatuit Autor. In ſecundo Regi-

 bus

bus Galliæ proſpici dicit, dum excipiuntur, qui jura iſtiusmodi ex fundatione Eccleſiarum, vel ex antiqua conſuetudine exercent, & hi ſaltem a Pontifice admonentur, ut abuſum vitent, nec ad ſe tempore vacationum trahant, quæ ad reditus annuos non pertinent, nec bona, quorum cuſtodes ſeſe ferunt, ipſi diſſipent. Hanc diſtinctionem indubitato ad Reges Galliæ pertinere affirmat, & teſtes citat ipſos veteres Gloſſatores *Decretalis* iſtius, ſive *Cap. General.* multumque queritur, quod verba gloſſæ *ſexti decretalium* (cujus autor *Elias Regnerius* JCtus Pictavienſis) correctores Corporis Canonici a Gregorio XIII conſtituti, anno 1580 expunxerint, quæ tamen in editionibus anterioribus extant & hæc ſunt: Ad verbum *Regalia* i. e. *quæ capiunt Reges, vacante Eccleſia, ut patet in regno Franciæ, & Angliæ.* Item: *controverſia mota fuit inter Philippum Regem Francorum (illum nempe qui Pulcher cognominari ſolet) & Bonifacium VIII conditorem hujus compilationis (i. e. Sexti Decretalium) qui Bonifacius ſcripſit quandam epiſtolam, in qua continebantur iſta verba: Collatio beneficiorum eſt ſpiritualis, ſecus autem credentes hæreticos reputamus; quam epiſtolam cum perlegiſſet ipſe Philippus, ſcripſit aliam, in qua continebantur iſta verba: collatio beneficiorum ad nos ſpectat, ſecus autem credentes fatuos & dementes reputamus. Ideo ſecundum aliquos conſtitutiones iſtius compilationis, (id eſt, Decretales Bonifacii) non ſunt receptæ in hoc regno* (i. e. *Galliæ*) *propter iſtam controverſiam.* Hæc *Regnerius* ſive gloſſa, quæ in novis editionibus omiſſa eſſe, graviter fert Pinſſonius. Verum iſthæc ipſa lis Bonifacio exitium attulit, ut ex hiſtoria notum eſt. Unde ſucceſſores ejus cum Regibus Galliæ mitius egerunt, ut Autor notat; imo antiquum commentatorem *Johannem Monachum*, Bonifacio ipſi licet addictiſſimum, & Cardinalitia purpura ab illo ornatum allegat, qui diſerte ſcripſerit, conſtitutionem *Cap. General.* non officere Regibus Galliæ, ſed horum jura per eam intacta relinqui. Laudibus igitur effert Pinſſonius Regem ſuum *Ludovicum* XIV, quod non ſolum ſuavibus & ſalutaribus, ut in epiſtola dedicatoria loquitur, coactionibus *(par les douces & ſalutaires contraintes)* edictum Nanentenſe ſuſtulerit, ſed & jus Regaliæ in plenum reſtituerit exercitium, inque omnes, quas armis acquiſivit provincias, conſenſu Pontificum, pietatem Regis in propaganda religione

ligione Romana agnoſcentium, extenderit. Sperat inde fore, ut recuperatis omnibus, infeliciter quondam amiſſis, fines Regni & Orbis eosdem ſtatuat, ſive *Orbis Romani* nomen imperio ſuo tribuere poſſit, ad exemplum Marci Antonini *in L. 17. ff. de Stat. hom.* Hæc de jure Regaliæ ſpecialis, ſive prima Regalium Eccleſiaſticorum Regi competentium ſpecie, de qua alios ſcriptores in Actis noſtris enarravimus, excerpſiſſe ſufficiat.

Novem alias ab Autore enumeratas paucis indicamus. *Secundam* vocat jus quod Reges habent ex fundatione, de quo tractat *cap.* VI. *Tertiam*, jus benignarum precum, ſive commendandi Candidatum ad beneficia electiva, *cap.* VII. *Quartam*, jus nominandi Epiſcopos, Prælatos & beneficiarios alios: id quod, ſublata Sanctione Pragmatica, *Leo* X. *Franciſco* I. in *Concordatis* anno 1516 conceſſit, *cap.* VIII. *Quintam* & *Sextam*, quam in Neuſtria ſive Normannia ex ſpeciali veterum Ducum jure Reges exercent; jus ſcilicet nominandi, cum Patroni de collatione litigant, vel minorennes ſunt, *cap.* IX & X. *Septimam*, jus primariarum precum poſt inaugurationem Regis, ad conferendum beneficium in Eccleſiiis Collegiatis primo vacaturum, *cap.* XI. *Octavam*, aliud precum jus a priori, quod ſemel toto regni tempore Reges in quolibet Collegio exercent, diſtinctum, quo Epiſcopus a Rege nominatus, poſt acquiſitam Epiſcopatus poſſeſſionem, primum quod vacat beneficium commendato a Rege tribuere obligatur, *cap.* XII. *Nonam*, poteſtatem Regibus a Pontificibus indultam, ad beneficia Eccleſiaſtica primoribus Parlamenti ex ſacro ordine conferendi; quod ſpeciatim vocatur *Indultum cap.* XIII, & ad illud pleraque documenta & annotationes Autoris pertinent, quæ volumine II. exhibentur; quanquam etiam alia inſerantur lectu digniſſima, inprimis indices beneficiorum & collationum, item Concordata Pontificum cum natione Germanica. *Decimam* denique extenſionem nominationum in provinciis noviter acquiſitis, quam *Alexander* VII, *Clemens* IX, & *Innocentius* XI. fecerunt, ita ut Rex eam nominandi jus habeat, ſi beneficia vacent in *Menſibus Papalibus.* Alternatim enim Pontifices & Principes collationes quasdam exercent: Pontifex menſe Januario, Princeps Februario, & ſic in reliquis menſibus.

De tractatu, qui in titulo inſcribitur *Collatio*, (Conference)

 de

de edicto *Contraſignaturæ* (du controle) & declaratione de Inſinuationibus Eccleſiaſticis, ideo nihil recenſebimus, quia nec res, nec verba, facile intelligi poſſunt ab iis, qui extra Galliam vivunt, & tabem illam fori Eccleſiaſtici, liteſque innumeras, ut & diſſenſiones ignorant, quæ non ſolum inter partes fervent, ſed & ſæpe inter Parlamentum & Tribunal regium, in quo de rebus Eccleſiaſticis cognoſcitur (*Le grand Conſeil*) oriuntur. Propoſuit Autor edictum Ludovici XIII. anno 1637 editum, articulos habens XXVII; quo *Contraſignatores* conſtituti ſunt, & Notariis Apoſtolicis ſive quos *menſarios* (Banquiers) & *ſcribas* Diœceſanos vocant, regulæ præſcibuntur, quomodo in deſcribendis, ad acta referendis & inſinuandis diplomatibus & documentis, quibus collationes & reſignationes continentur, ſumma cum induſtria & fide verſari debeant. Neque tamen ſic ſatis proviſum eſt adverſus fraudes, falſitates & ſycophantias, quibus nominationes & collationes regiæ & aliorum patronorum eludi ſolent; ut adeo novis ſubinde conſtitutionibus opus fuerit, quas Autor itidem produxit *Vol. I. ap. 1. ad 254.* Titulus hujus tractatus, qui *Collatio* vel Colloquium inſcribitur, inde ſumtus eſt, quod magni nominis vir *Guilielmus de Lamoignon*, primus Parlamenti Præſes, pro inſtructione filiorum ſuorum, quam primum togam induiſſent, & in tribunali ſupremo recepti eſſent, ſeniores & peritiores Advocatos privatim congregare certis diebus conſueverat, qui de rebus graviſſimis & maxime de Beneficiis Eccleſiaſticis inter ſe conferrent & diſputarent; inſtituto maxime laudando & imitando ab iis, qui profectum juvenum promovere cupiunt. Indices locupletes & diligenter compoſiti volumini I. adjuncti ſunt, in quibus pleraque notatu digna facili negotio inveniri poſſunt. Primus eſt documentorum ſive Inventarii, (ſic enim Volumen II. vocatur) alter contenta in tractatu de Regalibus complectitur: tertius ea, quæ ex collatione Lamoigniana notabilia ſunt.

RAPH. FABRETTI DE COLUMNA TRAJANI Syntagma.

Romæ, ex officina Nic. Angeli Tinaſſii, 1683. in Fol. Alph. V. & plag. 7.

RAphael Fabrettus, Caſparis F. Nobilis Urbinas, Romanorum noſtri temporis Antiquariorum facile princeps pluribus jam abhinc

hinc annis edidit *Syntagma*, cujus notitia aliqua in eruditorum Actis extare debebat; quemadmodum aliorum Viri clariſſimi operum *anno 1687 p. 226*, itemque notarum in Homeri Apotheoſin (Syntagmati huic pag. 345, ſeqq. annexarum) *1683. pag 542.* mentionem injicere haud neglexImus. Argumentum Cl. Viro ſuggeſſit *Columna* a S. P. Q. R. in memoriam rerum ab Imp. Nerva Trajano in utroque bello Dacico geſtarum, extructa, quam Seculo ſuperiori *Alphonſus Ciaconius*, noſtra ætate *Jo. Petrus Bellorius* interpretari conati ſunt. Capitibus vero *novem* digeſſit Fabrettus univerſa, quibus aut Ciaconium contra Bellorii cenſuras defendere, aut novam anaglyphis iſtis lucem fœnerari conſtituit.

Capite I. perſequitur varia hiſtoriæ momenta, quorum veſtigia in cochlide extare, anteceſſores ejus fugerat. Notabilia hic affert obiter, de gente *Luſia* pag. 7. & de *involucris aquilarum militarium* extra prælium, p. 15.

Capite II. invehitur in conjecturas, quibus columnæ figuras quasdam nimis accurate determinare auſus fuerat Bellorius, e. g. dum *Triarios* alicubi reperiſſe ſe autumavit, cum tamen hoc militum genus Trajani, imo C. Julii Cæſaris ævo in deſuetudinem jam abiiſſet, p. 33. Inter cætera πάρεργα occurrit ærea lamina, antea ἀνέκδοτος, ubi ſpeciminis loco notamus, caput Juliæ Domnæ Auguſtæ, Caracallæ matris, *laurea* inſigniri, p. 37. 39.

Capite III. multa Ciaconii a Bellorio argumentis non ſatis validis impugnata vindicantur; eaque occaſione p. 37. 83. digreſſio inſtituitur de *Claſſiariorum* militia, & de *Cabirorum*, numinum Samothraciæ, *numero*.

Capite IV. excutiuntur incertiora ac in utramque partem diſputabilia, eoque ut & *ſequenti* lectu omnino digna offendes de *navium* veterum inſignibus, tutelis, ordinibusque remorum. *Capite* dein *VI.* non pauci veterum ritus erudite enucleantur, e. g. *Suovetaurilia* pag. 141. 154. 162; *circumductio victimarum*, antequam ad aram ſtatuantur; p. 143. flexio bigarum in Circenſibus *ad lævam* in ſulco ducendo a conditore alicujus urbis, p. 152; vela ac tonſura capitis Virginum Veſtalium (e quibus effigies *BELLICIÆ cujusdam*, itemque *NERatia*, ex rariſſimis monumentis producuntur pag. 167.) *Sacra*

Ver-

Vertumni, p. 170; mos Imperatoris Auguſti ſacrificandi capite modo *velato*, modo *aperto*, p. 159. *Hercules* ramum ſive *arundinem* tenens, p. 176.

Capite VII. antiquitates *Militiæ* Romanæ eruuntur, agiturque e. g. de habitu *Speculatorum* ſive cuſtodum corporis p. 181. *Lictorum*, p. 184, *Stratorum*, p. 185, *Aquiliferorum* pag. 89. *Evocatorum* pag. 194. *Equitum* Prætorianorum, p. 200. *Æneatorum* pag. 202. *Medicorum* caſtrenſium pag. 209. de *machinis* poliorceticis p. 216. de amictu e *pellibus* p. 222. &c.

Capitibus IIX & IX. omnes *lapides* ac *nummi*, in quibus belli illius gemini, a Trajano adverſus Dacos geſti, memoria extat, recenſentur, ac num genuini ac integri, an ſuppoſitii aut corrupti ſint, accurate diſquiritur, ſicque horum ope elegans Belli iſtius chronologia concinnatur, interſperſis hic illic lectu jucundiſſimis digreſſionibus, inter quas familiam ducere videntur eæ, quæ Factionem Aurigarum Circenſium *Garamantinicam*, (a *Reineſio* Claſſe V. Inſc. LXIV. in *Ceromatonicam* immerito mutatam) per *Praſinam* exponit, quæque *Ceſtuum* figuram marmorum fide deſcribit dilucidiſſime. Plura excerpere non juvat ex Opere, quod ipſum met ab antiquitatum Studioſis diligenti manu ſvolvi ac revolvi meretur, utpote obſervationum novarum, ad antiquas inſcriptiones & bonos authores rite intelligendos quammaxime proficuarum, ditiſſimum promtuarium, haud vane ſalutaveris.

Accedit mantiſſa duplex. Primo nempe *veteris tabellæ anaglyphicæ, Homeri Iliadem, atque ex Steſichoro, Archino & Leſche Ilii excidium continentis, explicatio*, cui ipſa Tabula æri inciſa præfigitur: dein *emiſſarii Lacus Fucini*, auſpiciis Imp. Ti. Claudii facti, luculenta *deſcriptio*.

Extrema occupant tum *Ciaconii* expoſitio Latina Columnæ, cum interſperſis animadverſionibus *Bellorii* Italicis, tum amplus rerum & verborum *index*, tum denique *Addenda* quædam, unde *Sirenum* avium figuram, æque bene as ex nummo apud illuſtrem Spanhemium, lapſum Triſtani *legionem* aliquam *Frumentariorum* ſtatuentis, aliaque id genus cognoſcere licebit.

IL MONDO CREATO,

i. e.

Joſe-

Joſephi Hieronymi Semenzi, Ch. Reg. Somaſc. SS. Theol. Prof. Ticinenſis, Mundus creatus, ſive Poëmata Myſtica.

Mediolani, apud Carol. Antonium Malateſtam, 1686. in 4. Conſtant plag. 50. & fig. æneis 12.

INiquum fuiſſet, notitiam ingenioſi hujus Vatis invidere noſtratibus. Suffecerit tamen dixiſſe, quod hoc volumine contineantur *Teſſaradecaſticha* (ſive *Sonnetti*) in hiſtoriam *Heptaemeri primi*; adjuncta *paraphraſi* metrica, non minori acumine elaborata, tum *capitis IX Proverbiorum Salomonis*, tum hymni: *Te Deum laudamus.*

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII NEApolitani S. J. HALIEVTICA.

Neapoli A. 1689. in 12. cum figuris æneis exquiſitiſſimis.

AUctor iſte Piſcatoriis & Nauticis A. 1686 Neapoli ſimili forma editis, quæ in Sect. 1. Supplementorum recenſuimus, celebratiſſimus, Oppianum Scriptorem Græcum, cujus ἁλιευτικῶν libros V. habemus, & Ovidium, cujus hac de re fragmentum hodie legitur, imitatus, decem, quos jam antea promiſerat, hujus argumenti libros carmine Heroico contexuit. Felicem, credo, induſtriam Renati Rapini, ex eadem Familia Religioſi, magno cum ſucceſſu æmulatus, qui cum Vergilio deſtinatum ſed morte interruptum Hortorum opus libris IV. ſummo cum Orbis eruditi applauſu perfeciſſet, Noſter eodem inſtituto jacturam Carminis Ovidiani compenſare, doctorumque adeo deſideria explere voluiſſe videtur. Elaboratum autem eſt non accuratiſſime tantum, ſed venuſtiſſime inſuper totum hoc carmen, quod cum bonæ frugis pleniſſimum ſit, diligentius paululum excerpemus.

L. I. Poſt argumentum totius Operis & Præfationem ad Divam Virginem, quam ex more Romanenſium veneratur, Cardeniumque Ducem Carminis Patronum, Piſcium Nomina, Genera & Differentias explicat; ubi imprimis p. 16. deſcriptio Echeneidis, & p. 23. piſces ſingulis nationibus proprii notari merentur.

L. II. De Conjugiis & Amoribus piſcium, ut & induſtria in prole tuenda prolixiſſime agit. Notanda ibi eſt p. 52. deſcriptio

 Delphi-

Delphini. L. III. Bella & pugnas piſcium exponit. L. IV. Ipſam aggreditur piſcationem, & imprimis quomodo aſtu capiantur piſces, edocet. Placent ibi p. 86. varia piſcandi armamenta, & pag. 87. character Piſcatoris graphice expreſſus. Libro V. Piſcationi, quæ retibus peragitur, operam impendit Poeta, p. 124. piſcationem Salmonum, p. 125. vero Haſecum (Arecides vocat) illuſtrans, ac p. 129. rete deſcribens. Liber VI. inſumitur in piſcatione, quæ aperto Marte, fuſcinis nempe & jaculis peragitur, ubi p. 140 & ſeqq piſcatio Thynnorum, p. 149. Acipenſerum, p. 152. Xiphiarum ſeu Gladiorum, prolixe deſcribitur. Liber VII. Venationi Balænarum, Phocarum, Manatis ſeu Bovis Americani, quæ per Reverſum piſcem, quem p. 174. depingit, peragitur, & Crocodili dedicatur. L. VIII. Oſtrea & Teſtacea quomodo capiantur, exponit; ubi inprimis p. 193. id lepidum eſt, quod de Cancris ſono capiendis narrat, id quod tanto libentius commemoramus, quia fidem facit Baroni Valvaſorio in Hiſtoria Carniolæ part. 1. l. 2. c. 36. fol. 453. gemella narranti. L. IX. Conchas purpuriferas & earum venationem, ut & Coralliorum ac Succini piſcationem ediſſerit. Libroque X. margaritiferas conſiderat, ubi quæ p. 233. de Rege concharum, & p. 235. de periculis Urinatorum canit, lectu certe ſunt digniſſima.

Cæterum ita argumento ſatis alias ſterili immoratus eſt Auctor, ut non tantum doceat, ſed mirifice inſuper delectet, quo pertinent fabulæ & epiſodia ſingulis libris ingenioſiſſime admiſta. Talis eſt L. I. pag. 21. transformatio carpionis, quem fingit ex portitore in piſcem tranſiiſſe. Sic p. 24. Campani maris & ſoli elogium diſertiſſimum habes, & p. 28. notiſſima Nicolai, quem piſcem cognominarunt, hiſtoria ſatis diffuſe recenſetur, L. II. p. 39. occurrit Sirenum Metamorphoſis. L. III. p. 77, & ſeqq. Idæ fabulam mire ſuavem contexit, & in ea p. 78. domum Oceani deſcribit, quales Deſcriptiones Dekenius in formulis ſuis poeticis magni æſtimandas eſſe cenſet. L. V. Jacobi II. Ex-Regis Britanniarum elogium deprehendes, ſub finem vero hujus Libri calamitates Anni 1688 & Terræ motum Neapolitanum. L. VI. p. 156. Lembum regio cultu ornatum depingit. L. VIII. p. 184. in fabula de Seminatione oſtreorum, delubrum Doridis Helleſpontiacæ repræſentat, & Vaticinium de progreſſu Auſtriacorum contra Turcas

ſun-

fundit. ibid. p. 196. in urbis Tarenti laudes excurrit. L IX. p. 210. Cocomellam (ipſe Colomelidem vocat) villam Collegii Neapolitani S. I. amœniſſimam deſcribit. p. 218. Hypochondriacæ luis characterem affert, & p. 220. ſuccini procreationem mythice exponit. Tandem L. X. p. 239. inſignem contexit fabulam de prima Margaritarum piſcatione, & p. 240. Auroræ domum illuminat.

ULTIO ANTIQUITATIS IN SANGVINIS CIRCUlationem; h. e. Opuſculum Homoboni Piſonis, Phyſici Cremonenſis, in quo ſanguinis circulatio refellitur.

Cremonæ ex typographia Laur. Ferrurii, 1690. in 8. Plag. 7.

Circulationem ſanguinis, inventum hujus ſeculi inſigne, aliis non ſatis, aliis nimium laudatum, mutuas Medicorum lites concitaſſe, notiſſimum eſt. Antiquitatis enim amatores ſuis unice fidentes Præceptoribus, illud novum nondumque auditum dogma ex ſcholis ſuis proſcripſere; ubi hi, quibus veritas magis æſtimabatur, ipſum tanquam fundamentum totius Anthropologiæ commendarunt. Sed vicit tandem innumeris rationibus munita autopſia, utque arma ponerent hactenus ex ſola auctoritatis ſuperſtitioſa veneratione vibrata, coëgit priores, adeo ut præter Riolanum, Primeroſium, Pariſanum & Leichnerum, vix unus aut alter poſthac contradicere fuerit auſus.

Novus tamen nunc rurſum in arenam deſcendit honoris ac gloriæ antiquorum a recentioribus, ut putat, violatæ ultor, Homobonus Piſo, qui præſenti ſcripto non inſana ambitione (ſunt Autoris verba) ſed ingenita potius circulationi ſanguinis contraria idea impulſus, illam non ſolum antiquis ignotam, verum etiam a recentioribus falſo excogitatam, tribus, ut vocat, punctis evincere pollicetur. Primum continet argumenta ab ordinaria methodo medendi circulatorum (ita vocat ſingulis pene pagellis, qui circulationi ſanguinis favent) deſumta. Dicam vero potiſſimum ipſis ſcribit, quod angina laborantibus præciſe ſecent venas reninas; in cephalalgia inveterata, raucedine, ſpirandi difficultate &c. venas in fronte; melancholicis venas hæmorrhoidales; debilibus ex morbo gravi ſalvatellam: in febrium malignarum principio, venas tali: cum tamen omnis vaſo-

rum ſelectus, ſtante circulatione ſanguinis, ſit abſurdus, ſcopique revulſorii, derivatorii, interceptorii &c. cum hac hypotheſi non conveniant.

Puncto II. argumentorum genere diverſo confutare circulationem ſanguinis ſuſcipit. Urget vero primo ſanguiferorum vaſorum ramificationem tortuoſiſſimam, ſanguinisque arterioſi ac venoſi inſignem differentiam. Poſthac principia circulationis ſanguinis a Pecqueto tradita, ſyſtolen ſcilicet cordis, vaſorum ſpontaneam contractionem & adjacentium partium compreſſionem in dubium vocat, neutrum ex his, niſi forſan in ſtatu præternaturali, admittens. Dubitat deinde de ſuſceptione ſanguinis arterioſi in venas, abſurdamque penitus Naturam dicit, quæ tanto labore ac periculo per arterias mittat ſanguinem, ſolum, ut a venis rurſum abſorbeatur. Imo, ubi nec attractionem venarum a quibusdam allegatam, nec impulſum, ut cauſas motus ſanguinis ex ramis arterioſis in venoſos commode adduci oſtendit, ex hoc quoque capite falſam eſſe circulationem ſanguinis concludit. His præmiſſis docet, nullum omnino dubium nunc felicius ſolvi quam antehac, minus videlicet cognita hac doctrina, poſſe, exemplique loco nominat 1) venena, e quibus hodie non minus ac quondam quædam tardius, quædam citius agunt in corpora noſtra, utut eodem temporis ſpatio cum circumeunte ſanguine ad cor deveniant. 2) varicum generationem. 3) pulſum magnum & auctum in animi deliquio, ex obſervatione Valeſii. 4) ſuppreſſionem ſanguinis ſpontaneam in venæ ſectione. 5) horroris ac æſtus febrilis ætiologias a Williſio recenſitas. 6) motum ſanguinis, a calore corporis excitato minime auctum; quod argumentum præ reliquis omnibus urget ac latius deducit.

Puncto III. potiſſima ſuæ ſententiæ adverſantium experimenta deſtruere annititur, nunc confugiendo ad anaſtomoſes inter arterias & venas; nunc negando, ſanguinem unquam in arteriis, niſi animal in extremo vitæ periculo verſetur, cerni. Ne tamen ſolis verbis militare videatur, ad experientiam quoque provocat. Narrat enim, ſe aliquando more in phlebotomia ſolenni ligaſſe brachium, & rurſum alio vinculo ſupra cubitum a primo per ſemipalmam diſtante, conſtrinxiſſe eandem partem, experturum, num venæ intumeſcentia in ſpatio inter vincula poſito ſit apparitura; factum autem

tem eſſe, ut non ſolum brevi intumuerit, ſed etiam ſecta a chirurgo tantam copiam ſanguinis effuderit, quæ vix reprimi potuerit, licet ſuperius vinculum, (inferiori immoto relicto) ex parte relaxaretur. Alterum experimentum tale eſt. Ligato brachio hominis cujusdam, juſſit e vena cephalica aperta uncias tres ſanguinis extrahere, ipſiusque in locum quantitatem lactis per ſiphonem injecit, ligaturam brachio circumpoſitam ſimul tollens. Obſervavit autem, fluere equidem primum ad ſuperiora, mox tamen rurſum deſcendere lac omne immiſſum, ſic ut exin manifeſto frigoris morſu per univerſam manum ac digitos aliquandiu vexatus ſit, qui in ſe tentari hæc paſſus fuerat. Ex his infert, turgeſcentiam venarum verſus partium extrema, quæ a conſtrictione per tænias excitatur, non eſſe certum firmumque argumentum retro fluentis ſanguinis, nec a venarum valvulis impediri omnem ſanguinis deſcenſum e truncis majoribus ad ramificationes minores.

Satis ſic noſter Homobonus ſuis factum promiſſis, eosque qui ſanguinis circulationi favent omnino debellatos credens, Johannem Fortis ad examen vocat, ipſiusque rationes, quibus Hippocratem olim ſanguinis circulationem cognoviſſe probaverat, diluit & refutat.

DISSERTATION HISTORIQVE SVR VNE medaille d' Herodes Antipas.

i. e.

Diſſertatio hiſtorica de numo aliquo Herodis Antipæ.

Pariſiis, ex officina Antonii Lambini, 1689.

in 4. plagul. 9.

NUmum Herodis, quem ænea figura exprimi curavimus in Actis A. 1690, Tab. XI. pag. 431. fig. VII, poſſeſſor ejus, *Rigordus*, Patricius Maſſilienſis, Vir inter curioſiſſimos literatiſſimosque patriæ ſuæ ſummo jure reponendus, omnes γνησιότητος notas in eo deprehendens, dignum omnino exiſtimavit, quem hac diſſertatione illuſtraret. In antica videbis intra lauream lemma ſequens: ΓΑΙΩ. ΚΑΙCΑ. ΓΕΡ...ΝΙΚΩ. i. e. *Cajo Cæſari Germanico.* In

poſtica palmam, cum epigraphe: ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ L. ΜΓ. i. e. *Herodes Tetrarcha. Anno XLIII.* Herodes ille eſt Antipas, Herodis M. Aſcalonitæ filius. Supponit autem Rigordus, Jeſum Chriſtum Servatorem natum eſſe die XXV. Decembris; itemque *Herodem M. ad plures abiiſſe* menſe Novembri, adeoque non eodem anno, quo Chriſtus natus eſt, ſed ſequenti, *anno* nempe *per. Jul. 4700. V. C. 750. A. Juliano 42. A. Imperii Auguſti 40, poſt pugnam Actiacam 28, regni Herodis ipſius 37.* Iisdem fere argumentis uſus, quibus *anonymus* ille apud *Pompejum Sarnellium* eandem opinionem tuetur, quæ fuſe a nobis recenſentur in Actis Eruditorum A. 1687. p. 251. 252. 253. Atque hic ipſe annus a menſe Novembri exeunte *primus* erit *Herodis Antipæ*, qui in exilium miſſus, juxta *Joſephum*, eo anno, quo *Cajus* (Caligula) commoratus eſt Bajis, præſente ſimul Fortunato Herodis Agrippæ legato, h. e. *anno III imperii*; nam quamquam anno quoque imperii IV Bajis fuit, tum tamen ipſe Agrippa præſens adfuit, teſte *Philone*, At *annus III Caji* coincidit cum *A. per. Jul. 4752. V. C. 792. Jul. 84. Agrippæ 3. æræ J. C. vulgaris Dionyſianæ 39.* Adeoque hujus anni menſe Novembri exeunte cœpiſſet *annus XLIII* Herodis Antipæ, niſi menſe Octobri præcedente vel ſub initium Novembris tetrarchia exutus fuiſſet. Sub finem igitur anni XLII, monetarii Antipæ, (quod prævidere non poſſent, herum ſuum Principatu multandum, antequam annum XLIII attigiſſet,) numiſma hoc, anno XLIII ineunte evulgandum, cuderunt, quemadmodum & hodie moris eſt, circa finem anni monetam ſignari numero anni ſequentis.

Hic ergo numus eo potiſſimum nomine commendatur *Rigordo*, quod illinc pateat, Herodem Antipam proxime abfuiſſe ab *anno* regni *XLIII*, & conſequenter falſas eſſe *epochas* nativitatis Chriſti *Antiochenam* & *Dionyſianam*, quia illæ incipiunt ab *anno Jul. 46.* Quod ſi enim annis 46. addas *undecim menſes*, quibus poſt C. N. ſuperſtes fuit Antipæ anteceſſor Herodes Magnus, & dein numeres ad *annum* usque *Jul. 84.* quo conſtat Antipam in exilium actum, tunc Antipæ competere videbis non niſi *XXXIX. annos.* Quale quid etiam de omnibus calculis æræ Chriſti, qui non pertingunt ad A. Julianum XLI, judicare Noſter haud ambigit.

Diſſer-

Diſſertationi huic datæ Maſſiliæ *d. 10. Septembr. 1689.* junguntur duæ aliæ *Graveroli* Advocati Nemauſenſis (nobis etiam in Actis Erud. 1687. p. 646. laudati) & ejusdem *Rigordi*, de numo quodam alio. In hoc in anteriori area Dea comparet cum elogio: ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ, *Dei Panis;* in poſteriori *incertum quid*, cum literis *LC.* Contendit heic *Graverolus* ante omnia, nomine Πανὸς non ſignari Numen iſtud ſylveſtre, barba hircina conſpicuum, ac vulgo ſic dictum, ſed *Iſidem*, Deam Ægyptiorum, cujus tamen nomine lateat aut Luna aut Natura, ſicuti Oſiris Solem denotare ſuevit. Hinc buſti illius *fronti ineſſe* monet *lunaria cornua, ut Ovidius* loqui amat; quemadmodum & *Herodotus* in Euterpe: τῆς Ἴσιος, inquit, ἄγαλμα βούκερόν ἐστι i.e. *Iſidis caput cornua habet bovina.* Nec *mammæ* male quadrant in Iſidem, quæ *Macrobio* l. I. Saturn. c. XX. nutrix totius rerum univerſitatis prædicatur, aut nomen *Panis*, ſi ἀπὸ τοῦ παντὸς derivetur, quia notum eſt marmor, ex Grutero:

UNA. QUÆ.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.

Itemque illa pavimenti in templo Iſiaco inſcriptio: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσσόμενον, de qua Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. Præcipue vero notandum venit Stephani Byzantini dictum in Πανὸς πόλις: *Lunæ imaginem eſſe Pana*, τὸ τῆς σελήνης εἴδωλον εἶναι τὸν Πᾶνα. In averſa numi area *luniformis figurà* Graverolo ſignificat aut *navigium*, quod Romani menſe Martio ſingulis annis Iſidi dedicabant, teſte Kalendario veteri, aut potius *vas* illud *aureum* Ægyptiorum, quod *Cymbium* a cymbæ figura appellabatur. Unde ea, quæ exterius ex utroque latere viſuntur, pro *anſulis* habet, & quod in terram defluere videtur, pro *aſpide*, quia apulejus *cymbii anſulæ inſurrexiſſe aſpidem* referat. Hæret tamen, neque refellere audet, ſi quis univerſa illa non pro *aſpide anſulisque*, ſed pro meris lemniſcis accipienda contendat. Intra cymbium conſpicari ſe autumat vel *vaſculum in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat* ſacerdos Iſiacus quartus, vel forſan *ciſtam ſecretorum capacem, penitus celantem operta magnificæ religionis*; (his enim phraſibus Apulejanis utitur;) vel deni-

denique aliquam *figurarum ſphæricarum*, Syneſio calvitiei encomiaſtæ memoratarum, quas Ægyptii divino afficiebant cultu, quasque, (juxta Euſebium de Præparatione Evangelica,) Lunæ non minus, quam Soli conſecrari, moris erat. Literas L. C. *annum* quidem *ducenteſimum* notare alias, probe quidem novit. At unde hanc anni ducenteſimi æram auſpicari debeat, cum ignariſſimis ſe ſcire, profitetur.

Ad hanc *Graveroli* epiſtolam, datam Nemauſi *d. 5. Junii 1689.* reſpondit *Rigordus* Maſſiliæ *d. 15. Auguſti*, anno eodem. Quoad anteriorem numiſmatis partem conſentit penitus Graverolo, addens modo nonnulla de utroque ſexu numinibus gentilium tributo, unde *Lunus* apud Carrhenſes alias audiat Luna, Venus apud Macrobium Deus vocetur, ac apud Reineſium lapis recenſeatur, qui Iſidis ceu maſculi numinis meminerit:

I. O. M. SARAPI.
ISIDI. FRVGIFERO.
COELESTI. FORTUNÆ.

In poſtica nec *navigium*, nec *cymbium Iſidis* extare, ex utriusque apud Apulejum deſcriptione, perſpicuum reddit; divinatione dein aſſecutum ſe opinatur, quod ſub figura Lunæ *Iſis* heic repræſentetur, & quod per eam, inſtar quatuor brachiorum, prodeant canales virium in ſublunaria defluentium.

Provocat ideo ad locum *Plutarchi* l. de Iſide & Oſiride t. II. Opp. pag. 3. 366. Feſto ſepulturæ Oſiridis *tellurem frugiferam aqua permiſcent* Iſiaci ſacerdotes *additisque mixturæ aromatibus & ſuffimentis ſumptuoſis, effingunt μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον imagunculam luniformem, & hanc amiciunt & ornant*, &c. nempe lemniſcis illis (inquit antiquarius Maſſilienſis,) qui ex imaguncula luniformi in numo prodire cernuntur.

Neque olim inſolens fuit, ſub forma nec humanæ nec brutinæ ſimili Deam coli. Nam Venus Paphiorum erat *pyramis*, Elagabali Imperatoris numen homonymum *lapis prægrandis*, Deus Arabum *cubus*.

Cæterum aliam quoque amici ſententiam latere nos noluit Rigordus. Exhiberi nimirum putavit ille *fructum loti*, arboris Ægyptiorum ſacræ, *incluſum foliis ſuis*, quæ noctu claudi ſolent. Lite-

Literas LS *Rigordus* pro æra provinciæ aut urbis accipere vetat, eo quod in annis quidem Romanorum Imperatorum L notet λυκάβαντα, at in æra provinciali deſignanda vox ΕΤΟΥΣ a Græcis æque ac Ægyptiis ſemper adhibeatur; cum contra Syriacis nummis admodum familiarem eſſe ſciamus literam L pro λυκαβ. ut in numo Domitiani: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ L ΓΜΡ apud *Noriſium* in Epoch. Syr. p. 268. in numo Auguſti ΣΙΔΩΝΟΣ Θεᾶς L ZIP, apud *eundem* pag. 349: ſed de Ægyptiaca æra cogitandum amplius. Addit autem, ſi liceret ſibi, pro LC ſubſtituere LE, applicaturum ſe eas ad *annum quintum* imperii *Sabinæ* Hadriani Auguſti conjugis, itemque λερoτομὴν iſtam Iſidis (ΘΕΟΥ ΠΑΝΟC) ad ipſam Imperatricem cui nempe ceu Deæ beneficæ Ægyptus ſe obſtrictam crediderit, cum colonias eo miſiſſet Hadrianus, ut repararent damna, quæ Judæi irruptionibus ſuis regioni iſti intulerant.

DISSERTATION SVR QVELQVES QVESTIONS de Phyſique & de Medicine &c. i. e.


Diſſertatio Quæſtiones nonnullas Phyſicas & Medicas explanans, autore Franciſco Bayle, Medic. D. & Artium Liberalium Profeſſore Toloſano.

Toloſæ. Apud Fouchac & Bely. 1688. in 12. conſtat plagulis 3.

Poſtquam aliquot *Noſtri* opuſcula ſucceſſive *Toloſæ* primum edita, (*Diſſertationes* nempe *Medicæ tres*, *Diſſertatio de ratione & experientia conjungenda*, *Diſſertationes Phyſicæ*, *Problemata Phyſica & Medica*, & *Tr. de Apoplexia*) iterato *Hagæ Comitis A. 1678.* prodierunt, Autor Nobiliſſimus ab eo tempore alia quoque eruditionis monumenta ſuis Auditoribus calamo excipienda propoſuit. Quæ cum avide in Academia non tantummodo Toloſana, ſed & Monſpelienſi a quampluribus etiam exteris deſcriberentur, ceu ad Medicinam & Phyſicam promovendas apprime facientia, non defuerunt amici, qui Autorem celeberrimum ad eadem divulganda ſolicitarent, ne alii eorum poſſeſſores potiora ſuis poſthac operibus inſerendo, gloriam ipſi debitam immerito præriperent. In *Epiſtola* proin ad Dalincurtium D. M. Diſſertationi præſenti, quam hic petierat, præfixa, cauſas uberius deſidera-

tam Tractatuum editionem hucusque præpedientes exponit, certe perſuaſus fore, ut plagia ejusmodi, etiamſi magnis intertexta fuerint operibus, facillime a prudentioribus ex ſtylo, peculiari cujusvis ingenii charactere, connexione &c. non ſine plagiarii opprobrio advertantur. Quamprimum tamen otio potitus fuerit, opuſcula A. 1680. 81. & 82. dictata, de Motu, de Principiis Mechanicis, de Elementis, de temperamentis, de Fermentatione, de Corporibus mixtis, de Plantis, de Corpore animalium, de Humoribus Animalium, de Oeconomia Corporum Animalium, de Generatione & Corruptione Animalium, cum quibusdam in Ariſtotelem Commentariis, publici ſe juris facturum pollicetur. In ipſa vero Diſſertatione *triplicem Quæſtionem* de venæ ſectionis neceſſitate, de muſculorum intercoſtalium actione, & de valvularum cordis uſu, exhibet enodatam. *Quæſtione* videlicet *prima* in Medicos, tanquam agyrtas, invehitur, qui omnem ſanguinis miſſionem ægrotis, ob metum vel doloris, vel lipothymiæ hiſce jam exoſam, cum ſucceſſu plerumque funeſto diſſuadent. Pondere autem rationum ſuppoſito, quibus alias venæ ſectionis neceſſitas evincitur, in præſenti pro eadem ingenioſe oſtendenda vel ad ſolius Papani Machinæ digeſtoriæ effectus ſerio attendere, eosque ad corpus animale applicare jubet. In prædicta namque machina carnis coctionem aut oſſium diſſolutionem nunc tardius, nunc citius eadem ignis carbonum quantitate ſuppoſita perfici, prout aqua exteriori cylindro indita, vel minus, aliqua ejus portione per apertum operculi foramen exhalante, vel magis, ob idem foramen accurate obturatum, comprimitur; eo quod corpora calida denſa, ratione inſenſibilium particularum celerius vibratarum aut in gyrum concitatarum, nec non liquida calida in ſpatium anguſtius vi compreſſa, efficacius longe calefaciant, quam rara ejusdem magnitudinis & æqualis caloris, aut liquida quæ ſatis pro caloris gradu ſeſe expandere queunt. Eadem ſiquidem ratione a ſanguine etiam, dum hic vel ob abundantiam, vel ob effervescentiam febrilem, inteſtino æque ac progreſſivo per vaſa motu rapidius agitatur, neceſſario omnes quas alluit partes nimium calefieri, inflammari & ſæpius plane diſſolvi, niſi quantitas ſanguinis conſequenter ejus compreſſio, per venam ſectam rite & tempeſtive imminuatur

tur, ipſa Autoris autopſia adſtipulante, qua ob venæ ſectionem neglectam aut parcius adminiſtratam, diverſis in cadaveribus inflammationes internas, in pleuritico utramque pleuræ laminam ſeparatam, & in peripneumonico ipſas cordis fibras carneas diſſolutas annotavit. Neque dubitat, quin frequentiori cadaverum ex febri aut inflammatione denatorum ſectione plura ejusmodi viſibilia veſtigia, a ſanguine nimium in vaſis compreſſio excitata, poſſent detegi, quæ ad neceſſitatem venæ ſectionis perſuadendam, & fidem talium agyrtarum ſuſpectam reddendam, rationibus quibuscunque, etiam ſolidis, multum prævalerent; inprimis cum hydrops, cujus metus injicitur, non niſi abuſum venæ ſectionis inſequatur, febrium autem malignitas tantum horrorem incutiens ſæpiſſime fictitia ſaltem videatur. *Quæſtione* vero *altera*, coſtas arcuatas utrinque extremitatibus ſuis cum vertebris ſpinæ dorſi & ſterno, tanquam fulcimentis immobilibus cohærere, easque circa mediam potiſſimum partem ſurſum & deorſum hunc in modum moveri, ut in inſpiratione pro thorace dilatando magis a ſe invicem ſecedant, in exſpiratione autem pro thorace conſtringendo proprius ad ſe invicem ferantur, ante omnia ſupponit; hinc muſculos intercoſtales alternatim agere, ac in inſpiratione internos, externos in exſpiratione ſeſe contrahere, e præſenti figura, cujus & *Regis* in recenti *Curſu Philoſophico Tom.* 2. *p.* 549. *Edit. Amſt.* meminit, geometrice demonſtrat. Scilicet in hac quemadmodum linea AC ſpinam dorſi, punctis A & B locum connexionis coſtarum, AD BE duas coſtas ſaltem dimidiatas in inſpiratione ſurſum ad angulos magis rectos



motas, AL BK easdem coſtas verſus inferiora in ſitu naturali conſtitutas, AG FE fibras muſculi intercoſtalis interni in coſtarum elevatione, AI HK easdem fibras in coſtarum depreſſione ſitas, BF GD fibras muſculi intercoſtalis externi itidem in coſtarum elevatione, BH vero & IL easdem fibras in coſtarum

depreſſione locatas, repræſentat: ita planum facit, a fibris B F & GD muſculi intercoſtalis externi ſeſe contrahentibus, coſtam BE, tanquam vectem ſuper punctum hypomochlii B, non ſurſum moveri poſſe, ſed coſtam potius AD deorſum trahi debere, ſuppoſito coſtis AD & BE æqualem diſpoſitionem permanendi in ſitu, quo gaudent, intercedere, quia fibrarum BF & GD extrema B & G propius ad fulcimentum B vectis BE accedant, ſecus atque extrema F & D; quæ magis ab hypomochlio A vectis AD diſtent, eadem autem vis vecti prope fulcimentum applicata non æque facile reſiſtentiam mobilis ſuperet, aut huic etiam multum cedat, quam ubi vectis puncto a fulcro magis diſtanti applicatur. Quam ob cauſam e diverſo a fibris AG & FE muſculi intercoſtalis interni neceſſario coſtam BE ad coſtam AD, non autem ad illam moveri; per conſequens, dum a muſculis intercoſtalibus internis coſtæ elevantur, ab externis vero eædem deprimuntur, revera muſculos intercoſtales internos & externos alternatim pro omni confuſione evitanda agere ſive ſeſe contrahere. Etenim, quod fibræ muſculorum internorum omnino relaxentur, muſculis externis ſeſe contrahentibus, & vice verſa fibræ muſculorum externorum elongentur, quando muſculi interni agunt, potiſſimum *e Propoſ. 24. l. 1. Element. Euclidis* fuſius oſtendit, pro certo quoque habens, fibras muſculorum intercoſtalium internorum cartilaginibus prope ſternum intertextas ſitu reliquis oppoſito ideo gaudere, i. e. pariter a ſterno recedendo oblique deſcendere, ut coſtis inferioribus ſuperiores verſus movendis ſive elevandis ſufficerent. *Quæſtione* denique *ultima* contra Curioſos nonnullos diſputat, qui a valvulis cordis regreſſum ſanguinis ad venas impediri ex eo negant, quod columnæ carneæ, quibus valvulæ appenduntur, in ſyſtole cordis una contractæ ad apicem potius, quam baſin cordis accedant; ac etiamſi ad baſin accedere ſupponantur, valvulæ tamen ipſæ tenſæ perſiſtant, utpote inſtar aliarum membranarum, ceſſante vi easdem extendente, ſponte ſeſe contrahentes. Pro contrario autem evincendo, & uſu valvularum cordis ab omnibus hucusque conceſſo vindicando, Autor Geometrica rurſus utitur demonſtratione, e qua propter omnes cordis fibras, quæ ab hujus baſi ad apicem & columnas carneas protenduntur, ſimul in ſyſtole ejus contractas, non apicem ſaltem cordis, ſed & ipſas columnas carneas,
ad

ad baſin, tanquam immobilem, accedere debere, ad ſenſum innoteſcat; erroris eos arguens, qui in omni muſculorum contractione extrema ad medium ferri cum Veteribus aſſerunt. Valvulas autem membranaceas, licet in ſyſtole cordis ceſſante papillarum vi extendente ſponte ſeſe contrahant, certo tamen tunc minus tendi, adeoque minorem ſanguinis virtutem exigi, qua hic easdem in cordis contractione a tergo propellendo, propiusque ad invicem adigendo, ſibimet ipſi viam ad venas præcludat. Tandem in *epiſtola*, quam ſubjungit ad Dn. *Vieuſſens* conſcriptam, tum huic, cum de Mixti principiis & de Fermentatione Tractatus edidiſſet, tum ſibi, gratulatur. Sibimet ipſi quidem, quod in Tractatuum altero de Fermentatione a multis adeo celebrato maximam partem eadem cogitata, quæ hac de materia in Academia Toloſana A. 1680, ac poſtmodum in Tractatibus de Motu, de Principiis Mechanicis, de Elementis & de Temperamentis edocuit, atque tantum non iisdem verbis multis in locis indigitatis v. g. p. 331. 332. 333. 334. 336. &c, expreſſa, deprehenderit. Etenim circa principia potiſſimum, a quibus proxima fermentationis cauſa determinatur, magisque in altero de principiis Mixti tractatu, diſſenſum ſe obſervaſſe, qui & ipſe nihilominus magnam ſubinde rerum naturalium notitiam commonſtret, fatetur. Dno Vieuſſens autem gratulatur de fama, quam prænominati Tractatus ipſi conciliabunt, ſperatque nec hanc ſibi ab eodem inviſum iri, cum opiniones imprimis, in quibus inter ſe conſpirant quasque dudum docuit, eam mereri videantur.

RAGIONAMENTO DEL DOTTOR SIGNOR GASPARE Paragallo, intorno alla Cagione de Tremuoti.

i. e.

Diſquiſitio circa cauſam Terræ Motuum, inſtituta a D. Caſparo Paragallo.

Neapoli apud Hieron. Faſulum, 1689, 4.

conſtat plag. 10½.

NOviſſimi, quo *Neapolis* omnium maxime & horrendum in modum deformata fuit, Terræ motus occaſione, ad præſen-

tem de cauſis ejus Diatribam invitatum ſe aſſerit Auctor, a naturalium non minus rerum quam legum ſcientia commendabilis; quæ vel ideo, quamvis ſerius id fiat, nobis commemoranda videtur, quod iſthic locorum nec hodie terræ motus penitus ceſſare doceamur. Præmiſſa variorum terræ motuum, quos diverſæ regiones ſenſerint, hiſtoria (quam in rem eruditiſſimum *Marcelli Boneti Marchionis S. Johannis* Librum allegat, quo omnes terræ motus ab orbe condito collectum iverit) miſerandam imprimis *Neapolitanarum* ruinarum faciem multis exhibet. Longam deinde opinionum, quas tum Poëtæ, tum veteres ac recentiores Philoſophi, de cauſis terræ motuum foverint, ſeriem contexit, tandemque cum *Cardano* & *Kirchero* ſubitaneum *ſulphuris*, *ſalis nitri*, & *bituminis* intra cavitatem terræ accendium, concuſſionis iſtius, qualis in cuniculis machiniſque tormentariis fieri ſoleat, cauſam conſtituit; eoque frequentiores dari terræ motus, quo major indicatorum vel ſimilium mineralium, velut in Italia, abundantia ſuppetat. Ubi ſimul anſam arripit excurrendi in generationem fulguris, ſtellarum cadentium, & ignis lambentis, Caſtoris & Pollucis, lucernarum item perpetuarum, (quas neutiquam multo retro tempore accenſas fuiſſe, contra *Fortunium Licetum* & *Portam* ſtatuit,) nec non ignearum exhalationum *Ætnæ* & *Veſuvii*, & thermarum ſubterranearum, quarum egregium indagatorem *Ettmüllerum* noſtrum laudat, & quomodo ex mixtura ſulphuris & calcis vivæ cum aqua communi balneum artificiale contra diverſos morbos adornari valeat. In fine tandem ſubjungit, nullum certum *tempus*, quando contingant, vel quamdiu *durent*, nec certa *ſigna*, quibus prævideri poſſint terræ motus, quicquid etiam alii conjicere audeant, determinari poſſe. Inter *effectus* referri, inſularum ſubmerſionem, aliarumque ut & montium productionem, veluti tempore Lotharii in Saxonia collis 6000 paſſus longus prodierit; fluviorum exſiccationem, non minus, quam aliorum eruptionem; peſtem, ex aere per longum ſpatium intra cavernas detento & corrupto, certæ interdum animalium ſpeciei, veluti A. 1514 felibus ſaltem, fatalem; hominum quoque infatuationem, niſi hanc nimio potius timori tribui fas ſit. Nec defuiſſe, qui præter naturales hos effectus, incertos alios inepte crediderint, aut finxerint ſe credere, mutationes nimirum

do

dominiorum, urbium & regnorum everſiones & exterminia, aliaque futura damna prænunciari. Hinc Herodem populo ob terribilem quendam terræ motum damnum aliquod imminens metuenti, animum ita addidiſſe: *nihil vos terreat rerum anima carentium motus, neque arbitremini, Terræ concuſſionem alicujus futuræ cladis eſſe portentum: naturalia enim ſunt ipſorum elementorum vitia, nullumque damnum inferunt, niſi quod ipſa effecerint, ita ut, cum extiterint, ſua magnitudine finiantur.* Species terræ motus conſtituit tremorem, vibrationem, & inclinationem, quæ interdum conjungantur. *Refugium* denique, quod nec altiora, nec humiliora loca præſtent, tutiſſimum eſſe ait Autorem & factorem omnium, qui ob peccata terram tremere faciat, vera autem pœnitentia placari ſe patiatur, ut fiducia pleni cum Davide dicere poſſimus: *Si terra ipſa ita motibus conturbetur, & montes ipſi ex ipſa diſſiliant, & in cor maris transferantur, non timebit cor meum, quia Deus noſter refugium, virtus & adjutor.*

REPONSE A LA DISSERTATION SUR la Goutte.

i. e.

Reſponſum ad Diſſertationem de Arthritide.

Pariſiis. Apud Danielem Horthemels. 1590. in 12. conſtat plagul. dimid. 26.

CUm de Arthritide Diſſertationem in *Actorum Supplementis Sect. VIII. pag. 429.* commemoraverimus, operæ videtur pretium, ut Reſponſum etiam, quo eadem ſalſe perſtringitur, nunc recenſeamus breviſſime. Juxta præfationem autem, qua perverſus Medicorum hodiernorum ſtatus deſignatur, atque in titulum Diſſertationis annotata, Reſponſum hoc quatuor abſolvitur Propoſitionibus, quæ non ſolum indigitantur, ſed & uberius explanantur. Etenim primo allegatas Arthritidis cauſas & præſtantiam remediorum ſuorum, quam Diſſertationis Autor jactaverat, oppido vacillare, minusque experientiæ reſpondere, cumprimis ex eo monſtratur, quod arthritici plures ore dominant clau-

clauſo, plures vice verſa ab omni arthritidis inſultu degant immunes, ore licet aperto & dormiant, & reſpirent. Hinc ea, quæ circa cauſas arthritidis traduntur, novitate partim, partim omni probabilitate deſtitui, diſtincte non minus atque fuſe declaratur. Tum diviſio arthritidis in calidam & frigidam atro notatur carbone. Tandem a reſpiratione ſolis naribus celebranda, urticis verbera ſanguinolenta infligentibus, & deambulatione perlonga, ceu laudatis Autoris remediis, arthritidem parum demulceri, diverſis e capitibus oſtenditur.

MAPPAMONDO ISTORICO, i. e.

Tabula coſmographica hiſtorica, ſive ordine digeſta

narratio de quatuor ſummis mundi imperiis, a *Nino Aſſyrio* ad *Leopoldum Auſtriacum*, itemque de Monarchia Chriſti a *Petro* ad noſtra usque tempora; auctore *Antonio Foreſto*, Soc. Jeſu. Parmæ, ex officina Galeatii Roſati, 1690. in 4.

conſtat alphab. 13.

COmpendium heic habes hiſtoricum ſatis prolixum, ac tam variis omnium pene gentium eventis refertum, ut non ſine voluptate a Studioſa Juventute, cujus in gratiam conſcriptum eſt, perlectum iri putemus; præſertim cum nullibi non eleganti ac plerumque ſententioſo ſtylo ſit elaboratum.

DICTIONAIRE DE TERMES PROPRES de Marine,

i. e.

Dictionarium Nauticum, autore Dn. Deſroches,

Pariſiis apud A. Auroy, 1687. in 8.

Alph. 1. pl. 14.

QVale in omni artium genere deſideratur a multis Dictionarium, ut qui excolendis illis ſe dedunt, terminorum cuique arti propriorum notitia mature imbuantur: tale in civium ſuorum gratiam in Arte Nautica adornavit Gallus hic Auctor, juxta ſeriem Alphabeti diſpoſitum. Adjuncta illi ſunt omnium fere nationum inſignia ac vexilla figuris æneis expreſſa, quibus uti in navigationibus conſueverunt: ut vel hinc aliis etiam, præter Gallos, nonnulli liber hic eſſe poſſit uſui.

(***** *****)

ACTORUM ERUDITORUM

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Sectio XII.

ACTA PRIMORUM MARTYRUM SINCERA ET ſelecta, ex libris cum editis, tum manu ſcriptis collecta, eruta vel emendata, notisque & obſervationibus illuſtrata. Opera & ſtudio Domini Theoderici Ruinart Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione ſancti Mauri.

Pariſ. excudebat Franciſcus Muguet, 1689. in 4.
Conſtat alphab. 4. plag. 11.

EOrum, qui Martyrum acta collegerunt, nonnulli variis ea additamentis interpolarunt, aut aliqua ſibi diſplicentia reſecuerunt aut etiam ſtylum politiorem reddiderunt. Alii vero etſi Martyrum acta, prout in antiquis codicibus leguntur, exhibuerint, nullo tamen delectu habito genuinis Martyrum actis dubia & falſa inter miſcuerunt. Quamobrem Theoderico Ruinarto operæ pretium viſum, acta primorum martyrum & ſincera & ſelecta hoc volumine complecti. In præfatione, quam diligenter veterum Martyrum acta & collecta & lecta fuerint, diſſerit, & poſtea *Henrici Dodwelli diſſertationem de paucitate Martyrum* refutat. Dixerit Dodwellus, fieri vix potuiſſe, ſi tot fuiſſent Martyres, quot vulgo memorantur, ut eorum nomina exciderent, cum præſertim accuratiſſime Martyrum memoriâ ſervaretur, nec illuſtriores tantum Martyres, ſed pueri quoque & mulieres & ſervi & catechumeni celebrarentur: jam vero in veterum monumentis pauca admodum Martyrum nomina occurrere, ſiquidem in Kalendario, quod Bucherius edidit, vix tres aut quatuor Martyres in ſin-

 gulis

gulis menſibus recolantur. Reſpondet Ruinartus, nullum ſupereſſe Kalendarium, in quo omnium totius orbis Chriſtiani Martyrum nomina recenſeantur, neque ſingula omnium eccleſiarum Kalendaria repræſentari poſſe, quin potius duo tantum Kalendaria vulgatis Martyrologiis antiquiora ad nos perveniſſe, unum quod a Bucherio vulgatum ſub Liberii Pontificatu concinnatum eſt, alterum quod Mabillonius tomo 3. Veterum Analectorum inſeruit: utrumque tantum ad occidentalem eccleſiam ſpectare, ſed neutrum pro tota eccleſia occidentali ſcriptum eſſe, & Bucherianum quidem Romanæ eccleſiæ proprium fuiſſe, nec alios Martyres complecti, quam quorum feſtivitas in aliquibus Romanæ urbis eccleſiis celebrata fuit, Mabillonianum autem in Carthaginenſis eccleſiæ uſum conditum fuiſſe, quod ipſe titulus indicet, ita ſe habens: *hic continentur dies natalitiorum Martyrum & depoſitiones Epiſcoporum, quos eccleſiæ Carthaginis anniverſariæ celebrant.* Obſervat præterea, externarum regionum Martyres in ejusmodi faſtis rariſſime locum habuiſſe, & ex his ipſis, qui in eadem urbe, ubi faſti confecti ſunt, martyrium compleverunt, nonnullos deſiderari, ſive id ob Martyrum multitudinem evenerit, ſive ob perſecutionis fervorem plerorumque Martyrum nomina aut ſepulchra ignorata fuerint. Et cum Dodwellus eorum, qui Apoſtolicis temporibus floruerunt, Martyrum nomina in ejusmodi faſtis deeſſe fateatur, id ad ſubſequentia quoque tempora extendi debere Ruinartus pronunciat, ſiquidem in Bucheriano Kalendario nec Ignatius ſub Trajano paſſus, nec Teleſphorus Romanus Epiſcopus, nec alii illuſtres Martyres a Juſtino Martyre, Cypriano, Damaſo, Gregorio Magno & aliis memorati recenſeantur; quemadmodum & Carthaginenſe Kalendarium, etſi Romano amplius, non paucos Martyres aliunde notiſſimos omittat. Inter cauſas, ob quas in antiquis Kalendariis tanta ſit ſanctorum paucitas, ex Johanne Frontone hanc affert, quod eorum tantum ſanctorum nomina in ejusmodi faſtis deſcriberentur, quorum dies feſtivo populi concurſu celebrabantur; unde Gregorius M. in Sacramentario ſuo paucos Martyres exhibeat, etſi alias lib. 7. ep. 29. indict. 1. ſe ſingulis diebus Martyrum memoriam celebraſſe ſcribat. Præterea & illud Ruinartus obſervat, in Bucheriano & Mabilloniano Martyrologio aliquot ſanctos conſignari ex aliis monumentis ignotos, unde non dubitat, multorum Martyrum nomina in notitiam noſtram ventura eſſe, ſi aliarum eccleſiarum Kalenda-

lendaria æque extarent. Argumentum, quod ex Patrum homiliis duxerat Dodwellus, exiſtimans paucos ſuperfuturos Martyres, ſi genuinæ Patrum homiliæ a ſpuriis ſecernantur, Ruinartus ita ſolvit, ut dicat, neque omnes Patrum homilias, quas de Martyribus habuerunt, ad nos perveniſſe, neque omnium Martyrum memorias ejusmodi homiliis celebratas fuiſſe, cum alioqui Martyres Kalendarii Bucheriani quoad maximam partem expungendi forent. Teſtimonio Origenis dicentis paucos & facile numerabiles per intervalla pro Chriſtiana religione mortuos fuiſſe, quem locum ex lib. 2. contra Celſum Dodwellus adducit, Ruinartus multos alios Patres opponit, in quorum ſcriptis de Martyrum multitudine nihil tam certum & exploratum occurrat, quam quod infinita pene Martyrum multitudine eccleſia illuſtrata fuerit. Origenem autem prædicto loco nihil aliud intendiſſe ſcribit, quam quod Chriſtiani non plane a perſecutoribus ſuis deleri potuerint, & revera pauci Chriſtiani paſſi fuerint, ſi cum iis comparentur, qui ſuperſtites manſerunt. Aliud argumentum pro Martyrum paucitate Dodwellus inde deprompſit, quod pauci Imperatores eccleſiam perſecuti fuerint, & plerique clementiæ laudem ita affectaverint, ut noxios quoque ægre punirent, quod provinciarum Rectores æmulati fuerint. Reſpondet Ruinartus, perſecutiones adverſus Chriſtianos non ex ſolis Imperatorum edictis ortas fuiſſe, vel ex privatis Præſidum odiis, aut populi clamoribus, verum etiam & quidem maxime ex Romanorum legum præſcripto, quas nec ipſi Imperatores convellere potuerint. Unde non mirandum ait, ſi aliquando pace ab Imperatoribus conceſſa, delati tamen Chriſtiani fuerint, & ad ſupplicia quæſiti. Obſervat inſuper, Imperatores, qui ab ingenio miti & ad clementiam proclivi a ſcriptoribus ethnicis commendantur, atrociſſimos Chriſtiani nominis perſecutores fuiſſe, nec ſævitiam in Chriſtianos pro crudelitate habitam, cum Chriſtiani pro publicis hoſtibus omniumque hominum peſſimis vulgo haberentur. Qualis autem fuerit jactata a Dodwello Præſidum in Chriſtianos clementia & æquitas, Ruinartus Lactantii verbis ex lib. 5. Inſtit. c. 11. & 12. adductis explicat. Cæterum etſi Lactantius in libro de mortibus perſecutorum, quinque tantum Imperatores enumeret, qui eccleſiam perſecuti fuerint, ex eo tamen Ruinartus noſter minime ſequi cenſet, quod cæteri Imperatores a perſecutione eccleſiæ abſtinuerint, cum eos tantum Lactantius recenſeat, qui divinitus puniti funeſta

morte vitam finiverunt. Idem ferme de Tertulliano dicendum cenſet, qui in Apologetico ſuo Chriſtianam religionem a peſſimis Principibus, quorum decreta ipſimet gentiles adhorrebant, exagitatam fuiſſe probaturus, perſecutoribus eos Principes accenſere noluit, quos Romani ut patriæ Patres & piiſſimos Imperatores ſuſpiciebant. His prælibatis, quæ de ſingulis primitivæ eccleſiæ perſecutoribus ad probandam Martyrum paucitatem Dodwellus adduxit, ad examen vocat. Negat Neronis perſecutionem tantum intra Romanæ urbis mœnia ſæviiſſe, & Chriſtianos ob nullam aliam cauſam quam ob Romanæ urbis incendium apprehenſos fuiſſe, cum Lactantius dicat (de mortibus perſecutorum c. 2) Neronem, cum non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem a cultu idolorum deficere, & ad religionem novam tranſire animadverteret, ſervos Dei perſequi cœpiſſe, ut cætera, quæ adverſus Dodwellum affert, teſtimonia taceamus. Domitiani perſecutionem uno anno & cœptam & conſummatam ait Dodwellus, cum Brutius apud Euſebium Flaviam Domitillam anno Domitiani 15, qui ultimus ipſi fuit, relegatam fuiſſe dicat. At Ruinartus pluribus argumentis probat, quod ante 15 Domitiani annum ea perſecutio cœpta fuerit. Neque Dodwello concedit, quod hæc perſecutio incruenta fuerit, cum Brutius apud Euſebium & Dio contrarium affirment. Quando ergo Tertullianus in Apologetico ait: *tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate*, Ruinartus ea verba ſic explicat, quod Domitianus tam gladio quam exilio Chriſtianos tentaverit. A Domitiani morte usque ad Decium, eccleſiæ pacem ita perſeveraſſe cenſet Dodwellus, ut toto hoc temporis intervallo, præter perſecutiones quasdam locales, Chriſtianis religionem ſuam tuto colere & promovere licuerit. Alia eſt Ruinarti ſententia. Statuit enim perſecutiones eo quoque tempore, quod inter Domitianum & Decium interceſſit, non infrequentes fuiſſe, quarum aliquas publicis Imperatorum edictis decretas contendit. Miratur, Dodwellum ex Polycarpi ad Philippenſes epiſtola colligere, quod ſub Trajano in Syria præter Ignatium, Rufum & Zozimum, nemo Imperatoris illius juſſu necatus fuerit, cum Polycarpus expreſſe dicat: *obſecro vos, ut patientiam veſtram exerceatis, quam ſpectaſtis non ſolum in Ignatio, Ruſo & Zozimo, ſed etiam in aliis civibus & inquilinis veſtris.* Toto Hadriani tempore ne unicum quidem Martyrem admittit Dodwellus eo argumento utens,

quod

quod Juſtinus Martyr pacem Chriſtianis ab Antonino exoraturus Hadriani exemplum ei proponat. Regerit Ruinartus, non hanc Juſtini mentem eſſe, ſed eo nomine Juſtinum Hadriani exemplum Antonino proponere, quod etſi Chriſtianos olim perſecutus fuiſſet, poſtea tamen a perſecutione ceſſaverit, cujus exemplo Antoninus etiam agnita Chriſtianorum innocentia ab eorum cæde ceſſare debebat. Antonini Pii imperium martyriis non caruiſſe Dodwellus agnoſcit, cum Polycarpum & Juſtinum Martyrem horumque ſocios ſub hoc Imperatore paſſos cenſeat. Ruinartus vero, etſi Polycarpi & Juſtini martyria ad Marci imperium referenda ſtatuat, aliis tamen argumentis probat, non levem eccleſiæ perſecutionem hoc tempore contigiſſe. Perſecutionem ſub Marco Dodwellus neque Imperatorem autorem habuiſſe, nec tot Martyres dediſſe, quot vulgo referuntur, arbitratur, & cauſam perſecutionis refert ad crimen infanticidii & inceſtus, cujus Chriſtiani ex ſervorum ſuorum teſtimoniis poſtulati ſunt. Hinc enim mitiſſimi alioquin Imperatoris reſcriptum contra Chriſtianos natum eſſe dicit, tanta tamen æquitate temperatum, ne in aliorum Chriſtianorum fraudem cederet, præterquam Lugdunenſium & Viennenſium. Nam perſecutiones, quæ in aliis provinciis ſub Marco efferbuerunt, nihil aliud quam Lugdunenſis perſecutionis appendices fuiſſe contendit, cum pervulgata Lugdunenſium Martyrum fama, quaſi de infanticidiis & inceſtuoſis congreſſibus convicti damnatique fuiſſent, etiam alibi populares motus adverſus Chriſtianam religionem excitati fuerint. At Ruinartus nec ex Lugdunenſium epiſtola, nec ex aliis monumentis probari poſſe docet, quod Imperatoris reſcriptum ad ſolos Lugdunenſes & Viennenſes reſtringi debeat. Porro hoc reſcriptum adverſus Chriſtianos ut Chriſtianos, non ut infanticidas ac inceſtuoſos, datum eſſe monet. Decrevit enim Imperator, ut *confitentes gladio cæderentur, hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes.* Ex quo ſequitur, ſi hoc decretum adverſus inceſtuoſos & infanticidas latum fuiſſet, Chriſtianos hæc flagitia a ſe perpetrata negantes dimitti debuiſſe, & tantum hæc flagitia confitentes trucidari, cum contrarium potius evenerit. Confirmat hoc exemplo Attali & aliorum, qui nullo alio crimine objecto, tantum quod ſe Chriſtianos profeſſi fuiſſent, in vincula conjecti & in Martyrum numerum relati ſunt. Marci manſuetudinem fruſtra a Dodwello commendari judicat, cum juxta Capitolinum *nonnunquam*

contra manifeſtos & gravium criminum reos, quales ex Imperatoris ſententia etiam Chriſtiani fuerunt, *inexorabilis* fuerit. Recte autem ab Euſebio ſcriptum animadvertit, ſub Marci imperio ob populares motus, innumerabiles pene Martyres per univerſum orbem enituiſſe, & plura alia de perſecutionibus eccleſiæ ſub Marco teſtimonia colligit: & ad hæc tempora etiam Benigni Divionenſis, Symphoriani Auguſtodunenſis & aliorum quorundam Martyrum necem referendam eſſe putat. Quin & pleroſque Martyres, qui vulgo ſub Aureliano in Burgundia paſſi dicuntur, ad Marci Aurelii tempora revocari debere vix dubitat, qua de re Boſquetum lib. 2. Hiſtor. Gallic. c. 26. & ſeqq. conſuli cupit. Severi perſecutionem longe lateque per Romanas provincias graſſatam non diſſimulat Dodwellus, & tamen paucos Martyres in hac perſecutione paſſos aſſerit, cum Euſebius nec multos recenſeat, nec multos a ſe prætermiſſos ſignificet. Reſpondet Ruinartus, omnino Euſebium multos a ſe prætermiſſos ſignificare, cum lib. 6. c. 1. ubique terrarum illuſtria tum martyria fuiſſe refert. Euſebio alios graviſſimæ hujus perſecutionis teſtes adjungit, Clementem Alexandrinum, Minutium Felicem, & inprimis Tertullianum, qui perſecutionis hujus occaſione plura opuſcula conſcripſit. Cum autem Tertullianus in Apologetico editionis Junianæ inter alios Imperatores, qui nullis edictis adverſus Chriſtianos ſævierunt, Severum collocat, non dubitat melius ſe habere editiones, quæ pro Severo Verum ponunt, ſiquidem a Severo edictum adverſus Chriſtianos latum e Spartiano conſtat. Et quamvis Dodwellus eos ab hoc edicto exceptos velit, qui a parentibus Chriſtianis orti ita ſe occultarunt, ut nec ab adverſariis Chriſtianæ religionis deferri, nec aliorum ſaluti providere poſſent, tantum tamen populi adverſus Chriſtianos furorem fuiſſe Ruinartus obſervat, ut hos etiam in capitis periculum veniſſe negari non poſſit. Poſt Severi mortem etiam ſub Caracalla ſaltem in aliquot provinciis perſecutionem non ceſſaſſe, ex Tertulliano probat. Nec obſtare putat, quod Tertullianus Antoninum Caracallam lacte Chriſtiano educatum ſcribat; cum & absque Caracallæ mandato perſecutiones illæ fieri potuerint, & præterea hunc Imperatorem a Chriſtianorum moribus alieniſſimum religionis reſpectu Chriſtianis faviſſe, nemo ſibi facile perſuadeat. Heliogabalum Chriſtianos pro ſuis agnoviſſe, ex nonnullis Lampridii verbis Dodwellus colligit, quod nullo pacto fieri potuiſſe Ruinartus aſſerit, niſi Chriſtiani ſe Solem

lem adorare faſſi fuiſſent. Heliogabali ſucceſſorem Alexandrum Chriſtianis faviſſe in confeſſo eſt, unde Ruinartus in medio relinquit, num forte Alexandri Præfectis tribuendum ſit, quod tot Martyres ſub ejus imperio paſſi a nonnullis recenſeantur, an forte aliquot Martyres ſub Severo paſſi ad Alexandri tempora, cum & iſte Severus appellatus fuerit, translati fuerint. Maximini perſecutionem unico tantum anno ſæviiſſe Dodwellus aſſeruit, cui Ruinartus poſt Pagium opponit Euſebium, qui triennio integro hanc perſecutionem duraſſe innuit, & Rufinum, qui id diſertis verbis affirmat. Quod Alexandriæ ſub Philippis contigit, ſeditioni potius quam perſecutioni deputandum agnoſcit, ex quo tamen judicandum relinquit, quam parum tuta fuerit quocunque tempore inter gentiles Chriſtianorum vita. De Decio Dodwellus ait, quod etſi crediderit, adverſus Chriſtianos pro Reipublicæ bono ſæviendum eſſe, modum tamen pœnis, & nativa Principis clementia, & concepta de temporum ſuorum felicitate ambitio impoſuerit. Unde pro fabulatoribus eos habet, qui Decium ut ſæviſſimum perſecutorem repræſentant, quem tamen Senatus Trajani titulo vivum ornavit, & mortuum inter divos retulit. Verum Ruinartus, etſi Decium de cætero boni Principis partes impleviſſe fateatur, ſæviſſimam tamen ejus contra Chriſtianos perſecutionem fuiſſe, ex Lactantio, Dionyſio Alexandrino, Cypriano, Gregorio Nyſſeno aliisque Scriptoribus probat, multosque, quos hæc perſecutio invaſit, Martyres recenſet. Perſecutionem a Gallo excitatam Deciana longe graviorem fuiſſe, Dodwellus ex epiſtola Cypriani 57, alias 54, probare contendit, ubi Cyprianus Cornelium monet, pugnam multo graviorem & acriorem inſtare. Qua ratione confirmari poſſe cenſet, quod ſub Decio pauci Martyres fuerint. Verum Ruinartus regerit, Oxonienſem Epiſcopum verba illa Cypriani non de Gallo, ſed de Valeriano interpretari. Quod ſi Galli perſecutio Deciana gravior fuit, ex eo non Martyrum paucitatem ſed multitudinem potius colligendam eſſe docet, cum plurimos ſub Decio Martyres fuiſſe jam probaverit. Quod autem Dodwellus verbis Cypriani in exhortatione martyrii dicentis, *Martyres Chriſtianos numerari non poſſe*, non tantum Martyres, qui jam coronati erant, comprehendi aſſerat, ſed ſimul omnes, qui ad finem usque mundi paſſuri eſſent, Ruinartus ex eo refutat, quod Cyprianus in fine libri de mortalitate, Martyres innumerabiles jam coronatos admittat. Perſecutionem Vale-

riani

riani paucos feciſſe Martyres, ex ejusdem brevitate colligit Dodwellus. At Ruinartus monet, Lactantium adfirmare, quod Valerianus *multum, etſi brevi tempore, juſti ſanguinis effuderit.* Falſi quoque Dodwellum arguit, quod eam perſecutionem tantum contra Epiſcopos & Clericos ſæviiſſe dicat, cum ex Cypriani epiſtola 76, alias 77, contrarium probari poſſit. Sub Gallieno pacem Chriſtianos habuiſſe Dodwello concedit, nec urgendam putat memoratam ab Autore Chronici Paſchalis perſecutionem ſub Caro, in qua multos martyrio vitam finiiſſe ſcribit. Veretur enim, ne Autor ille rerum ſeriem perturbaverit. Pergit igitur ad Aurelianum, cujus perſecutionem intentatam tantum, non exſecutioni mandatam Dodwellus adſerit, unde nullos ſub eo Martyres agnoſcit. Reſpondet Ruinartus, Aurelianum quidem inter furoris ſui initia extinctum fuiſſe, ut ait Lactantius, ſed cum Deum factis jam laceſſiviſſet. Ideoque verba Lactantii, cum dicit, *Aureliano non licuiſſe perficere, quæ cogitaverat*, ſic interpretatur, quod religionem Chriſtianam delere cogitans, id non perficere potuerit, etſi jam Chriſtianos perſequi cœpiſſet. A perſecutione Diocletiani & ſucceſſorum Dodwellus non ſolum Gallias, ſed & Hiſpanias & ex parte Africam eximit, cum per edicta Maximiani Herculii in Africa promulgata nemo ob Chriſtiani nominis confeſſionem comprehenſus fuerit, ſed tantum qui collectas celebraſſent, vel ſacros codices tradere noluiſſent. Ruinartus vero commune Imperatorum & Cæſarum edictum in Africa promulgatum fuiſſe, ex actis Saturnini & Optato Milevitano probat. Nec multum referre exiſtimat, an Martyres ob ſolum Chriſti nomen, vel quod præterea collectis adfuerint, interficerentur. Hiſpaniam vero ſub Conſtantii Chlori ditione fuiſſe, ideoque a perſecutione liberam negat Ruinartus, cum Lactantius c. 8. de mortibus perſecutorum Hiſpaniam Herculio ſubjectam fuiſſe tradat. Quin & Gallias, etſi ad Conſtantii ditionem ſpectarent, a perſecutione immunes fuiſſe negat, cum initio perſecutionis, Conſtantio adverſus barbaros occupato, plurimi Chriſtiani Præſidum genio & populari furore ſublati fuerint, & perſecutionis edicta in Gallia quoque publicata fuiſſe Lactantius innuat, cum ait, Conſtantium, ne diſſentire a Majorum præceptis videretur, conventicula dirui paſſum fuiſſe. Tandem Ruinartus poſt Dodwelli refutationem, in cauſas, cur tot carnificinæ adverſus Chriſtianos inſtitutæ fuerint

rint

rint inquirit, & quantis honoribus Martyres in eccleſia affecti fuerint exponit.

Præfationem excipiunt ipſa primorum Martyrum acta, quibus præfationes ſuas & notas Ruinartus adjunxit. Agmen ducunt martyria S. Jacobi & S. Simeonis primorum Hieroſolymæ Epiſcoporum ex Hegeſippo apud Euſebium, item acta Ignatii, qualia ab Uſſerio in appendice Ignatiana edita fuerunt. Quibus poſt reliquorum Martyrum acta in hac Ruinarti collectione adduntur etiam Græca Ignatii acta, quæ ab Uſſerio nusquam inventa ex Colbertino codice nunc primum prodeunt, una cum Ignatii epiſtola ad Romanos, quam Iſaacus Voſſius, cum ſinceras Ignatii epiſtolas ederet, in Florentino ſuo codice deſideravit, unde doctiſſimus Editor non dubitat, Uſſerium pariter & Voſſium, ſi ſuperſtites eſſent, de genuino actorum Ignatianorum & epiſtolæ ad Romanos textu ſibi gratulaturos eſſe. Latina Ignatii acta paulo ante memorata excipiunt paſſio Symphoroſæ & ſeptem filiorum ejus; paſſio Felicitatis & ſeptem filiorum; epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis de S. Polycarpo, quam Uſſerius & Cotelerius integram ediderunt; martyrium Ptolemæi & Sociorum ex apologia Juſtini; acta Juſtini & Sociorum Martyrum, quæ non alterius cujusdam Juſtini eſſe Ruinartus contra Papebrochium defendit; epiſtola eccleſiæ Viennenſis & Lugdunenſis de paſſione S. Pothini & plurimorum aliorum Martyrum; paſſio Alexandri & Epipodii; acta Symphoriani; acta proconſularia Martyrum Scillitanorum ex Baronio, & codice MS. bibliothecæ Colbertinæ; paſſio Perpetuæ & Felicitatis, ex editione Holſtenii cum MSC. codicibus collata, quam a Montaniſta quodam ſcriptam eſſe negat, etſi id a Valeſio aſſertum fuerit. Nimis longum eſſet cætera omnia, quæ hoc volumine continentur, Martyrum acta recenſere, ex Euſebio, Rufino, Baſilio, Ambroſio, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, Prudentio, aliisque Patrum operibus, aut etiam ex Surio, Bollando & aliis, qui Sanctorum vitas collegerunt, aliisque monumentis depromta, & ut plurimum cum pluribus manuſcriptis collata, quibus etiam duo illa antiqua Kalendaria a Bucherio & Mabillonio edita, quorum ſupra mentionem fecimus, adduntur.

INSTRUCTIONS NECESSAIRES POUR CEUX qui ſont incommodés des Décentes &c.

i. e.

Præcepta neceſſaria in eorum conſignata gratiam, qui Herniis laborant, una cum Notis Remedium Regis & rationem concernentibus, qua ſubligacula in provincias mitti queant. Auctore de Launay Chirurgo Herniario.

Pariſiis, apud Laurentium d'Houry. 1690. in 12. conſtant plagulis 5. & Figur. tabul. 4.

AUtor Provincialis cujusdam hic reſpondet voto, qui, cum cingulo citius ſepoſito, titubantis equi occaſione gravem herniæ recidivam ſuſtinuiſſet, tum ſui, tum aliorum ergo, de herniis earumque remediis neceſſariis a Noſtro inſtrui per literas petierat in frontiſpicio legendas. Etenim Herniarum ſaltem verarum, & quidem earum rationem habet, quæ vel incompletæ ſub nomine Bubonoceles inguina affligunt, vel completæ omenti aut inteſtinorum per muſculorum abdominis annulos ad ſcrotum deſcenſum denotant, & pro partium harum ſitu diverſimode mutato nunc Epiplocele in latere utplurimum ſiniſtro oriunda, nunc Enterocele, nunc Entero-Epiplocele audiunt. Cauſam cunctarum harum duplicem venditat, aliam magis externam & violentam, peritonæum & annulos ſubito non ſolum dilatantem, ſed plane rumpentem; internam aliam, ſeroſitatem nimiam ſucceſſive fibras nerveas relaxantem, ac peritonæum annulosque diſtendentem. Ante tamen quam manum iisdem Chirurgus admoveat, ab hoc partim Epiplocelen & Enterocelen, partim Herniam veram a ſpuria, v. g. Hydrocele, Sarcocele, Pneumatocele &c. aliisque tumoribus, e. g. Bubone, teſticulo retento &c. probe diſtingui debere admonet. Ipſam vero medelam tanto faciliorem & ſolo ſubligaculo perficiendam annotat, quo citius eadem & mox in principio, exiguo tantum tumore apparente, expetatur: opera quippe Chirurgi ſi tunc negligatur, prout a plerisque varias ob cauſas fieri ſolet, partes poſtmodum prolapſas difficilius reponi poſſe, easque ob longiorem etiam moram plane cum partibus con-

contiguis coaleſcere, non niſi periculoſiſſima ſectione ſeparandas; præter alia denique ſymptomata Iliacam paſſionem lethalem ſupervenire. Sic recens in non nemine ex hernia neglecta defuncto, peritonæi productionem ſtricte cum teſticulorum tunica cohærentem, ac in ſe marſupium veluti adeo exiguum efformantem, ut vix extremitatem digiti indicis reciperet, ipſum vero inteſtinum contentum ſphacelo correptum ac in duplicatura ejus fere conglutinatum obſervavit, indicio manifeſto, hernias quo minores, eo periculoſiores exiſtere. Quod ſi nihilominus æger ex hernia male ſeſe habeat, linimentis aut cataplaſmatis emollientibus, nec non venæſectione, inflammationis præcavendæ gratia, præmiſſis, ante omnia ipſas partes prolapſas in ægro convenienter locato lente, absque ulla violentia, & eás quidem primum, quæ ultimum exierunt, reponendas eſſe docet. Hinc pro reliqua cura abſolvenda, ſpiritum ſalis rectificatum interne, externe emplaſtrum & ſubligaculum commendat, ceu tria illius *remedii* requiſita, quod *cænobii Chabrienſis Priori* magnam antehac famam conciliavit, quodque demum *Gallorum* Rex in ſcheda quadam *Verſaliis A. 1686.* cum omnibus cautelis divulgandum curavit, a *Muralto* quoque *Oper. Chirurg. Germanice edit. p. 323.* commemoratum. In locum nihilominus ſpiritus ſalis, cujus doſis diverſa pro ætatis ratione cum vino rubro per tres ſeptimanas ventriculo jejuno ad Prioris methodum propinanda venit, ſpiritum etiam ſalis dulcem, tanquam ventriculo gratiorem, ſurrogari Noſtro placet. Emplaſtrum vero, quod Maſtich, ℥ß. Ladan. ʒiij. Nuc. Cupreſſ. exſicc. No. 3. Hypociſtid. ʒj. Terr. ſigill. ʒj. Picis nigr. ℥iij. Terebinth. Venet. ℥j. Ceræ flav. recent. ℥j. Rad. Conſolid. Maj. ℥ß. ingrediuntur, ita præparari a ſe tradit, ut ſucco hypociſtidis in tantillo aquæ ſupra ignem lenem diſſoluto, primum picem, ceram & terebinthinam addat; fuſis dein hiſce, nondum vero ebullientibus, & ab igne remotis, ſpecies reliquas, ſeorſim pulveriſatas, cribratas & commixtas, ſucceſſive adjiciat, usque dum continua agitatio in juſtam emplaſtri conſiſtentiam faceſſant. Hoc tamen emplaſtrum quovis die decimo mutandum, & per tres pluresve menſes continuandum, priusquam cum ſpiritu ſalis adhibeatur, ſubligaculum accuratum per duas vel tres ſeptimanas adaptari conſulit, tam ut ægrotus huic adſueſcat, quam ut de perfecta potiſſimum retentione partium, ſine qua reliqua uſurparentur fruſtra, conſtet. Uſum autem emplaſtri quia

magna prurigo, mox excoriatio inſequantur, illam ſaccharo Saturni aqua fontana diſſoluto vel Tabaci decocto, hanc vero emplaſtro de ceruſſa vel albo Rhaſis mitigandam eſſe innuit. Inter ſubligacula cæteroquin dies noctesque geſtanda, ea extollit delineatque, quæ e filo ferreo aut chalybe, hocque vel continuo, vel in partes quatuor apte jungendas diffracto, pro faſcia plicatili conſtituenda, ſolent confici, qualium figuras non multum abſimiles & alius Gallus Herniotomus *Lequin* Tractatu *de Herniis* A. 1684 & 1690 Pariſiis edito exhibet. Talia ſiquidem levia haberi & exacte applicari poſſe, ut partibus ſemel repoſitis egreſſum vix concedant, etiamſi magna quandoque, v. g. inter ſternutandum, tuſſiendum, fæcum alvinarum excretionem &c. violentia accedat, modo tunc æger manu propria pulvinum ſubligaculi, ne vi ejusmodi externæ cedat, firmiter partem verſus affectam comprimat. Adeoque laudatæ faſciæ ſi in uſum vocentur, ægros cum memorato Antiſtite haud cogendos eſſe, ut integris tribus ſeptimanis ſaltem recubent, ambulent aut ſtent, neutiquam vero ſedeant, cum & tuto in equo vel curru, neceſſitate id imperante, poſſint ſedere. Aſt quo Noſter ſubligacula exacta aliorſum mittere queat, ab hernioſis varias circumſtantias, e, g. herniæ latus, an hernia ſit gemina, utra earum prævaleat, an completa, an incompleta, num perſona macilenta ſit, an pinguis &c. una cum menſura ambitum corporis circa herniæ locum accurate determinante, ſibi ſignificari expetit.

NOUVEAU TRAITTE DE LA MALADIE Venerienne &c.

i. e.

Tractatus novus de morbo Venereo, Auctore L. le Monnier.

Pariſiis apud Amab. Auroy, an. 1689. in 8.
conſtat plagulis 22.

LIbri periocham tradituris neceſſarium videtur indicare, quæ Dn. Auctorem ad ejus editionem impulerint. Non vana ſcilicet innoteſcendi ambitione, nec tyrannico ſcribendi pruritu ſe ductum ait, ſed ut memoriæ & crumenæ chirurgorum caſtrenſium ſuccurreret,

ret. Hinc illis potiſſimum hunc inſerviturum eſſe confidit laborem, qui medendi provinciæ recens admoti in iſtius affectus cognitione parum tantummodo profecerunt. Totus autem liber XIV. capitibus circumſcribitur, quæ per tranſennam quaſi perluſtrare aggredimur. Cap. I. originis incertitudinem exhibet, adductis variorum opinionibus, quibus diverſa mali productio adſtruitur. Cap. II. nomina tradit ab Italis aliisque huic morbo impoſita; ejus tamen indoli convenientius Auctor arbitratur nullum, quam quod a quibusdam fœminis illi nunc tribuitur, dum morbus elegans ſeu *la maladie galante* vocatur. Cap. III. definitionem affectus a Fernelio mutuatur; hinc veneni, cujus connubiali quaſi traduce malum propagatur, natura in aciditate & penetrante ſpirituoſitate ſiſtitur, ſubjunctis variis contagii modis, quibus infecti alios inquinare valeant. Ubi in ſpecie notatur, quod quis facile poſſit malum ſibi attrahere, ſi forte cum proſtibulo rem ſtatim habeat, dum hoc a congreſſu alius impuro adhuc quaſi fervet; utut ipſum deinde expers inquinamenti Venerei maneat. Cap. IV. diviſio in 4. ſpecies rejicitur, cum una eademque cauſa ſemper præſto ſit, virus nempe Venereum, quod magis nunc, nunc minus ſe exerat; minus, & limitibus quaſi circumſcriptum in gonorrhœa & bubonibus: magis, cum in lue ipſa ſe diffundat in partes omnes. Cap. V. ſigna enarrantur diagnoſtica cum mali incipientis, tum confirmati, interſperſa ſtatim utriusque prognoſi. Cum vero ex obſervatione Fernelii aliorumque, deliteſcere hoc morbi genus per 10 pluresque annos valeat, notavit olim Auctor, quod multi ægrotorum illo antehac in caſtris correpti, & circumforaneorum opera reſtituti, in ulcera poſtliminio incurabilia inciderint. Hinc ſanationem ab iſtis artificibus profectam fuiſſe malignam, & mali tantummodo eclipſin quandam. C. VI. agitur de gonorrhœa præcedanea, in qua juxta Auctoris mentem, materia purulenta effluens non ſemen corruptum eſt, neque humor proſtatarum ovorum albumini ſimilis, ſed lympha prodiens ex vaſis propriis alicubi eroſis, aut vi Venerei viri dilaceratis. Sequeretur enim extemplo corporis macies & tabes, ſi tanta ſeminis quantitas profunderetur, quod ſine contradictione aut dubio eſt totius partiumque omnium corporis compendium, atque extractum ſanguinis puriſſimum. Mox ſymptomata gonorrhœæ, ardor urinæ, inflammatio balani, ulcera urethræ &c. eorumque ætiologiæ addun-

 tur,

tur, cum ſignis prognoſticis, indicationibus curativis, & medicamentis eo conducentibus. Cardo totius curationis potiſſimum in ſequentibus vertitur: (1) in diætæ ratione, ut fugiantur objecta ad amorem incitantia, item alimenta ſanguinis calorem nimis adaugentia, exercitia corporis vehementiora, nec non medicamenta violenta ac valde diuretica. (2) In applicatione enematum laxativorum & refrigerantium per 3. 4. aut plures dies. (3) In exhibitione emulſionum refrigerantium, quibus ſemper ſal prunellæ admiſceri ſuadetur. (4) In inunctione regionis renum, perinæi, teſticulorum, totiusque penis cum unguento roſato, populeo aut cerato refrigerante loto in aqua ſolani vel oxycrato. (5) In injectionibus refrigerantibus & lenitivis (ſi dolor inter mejendum ardens perſeveret) quales parantur ex decocto tepido portulacæ & lactucæ, cum mucilagine ſeminis lini aut pſyllii, balneando pro re nata penem in lacte vaccino tepido &c. (6) In moderata & circumſpecta purgatione, quæ poſt 14. dies elapſos ab inchoata curatione inſtitui, per biduum aſſumi, exacto requiei biduo iterari, & alternato tali intervallo per 14. dies continuari debet. (7) In mundificatione & deſiccatione ulcerum vaſorumque adſtrictione per interna & externa medicamenta; hinc detergentes liquores, ac tandem adſtringentes per ſyringam urethræ immitti jubentur, quos valide exaltabit vel ſal Saturni, vel exigua vitrioli albi portio. Cum vero non raro accidat, ut ſub cura gonorrhϾ intempeſtiva inflammatio & tumor alterutrum vel utrumque teſticulum invadat, cap. VII. in cauſam rei inquiritur, ſubjuncta ſtatim medicatione per clyſteres mere refrigerantes, venæſectionem pluries iteratam, & prohibita corporis motione, per topica adſtringentia, anodyna & reſolutiva. Inter illa, quæ doloris atrocitati repugnent, laudatur cataplaſma ex mica panis ſimilaginei cocta in lacte caprino, cui oleum roſarum, crocus & ovi vitellum admiſceatur. Quodſi tumor rebellis deprehendatur, vel frictionibus mercurialibus tractari, vel cinnabari fumigari, vel emplaſtro de ranis cum dupla aut tripla mercurii additione emolliri, atque ſic paulatim diſſolvi ſuadetur. Cap. VIII. maxime incommodum & laborioſiſſimum præ cæteris accidens enucleatur, caro ſcilicet ſuperflua cuidam urethræ parti adnaſcens, exitumque urinæ præcludens, cui triplex cauſa aſſignatur. Difficili autem arte tolli poſſe aſſeritur, quod canalis urinæ incurvatus ſit, delicatamque ſtructuram obtineat, ut adeo

in

in medendo manus perita Chirurgi & dexteritas requiratur. Quomodo vero cum exili candela cerea peragi cura debeat, intruſione blanda medicamentorum v. g. pulveris ſabinæ, præcipitati rubri, æruginis aluminis rupei &c. cum terebinthina Veneta commiſtorum, & quomodo poſt deſtructionem carunculæ per ſyringam utilis injectio adminiſtranda ſit, fuſius exponitur. Medicamentum quoque Godofredi Giannat ingenue traditur, pro quo, juxta fidem hiſtoriæ, Carolus IX. duo millia aureorum exolviſſe perhibetur. Ac ejus quidem deſcriptio in obſervationibus Riverii Centur. II. obſerv. 14. extat pariter, ſed quæ ab hac multum diſcrepat. Cap. IX explicatur, quid differentiæ interſit inter ſtranguriam Veneream & gonorrhœam, quodque hæc citra dolorem ſubſiſtat. Ubi obiter notamus, non contemnendum aliorum monitum repeti ab Auctore, quod ſcilicet periculo non vacet, in decoctis ſalſaparillæ aliorumque ſimilium, quæ antimonium crudum ſimul ingreditur, quicquam acidi aut cujuscunque liquoris tale quid continentis aſſumi. Rationem adjicit, quod aculei acidi intrent antimonii poros, eosque aperiendo liberent particulas ſalinas a ſulphureis, ut reſultare inde facultas emetica poſſit. Cæterum quamvis in ſtranguria virorum & mulierum curanda, una eademque methodus ſit obſervanda, eſſe tamen inter utramque inſignem differentiam ratione ſitus, figuræ & diſpoſitionis partium, pluribus enarratur. Cap. X. ulcera & cancri Venerei producuntur, quorum ſæpe ſatellites quaſi ſint phimoſis, paraphimoſis, verrucæ & bubones. Non parum vero momenti habere dicitur ad proſpere medendum, ut utriusque diſtinctio perfecte cognoſcatur, quæ proinde traditur, ſubjecta ſtatim curandi decempeda. Hinc exploditur illorum methodus, qui curam cancrorum Venereorum ordinarie ordiuntur per applicationem ſpiritus nitri aut vitrioli. Indicationes enim ad abolitionem mali eo tendere, ut obex ponatur penetrationi ſpirituum lue infectorum, ut caro corrupta auferatur, ut denique durities per ſuppurationem conſumatur. Jam tantum abeſſe, ut hiſce fiat ſatis liquorum acidorum auxilio, ut potius malo majori fores pandantur. Id quod fuſius explanatur ſubnexa curandi ratione ſecuriore. De cætero cum difficile ſæpenumero ſit, ut dum cancri Venerei excarnificant ægros, inflammationes & tumores aquoſi evitentur, hinc cap. XI. de phimoſi & paraphimoſi tractatur. Itaque prioris non tantum modus fiendi, ſed & cura deſcri-

deſcribitur, quæ duplici via inſtitui queat: operatione ſcilicet manuali, & remediis emollientibus ac reſolventibus. Cum vero illa non parum laboris Chirurgo, plurimum autem doloris ac tædii ægrotis ſoleat conciliare, ideo hæc potiſſimum commendatur medicamentis peragenda, inter quæ laudatur emplaſtrum Vigonis cum duplo aut triplo mercurii, empl. diaphoreticum Mynſichti &c. prævalere tamen his judicatur unguentum de althea nuptum æquali portioni Neapolitani cum dupla doſi mercurii. Poſterioris, ſive paraphimoſeos rationem accurate habendam eſſe conſulitur, ne nimirum vis inferatur præputio pro denudanda balano, cum huic periculum gangrænæ poſſit hac ratione afferri. Cap. XII. agitur de bubone venereo, cujus & differentiæ & cauſæ traduntur, adjuncta mox indicatione ad curam rite inſtituendam. Primo autem venæſectio in hoc caſu rejicitur: admittitur purgatio, ſed non niſi aliquandiu poſt apertum abſceſſum. Hinc laudantur ventoſæ, cataplaſmata, emplaſtra, lancetta vel cauſticum. Singulorum vero uſum diſtinguat tempus maturationis, apertionis & ſanationis. Cap. XIII. exhibet curationem ſyphilidis, ſymptomatumque vel comitantium vel inſequi ſolitorum. Conſiſtit autem illa (1) in accurata diætæ ordinatione juxta res ſex non-naturales, interdicto imprimis omni & Veneris & vini uſu. (2) In trina vel quater repetita venæſectione brachii, quam tamen clyſteres laxativi, emollientes & refrigerantes præcedere debent & ſequi. (3) In purgatione vel ſub forma liquida, vel ſolida, item forti aut debili, pro ægri ſcilicet viribus. Sed ſicut hactenus memorata ſaltem initium quaſi curæ conſtituunt, & præparationis ergo adhibentur: ita imprimis eo reſpiciendum, ut ſi quis alius ſimul affectus affligat vel complicetur, ille prius eradicetur convenienti medicamentorum uſu, quibus tamen ſemper talia jungantur, quæ luem ipſam enervant. (4) In balnei cum aqua tepida adornatione, quod ad ſeptem & plures dies continuari debet. Monita quædam ad balnei legitimum uſum neceſſaria adjiciuntur. (5) in ſalivatione tanquam unico & ſolo remedio, a quo abſolute dependeat totum ſecretum curæ & ſanationis. Atque ita non convenit Auctori cum Davide Abercrombio, qui anno 1684. Londini tractatum edidit, a nobis an. IV. actorum pag. 24. recenſitum, in quo tuta & efficax luis Venereæ ſemper absque ſalivatione mercuriali curandæ methodus proponitur. Cæterum non tantum ſalivatio quid

ſit

ſit deſcribitur, ſed & modus excitandi illam mediante inunctione tanquam omnium optimus commendatur, ſubjunctis cautelis non ſolum ad evitandos improſperos quoscunque ſucceſſus, ſed ad ſymptomata quoque moleſta declinanda. His omnibus ſubnectuntur obſervationes nonnullæ ſeu hiſtoriæ, quæ fidem ſupra aſſertis faciant. Ultimo tandem loco cap. XIV. formulæ remediorum exponuntur, v. g. ptiſanarum, clyſterum, emulſionum, aquæ divinæ Fernelii, opiatæ Neapolitanæ &c. quibus uti ſecure pro re nata conveniat.

REFLEXIONS SUR LES DIFFERENS DE LA Religion. Troiſieme Volume, ou les Chimeres de M. Jurieu.

hoc eſt,

Conſiderationum de Religionis Controverſiis Pars tertia, vel Chimæræ Petri Jurii; ubi continetur Reſponſio generalis ad ſecundum annum Literarum Paſtoralium contra primam partem Conſiderationum. Acceſſit examen breve Prophetiarum Jurii.

Pariſ. apud viduam Cramoiſy, 1689. in 12.

De primo ac ſecundo Volumine, quæ celeberrimus Pelliſſonius titulo Reflexionum ſive Conſiderationum de religione edidit, *in Actis Anno 1689 pag. 564*, de quarto, nuper admodum *menſe Junio A. 1692 pag. 241* a nobis relatum eſt: de tertio, hoc loco quædam memorabimus. Cum enim primo volumini, quod velut baſis eſt totius operis, oppoſuiſſet ſeſe *Petrus Jurius*, Theologus Reformatus clariſſimus, in Literis Paſtoralibus anni ſecundi; huic Peliſſonius tertio hoc volumine Reflexionum reſpondit, cujus quatuor ſunt partes. Prima impugnat *Claritatem* Jurii *negativam*, qua ſcilicet judicamus aliquid in Scriptura ſacra non extare. Pelliſſonio videtur nihil eſſe hac Claritate obſcurius, cum penetrare ſenſus intimos verborum neceſſe ſit, multaque loca conferre inter ſe, ipſique Jurio ſit viſum (quanquam male, ex Autoris ſententia) fidem aliquot ſeculis velut informem, paulatim attenta lectione Scripturæ fuiſſe fixam. Spem nobis facit Pelliſſonius tractatus ſui de *Traditione*, cujus hic velut delineati-

onem exhibet. Semper Verbum Dei non ſcriptum ſed annuntiatum populis, viguiſſe in Eccleſia, ipſorumque Proteſtantium judicio, de Trinitate, Meſſia, cœlo, inferno & reſurrectione, fideles ante Chriſtum natum dogmata tenuiſſe prorſus utique eſſentialia, quæ tamen in Veteris Teſtamenti libris diſerte non contineantur. Chriſtum & Apoſtolos hoc verbum Dei non ſcriptum & probaſſe & ſecutos eſſe. Neque unquam in lege nova fuiſſe dictum: *hactenus Traditio, impoſterum Scriptura tantum*; nec fuiſſe mandatum Diſcipulis, *ite, ſcribite;* ſed *euntes prædicate, docete.* Scripturam fuiſſe claram fidelibus, praxi Eccleſiæ jam imbutis; obſcuram videri infidelibus, novitiis. diſputaturientibus. Itaque Patres purgatorium, invocationem Sanctorum aliaque inveniſſe in Eccleſia, quæ ibi Proteſtantibus non comparent. Magno fructu Judaicam Traditionem noſtræ comparari poſſe judicat, & cum Lightfootius dixiſſet, aut Papiſmum eſſe Judaiſmum, aut Judaiſmum eſſe Papiſmum; Pelliſſonius, quod contra ſuos torqueri videbatur, pro illis retorquet, minimeque credibile judicat, Chriſtianos poſt bellum inter Eccleſiam & Synagogam jam declaratum, huic ſeſe accommodaſſe. Hinc putat, dogmata ſuæ Eccleſiæ non minus clare in veterum Judæorum fide comprehenſa fuiſſe, quam Reſurrectio in verbis a Chriſto ipſo citatis: *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, Jacob.* Itaque Purgatorium quoque non a Paganis, ſed ab antiquiſſima Judaicæ Eccleſiæ traditione (unde Plato aliique acceperint) in Chriſtianos fuiſſe derivatum. Digreditur etiam in materiam de *Excommunicatione:* cum enim confeſſione omnium, poteſtas clavium pertineat ad veram Eccleſiam, ſequi ait pluribus ſe mutuo excommunicantibus non competere eam ſimul, ſed vel Romanos Proteſtantibus, vel hos illis portam ſalutis claudere. Jurium diſtinctionibus quibusdam huic difficultati reſpondere conatum nebulas fortaſſe effudiſſe ſimplicibus, ſed rem in effectu eo reduxiſſe ut perinde ſit, ac ſi dixiſſet, Excommunicationes nihil agere, neque cuiquam nocere aut prodeſſe. Et cum Eccleſia excommunicandi poteſtatem ſibi aſſerens, ſeſe tacite declaret infallibilem, conſequi Eccleſias Proteſtantium hoc privilegio propria confeſſione carentes, eam poteſtatem non habere. Cum vero Jurius diſtinxiſſet inter vim Excommunicationum declarativam & operativam, Pelliſſonius ex his conſequi arbitratur, ſolam Romanam & operari quod declarat, & declarare quod operatur, ac ſine temeritate dicere:

cere: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Ita relabitur in primarium illud ſuum thema, Religionem non poſſe ſtare ſine certitudine & infallibilitate, & hanc non privato cuivis, ſed ſoli Eccleſiæ competere, eaque de re recte doceri in Romana Eccleſia; contra apud Proteſtantes, inverſa rerum natura, Eccleſiam humilem & modeſtam fateri ſuam incertitudinem, ſingulos vero ſuperbe & audacter infallibilitatem jactare.

Pars ſecunda agit de *Claritate* Jurii *Prophetica.* Ubi Peliſſonius altius ortus, chimæras & viſiones naſci per gradus putat ex philautia, cum privatus lucem quam putat ſuam luci communi a Deo omnibus datæ præfert: primum enim labi hominem, mox nolle lapſum fateri, & vim ſibi facere; ita tandem ipſo imaginandi conatu naſci perſuaſionem quandam, quæ ubi ad magnum vigorem devenerit, degeneret in viſionem. Ejusque rei exempla, cum in aliis rebus, tum vero maxime in negotio religionis extare. Exhibet eam in rem genealogiam fanaticorum ex Honorii Reggii ſeu Georgii Hornii libro de Eccleſiæ Britannicæ ſtatu, quanquam nonnullis videatur Hornium multa incomperta ex falſa relatione ſcripſiſſe. Proteſtantium hypotheſes judicat Autor natura ſua ducere ad hunc Quakeriſmum, quem ipſimet damnent, nec tamen principiis obſtent, gratiam illam internam particularem non probatam gratiæ publicæ & probatæ totius Eccleſiæ præferentes. Id agere Jurium, ut exules Gallos paulatim faciat fanaticos ſcriptis & prophetiis ſuis, *Quærentes* ſcilicet & *Expectantes*, quod genus Quakerorum in Anglia erat.

Pars tertia inſcribitur: *Chimæræ fundamentales Explicationis Apocalypticæ*, dirigiturque contra eos imprimis, qui Papam faciunt Anti-Chriſtum, qui cum mille modis inter ſe pugnent, conveniant tamen in certis velut principiis. Primum eſſe, Anti-Chriſtianiſmum Papæ conſtare ex corruptela in doctrina & tyrannide in diſciplina, cum tamen ipſi velint, corruptelam longe eſſe tyrannide illa, quam accuſant, antiquiorem. Principium ſecundum eſſe, quod 1260 dies Apocalypſeos ſint dies Prophetici, hoc eſt anni, cum tamen ejus rei non extet exemplum in Prophetis; nam quod de 70 ſeptimanis Danielis dicatur, longe aliter ſe habere, fatentibus id veteribus Genevenſium in Scripturam notis, vocemque Hebraicam non ſignificare ſeptimanam, eo quo nos accipimus ſenſu, id eſt ſeptem dies, ſed heptadem in genere, adeoque

 opti-

optime explicari de heptade annorum. Principium tertium Chimæricum eſſe, quod ſperent invenire finem regni Anti Chriſti ſeu 1260 annorum, etſi nequeant ejus deſignare initium, fateanturque id fuiſſe ſenſibile: quod tamen contrarium ſit uſui Scripturæ, quæ cum numeros fractos adhibet (ut cum loquitur de tribus menſibus cum dimidio) aliquid definitum, non vagum deſignare intendat.

Pars quarta agit de *Chimæris Propheticis particularibus* in explicatione Apocalypſeos. Miratur Jurium quosdam introducere Semiprophetas, quos inſpiratos appellare malit, partim errantes, partim Dei Spiritu plenos: id vero periculoſum eſſe judicat Autor, & ad fidem veris Prophetis detrahendam tendere. Examinat particulatim Chimæram, quam vocat, trium annorum cum dimidio, & duorum Anti-Chriſtorum, quos introducat vel admittere videatur Jurius, unam magni illius, qui tot annos regnare debet, quot alter dies, alteram minoris, qui teſte Irenæo (cui Jurius aliquid in ea re deferat) venturus ſit verſus finem ſeculi, & tres annos cum dimidio naturales regnaturus. Eodem modo & alia exagitat, inprimisque quæ accuſat ſubterfugia, ex chimæris & impoſturis ut ait compoſita, qualibus homines decepti alios decipiant, Paulo jam obſervante. Ita Jurium ſibi latibula quædam & effugia aperta ſervaſſe, ut deſtituente eventu, quod pro anno 1689 prædictum fuerat, ita accipi poſſit, quaſi poſt aliquod ſecula aut, ſaltem 80 adhuc circiter annos forte debeat adimpleri.

Omnia hæc ſolita ſibi elegantia Peliſſonius tractat, & quædam ſubinde jucunda immiſcet, quale eſt, quod de Taſſo illo poeta celebri ex vita ejus ab amico Joh. Bapt. Manſo deſcripta narrat, qui eo perſuaſionis venerat, ut quendam velut Socraticum Agathodæmonem ſibi adeſſe putaret, & cum eo nonnunquam (audiente Taſſi verba, ſed non reſponſa Dæmonis Manſo) ſublimi ſtylo loqueretur. Cæterum *Conſiderationes* Pelliſſonii ipſas Theologis examinandas relinquimus.

JOHANNIS BAPTISTÆ NERI, ORDINIS MInimorum S. Franciſci de Paula, S. Theol. Lectoris Jubilati ac Juris Canonici Profeſſoris, Praxis Sanctæ Inquiſitionis.

Florentiæ ex Typogr. Petri Matini 1685, in 4to. plag. 23.

SPecialem illum Sanctæ (ut inter ſuos vocari ſuevit) Inquiſitionis Pro-

Proceſſum hic explanatum deprehendimus, quem ſuperioribus ſeculis in Eccleſia Romano-Catholica introductum, ad Religionis iſtius conſervationem ſummopere conducere, & Hierarchiam præprimis Papalem firmiſſime communire, nemo non agnoſcere cogitur. Opuſculum ipſum in 26, capita diſtinguitur, & hoc potiſſimum ordine ab Autore concinnatum nobis videtur. Priora 4. capita, quibus & cap. 16. jungi debet, exponunt diſparem delinquentium ſeu hæreticorum conditionem, quandoquidem alii vere vel putative tales ſunt, alii ſponte comparentes aut præventi; quos inter alii iterum poſitivi, qui dogmata hæreſeos objecta pro ſuis agnoſcunt, ſeu defendant ea, ſeu ſubſequuta pœnitentia reprobent; alii negativi, qui negant, ſe ea, quæ objiciuntur, dogmata hæretica, protuliſſe unquam. Et in hos quidem ſevere admodum animadvertitur; igne etenim ceu impœnitentes cremari ſolent, ſi poſt ſufficientem a delatoribus factam probationem, propriam confeſſionem ſuperaddere præfracte denegant. His præmiſſis recenſentur delicta, quæ tum directe errorem ac hæreſin important, tum indirecte & magis occulte tale quid ſupplantant; ubi circa poſterioris notæ delicta ſollicite obſervat Autor, qua ratione pro diverſitate circumſtantiarum idem delictum modo ad Judicis Ordinarii, modo ad Inquiſitorum cognitionem devolvatur. Sic polygamiæ crimen, quod in cap. 6. exponitur, communiter quidem Judex ordinarius coercet; pertinet tamen & ad Inquiſitores ejusdem criminis vindicatio, ſi videlicet ex doctrinæ perverſitate quis vagi conſortii uſuram ſibi conceſſam eſſe fuerit arbitratus, cujus erroris Lutherum noſtrum Autor falſo inſimulat. In Cap. 7. agitur de Confeſſionariis ſollicitantibus, qui in Confeſſione, ut Pontificiis eſt, Sacramentali turpiſſimæ libidinis præludia & actus cum perſonis ſequioris ſexus tentant, ſi forte conſummare penitus non poſſunt. Quodque hoc delictum prorſus abominabile inter caſus inſolitos apud Pontificios minime referatur, manifeſto ſatis colligere licet ex crebris Pontificum bullis a Pio IV, Clemente VIII, Paulo V, & Gregorio XV emiſſis; ex quibus bullis poſtremam Autor verbotenus recenſet, eandemque variis caſibus, quos praxis quotidiana affatim ſuppeditat, perſpicuam magis reddere laborat. Imo ubi caput iſtud utut prolixiſſimum, ſiquidem a pag. 27. usque ad pag. 62. excurrit, ad delicti hujus receſſus declarandos non ſufficere deprehendit Autor, in Cap. proximo 8. alia hujus the-

matis facta corollarii loco addere voluit. A Cap. 9. usque ad Cap. 14. cætera excutiuntur delicta Inquiſitorum vindicationi commiſſa, quæ vel communia ſunt, vel ſpecialia & Eccleſiæ Romanæ ſanctionibus ſolummodo damnata. Utriusq; ſectæ hæ potiores ſpecies: Sortilegium, maleficium, blaſphemia, retentio librorum prohibitorum, eſus carnium in diebus, quibus eſt prohibitus, præceps ac temerarium de excommunicatione judicium aut inflictæ excommunicationis contemtus. Quæ ſequuntur Capita modum procedendi propius attingunt. Et generatim quidem agitur in Cap. 21. & ſeqq. de falſis teſtibus, de teſtium confrontatione (quæ rarius tamen hoc in judicio uſurpatur) de tortura caute adhibenda & aliis monumentis, quæ Inquiſitores hoc in judicio ſollicite advertere tenentur. Speciales vero cautelæ enarrantur in Cap. 25. quas Judex providus in cauſis ſtrygum ac maleficorum omnino abſervare debet; reprobantur junctim exceſſus in tam acerbo judicio non infrequentes. Hos inter & iſtum morem ceu perverſum taxat Autor, quando in tortura crimine maleficii infamatis pili undiquaque a carnifice abradi ſolent. Cap, 26. & penultimum peculiare delictum exhibet, quod Clerici potiſſimum contrahunt, dum in templo aliisque locis ſacris tabaco uti præſumunt. Iſtam vero levitatem, quæ inter Hiſpanos præſertim invaluerat, Urbanus *VIII.* ſpeciali conſtitutione ad Archi-Epiſcopum Hiſpalenſem emiſſa penitus tollere allaboravit. Severe etenim Pontifex iſte & ſub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis in locis ſacris tabacum ſive diſſectum per tubulos fumiferos, ſive in pulverem redactum naſo attrahere ullo modo impoſterum auderet. Diſquiritur hac occaſione de interpretatione extenſiva hujus Conſtitutionis, utrum videlicet ea æquali virtute ad omnes Eccleſias pertineat. Quamvis autem primo intuitu videri poſſet, quaſi id ipſum rigida concluſione affirmari debeat, cum idem honor ac reverentia omnibus locis ſacris debeatur; temperamentum tamen quoddam interponit Autor, ut prohibitio iſta reſpectu cæterarum Eccleſiarum uſum tabaci gregarium ac moleſtum, quatenus per tubulos efumari ſolet, abſolute coerceat; neutiquam vero ejus uſurpationem urbanam & innoxiam, quæ per narium attractionem fieri poteſt. Subjiciuntur dehinc variæ quæſtiones de uſu & abuſu tabaci, & has inter nonnullæ morales, an v. g. uſus tabaci ſolvat jejunium &c. quarum perlu-

perluſtrationem penitiorem literatis herbæ Nicotianæ fautoribus commendare maluimus.

PARERE DEL SIGNOR LIONARDO DI CAPOA, diviſato in otto Ragionamenti, &c.

i. e.

Leonhardi Capuani Cogitata, in octo Diſcurſibus prolata, in quibus, dum origo & progreſſus Medicinæ diſtincte enarrantur, incertitudo ſimul ejusdem perſpicue detegitur.

Editio ſecunda.

Neapoli, apud Jacobum Raillard, 1689. in 4.

Conſtant plagulis 56.

QUod *Clariſſimus Autor*, cujus *Lectiones de Mephitium natura* Anno 1686. p. 367. recenſuimus, ſua de medicina cogitata in chartam primum conjecerit, amicorum poſtea ſuaſu divulgata, occaſionem laudandum Vice-Regis Neapolitani dedit mandatum, quo hic ſtatim ac ſiniſtros ægrorum nonnullorum eventus chymicis attribui medicamentis intelligeret, ſolertem a Medicis tanti mali medelam, certamque, ſi opus videretur, ac ſolidam Praxeos Medicæ normam exigebat. Noſter namque, ut promtum in re tam ardua obſequium teſtificaretur, duo hic tradere conſtituit: primo Medicinæ, tanquam incertæ & inconſtantis, leges ſtabiles non a Medicis, nedum a Principibus & Magiſtratibus, poſſe condi; dein vero, quomodo quis, quantum artis conditio permittit, in Medicum bonum & Chymicum meliorem evadere debeat. De illo in ſex prioribus Diſcurſibus, de hoc autem in duobus ultimis ſollicitus eſt; quibus tamen tres diſcurſus de medicamentorum incertitudine, ſeorſim a nobis luſtrandos, in nova hac editione adjecit, a priori alias itidem Neapoli A. 1681. impreſſa vix diſcrepante, niſi quod, teſte *Thoma Donzelli*, multa nunc loca Græca lectoris in gratiam omiſſa, in locum vero obſcurarum vocum idiomatis Florentini notiores aliæ ſubſtitutæ fuerint. Nempe *Diſcurſu I.* poſtquam in Ægyptios, Athenienſes & Romanos animadvertit, quod certas medicinæ leges præſcripſiſſent, omnem ipſorum quoque medicorum conatum in ſtabiliendis medicinæ legibus irritum eſſe, e multiplici hujus mutatione,

tione, ab initio ad noſtra tempora usque facta, demonſtrat. Æſculapium enim, inventorem aut antiquiſſimum ſaltem medicinæ ſcriptorem, in multis regulis conſignatis mox a ſe ipſo, juxta Hippocratem in Epiſtola ad Democritum, non modo diſſenſiſſe, ſed & oleum atque operam omnes perdere, quotquot ſecundum ejusmodi regulas artem medicam exercere vellent, quia limites medicinæ, prout fuſius deducit, poſt tempora Æſculapii multum ultra paucarum herbarum notitiam protenſi fuerint, ac Medici ſucceſſive in ſectas varias, rationalem, empiricam, pneumaticam, methodicam, ſpagyricam &c. diverſarum rurſus partium ſub magiſtris diverſis ſeceſſerint, noſtroque imprimis ſeculo Anatomici & Chymici egregia incrementa medicinæ adjecerint. Singularem quippe primorum medicinæ reſtauratorum ſcientiam e nomine, quod magnum habuerunt, metiendam eſſe minime, cum prima medicinæ opera, licet minus polita, apud ſimplicem tamen & creſcentem mundum admirationem tanto majorem parere potuerint, quo magis partim inſignes medicorum illorum errores una cum mortuis humo tegerentur, & unice auxilium eorum, etiamſi leve, in reconvaleſcentibus in ſenſus incurreret, partim medici iidem, æque ac noſtratium multi, variis emergendi artificiis, v. g. in morborum demum decremento conſilia ſuppeditando, item ænigmatibus, incantationibus, oraculis, auguriis ſimilibusque ſuperſtitionum generibus, quibus medicamina quoque colligebant, callide ſatis uterentur. Aſt Eclecticis nullam ſectam amplectentibus, ſed naturam libere indagantibus, alterique aliquid non credentibus, niſi quatenus propriis illud ſenſibus & certiſſima experientia comprobari queat, *Diſcurſu II.* argumenta, quibus libertas ejusmodi ipſis vindicetur, conquirit. Primo ipſum hominem facie erecta ideo incedentem ac generoſis ſpiritibus exornatum ſiſtit, ut ipſemet tot tamque miranda univerſi phænomena obſervare ac rimari poſſet, nulloque modo tempus in anteceſſorum commentis tantum legendis & relegendis conſumeret, ceu quod Pythagoræ jamdum, Antiſtheni, Galeno aliisque Græcorum philoſophis & medicis celebribus inviſum fuerit. Mox perpendere jubet, quam multa recentiores falſa demonſtraverint, veteribus vera viſa, multaque itidem hiſce plane incognita in lucem protraxerint, veteris medicinæ rationalis fundamenta oppido evertentia. Hinc modernis idem jus convenire urget, quod veteres v. g. Plato, Ariſtoteles, Xenocrates, Zeno,

Ariſtippus, Euclides, Epicurus &c. in novis erigendis ſcholis ſibi arrogarunt. Tum commoda extollit, quæ noſtro ſeculo ex veterum veſtigiis derelictis in philoſophiam & medicinam non minus, ac in artem pictoriam & poeticam, tam quoad errores & fabulas veterum evitandas, quam nova invenienda, redundarunt. Porro optimum ſolummodo ex Autoribus, ſive veteribus, ſive modernis, ſeligendum nulliusque ſententiæ tenaciter inhærendum eſſe, niſi in quantum ea cum ratione & experientia concordet, multis excellentium philoſophorum & theologorum teſtimoniis confirmat, idque tanto ſtrictius ad exemplum Hippocratis, Dioclis, Praxagoræ, Herophili, Galeni, Baſilii Valentini, Paracelſi, Quercetani, Helmontii, Sylvii aliorumque a medicis obſervandum, quo cum præſentaneo magis ægrorum interitu errores magiſtrorum pertinaciter defendi ſoleant. Multos denique famigeratiſſimos Galeni aſſeclas in ſcenam producit, Galenum ac Hippocratem omnino deferendum eſſe, ubi veritas dictitet, expreſſe ſuadentes, aliis reipſa quoque idem atteſtantibus. *Diſcurſu III.* ad medicinæ incertitudinem rediens, pro hac penitus evincenda tum cauſas ejus, tum & ſingularum medicinæ ſectarum defectus, aperire ſuſtinet. Scilicet, quod medici, v. g. Galenici, non ſecus ac philoſophi Ariſtotelici, multas vel inter ſe lites acriter foveant, ac utraque pars ad rationem, experientiam & Galenum ſtrenue provocet, non tam ipſis medicis, quam titubantibus medicinæ fulcris, ſive rationi & experientiæ dubiis, imputandum eſſe. Senſus ſiquidem, quibus omnis a nobis notitia comparari debeat, licet in ſe non fallant, nec judicium etiam præcipitetur, intellectui tamen, qui ſolus judicat, aberrandi anſam præbere facillime, quatenus non in omnia corpora, nec in ſingulas horum particulas, ob exilitatem aliudve impedimentum penetrant, aut certe non aliud in corporibus, quam impreſſiones ab his receptas, comprehendunt, quarum nihilominus cauſæ poſſint eſſe diverſæ. Idcirco parciſſimas rerum naturalium, & non niſi earum, quæ ab una cauſa dependent, v. g. omne illud, quod organa ſenſuum afficit, corpus eſſe, omne corpus in partes dimenſionibus præditas dividi poſſe, corpora ſolum ratione magnitudinis, figuræ, motus; in partes diviſionis actualis vel potentialis, harumque ſitus & ordinis, inter ſe differre, &c. haberi demonſtrationes, nimis tamen generales adeoque inſufficientes, quæ in veram ſpecialium cauſarum cognitionem deducant. Similiter in medicina ſtructuram

exactam integrantium corporis humani partium, ſive ſolidarum, ſive fluidarum, item alimentorum, & medicamentorum, conſequenter & uſum, deliteſcere, cum fallacibus ſolum conjecturis, neutiquam microſcopii aut chymiæ adminiculo minimorum conſtitutivorum magnitudinem, figuram, ſitum & motum aſſequi liceat, ac recentiorum præſtantiſſimi poſt multos exantlatos labores vix aliud, quam veterum errores, patefecerint. Nec circa prognoſin medicam inſtituendam omnes cauſas illam variantes plane conſtare; multo minus, juxta ipſum Galenum, in praxi medica certo exercenda cujuslibet ægri idioſyncraſiam innoteſcere. Experientiam autem, ceu eorum memoriam, quæ ſæpe obſervata fuerunt, quod concernit, & hanc fallacem occurrere atque vanam, dum hactenus ne unicæ quæſtioni decidendæ ſuffecerit, ac nemo certo affirmare poſſit, ea, quæ ſæpe evenerunt, impoſterum eadem quoque ratione accidere debere, diverſas ob circumſtantias eandem cauſam determinare valentes, ut effectum eundem non ſemper producat. Atque cauſis his medicinæ incertæ expoſitis, ſpecialius porro ipſas medicinæ ſectas, empiricam, methodicam & rationalem empirica antiquiorem, in multis docet deficere, e rationalibus medicis Sinenſium, Ægyptiorum, Phænicum, Thracum, Aſſyriorum, Arabum & Græcorum medicinam diſtinctius examinans. Græcorum autem cum plures dentur, quam ut una vice omnes cenſeri valuerint, *Diſcurſu IV.* in Erodico, Euriphonte ac præcipue Hippocrate convellendis unice verſatur; quemadmodum *Diſcurſu V.* in Dioclem, Praxagoram, Pliſtonicum, Herophilum, Menecratem, Neſiteum, Eriſiſtratum, Petronam, Athenæum reliquosque ſectæ pneumaticæ Autores, item Aſclepiadem, Antonium Muſam, Cliniam Maſſilienſem, Carmidem, & Galenum, cenſoriam virgulam ſtringit. Neque *Diſcurſu VI.* recentiores, v. g. Baſilium Valentinum, Paracelſum, Campanellam, Roderic. Caſtellum, Helmontium, Petr. Joh. Fabrum, Olivam Sambuco, Williſium, Sylvium, &c. parcit excutere, ut demum e momentaneis de medicina edictis, diverſis & ſæpe contrariis medicandi rationibus, hypotheſibus medicorum diſcrepantibus nunquam conciliandis, infirmis medicinæ fundamentis, ac ipſorum medicorum invidia, malitia & fraudibus, quibus famam aucupantur, medicinam vix in ordinem cogi poſſe, colligat. Nihilominus, quo inſimul pateſcat, quamnam viam medicus artem cum ſucceſſu facturus debeat ingredi, *Diſ-*

curſ.

curſ. VII, omnia ea, quæ ad medicinam rite comparandam faciunt, edocet. Præter naturam enim, mores laudandos, locum ſtudiis aptum, inſtitutionem a pueris, induſtriam & tempus, quæ *Hippocratis* Lex requirit, a medico futuro linguas, Græcam, Latinam, Arabicam & Germanicam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, Hiſtoriam, Philoſophiam naturalem & moralem, Anatomiam, Botanicam, Chymiam &c. addiſcendas, Autores cujusvis ſectæ ſedulo evolvendos, ac peregrinationes denique ſuſcipiendas eſſe inculcat. Speciatim modum, quo chimia naturæ perveſtigandæ cumprimis neceſſaria excoli, & quinam medicinæ Profeſſores conſtitui debeant, indigitat, quamvis eum, qui cunctis præmemoratis requiſitis animum expolivit, nondum medicinæ faſtigium aſcendiſſe ultro fateatur, utpote in tota Europa vix unum medicum reperiri ab Helmontio perſuaſus, eo quod hic ipſe, qui ſuo forſan tempore ſolus titulo medici jure ſuperbierat, in multis aberraverit, nec a ſe pleuritidem depellere valuerit, in cujus tamen natura & remediis deſcribendis plus rationis, quam ante eum medicorum ullus adhibuiſſet. Tandem *Diſcurſ. IIX.* quemadmodum inter ornamenta Neapolis refert, quod viros libere philoſophantes ſemper vel produxerit, vel aluerit, e. g. Teleſium, Campanellam, Portam, Stiliolam, ac præter alios, Academiæ Inveſtigantium membra; ita ex principum philoſophiæ, Ariſtotelis, Platonis, Zenonis & Epicuri, erroribus libertatem philoſophorum ſtabilire annititur. In medicorum autem adhuc gratiam, non prius hiſce medicinam faciendi licentiam concedendam aut Doctoris gradum conferendum eſſe, quam in noſocomio quodam morbos, medendi methodum, ac remediorum effectus aliquamdiu obſervarint, hincque rigoroſum examen ſuſtinuerint, empiricis vulgaribus plane repudiatis, annotat, Pharmacopæi experti conditiones ſub calcem enumerans.

RAGIONAMENTI DEL SIGNOR LIONARDO di Capoa intorno alla incertezza de' Medicamenti.

i. e.

Leonhardi Capuani de Medicamentorum incertitudine Diſcurſus.

Neapoli, apud Jacobum Raillard. 1689. in 4. pl. 14½.

CUm medicina, quæ incerta hactenus oſtenſa fuit, ob medicamentorum potiſſimum efficaciam, a medicis ad unum fere omnibus quoad cætera ſatis diſſentientibus tantopere commendatam, in pretio ſoleat haberi, Autor noſter in præſenti & hunc errorem inveteratum eradicare, eamque medicinæ partem, quæ de medicamentis agit, non minoris incertitudinis, ac reliquas, *triplici argumento* convincere nititur. *Primum* enim *vires medicamentorum cognoſcendi non certam viam haberi*, ſive philoſophiæ veræ, ſive qualitatibus primis, ſive ſignaturis denique inſiſtatur, *Diſcurſu I.* aſſerit. Accuratioris videlicet philoſophiæ hoc in negotio inſufficientiam ex ſenſibus, quod hi in remediis explorandis tum in ſe, tum ratione objectorum ſenſibilium deficiant, patefacit. Multa ſiquidem virulenta, v. g. fungos ac radices nonnullas a Theophraſto memoratas, plano arridere, vice verſa multa ſalutaria, e. g. abſinthium, centaurium minus, &c. minus ſenſibus approbari. Plura itidem ſapore, v. g. amaro, aloen, colocynthidem, myrrham, maſtichen, &c, dulci, jujubas, poma dulcia, caſſiam, mannam, &c, acido, aurantia, limones, tamarindos, tartarum &c. conſpirare, virtute neutiquam; plura e contrario, e. g. carlinam & gentianam, mandragoram & papaver &c. ſapore, non viribus diſcrepare. Imprimis corpora a ſenſibus cognoſci, non qualia in ſe ſint, ſed tantum quales impreſſiones, easque ratione particularum figura, magnitudine, motu & ſitu variantium diverſas, in ſenſoriis concitent, quarum tamen medio differentia recenſitarum materiæ affectionum diſtincte minime, conſequenter nec facultas medicamentoſa ab iisdem exſurgens, pateſcat. Speciatim neque ſaporis, neque odoris, neque tactus, neque viſus adjumento ſpecialem magnitudinem, figuram, motum & ſitum earum particularum diſcerni poſſe, quæ ſenſuum illorum objecta conſtituunt, viresque medicinales in animalium corpora edunt, pluribus declarat. Sic ex organi guſtus ac odoratus textura hujusque porulorum magnitudine & figura incognitis, ex ignorantia cauſæ quemlibet ſaporem & odorem diverſimode rurſus ſpecificantis, aut ſaporem etiam brevi tempore in alium mutantis, ex aliarum demum particularum cum ſapidis ſive ſalinis & odoriferis ſive ſulphureis conſortio, & ſaporis, & odoris hac ex parte impotentiam detegit. Tantum vero ad propoſitum facere pernegat, quia natura corporum fluidorum & ſolidorum, cauſaque doloris ac nauſeæ generalius tantum & confuſe innoteſcant, ac multa ad tactum calida vel frigida contrariam in corpore

noſtro,

noſtro ſenſationem producant, nedum tactus omnes objectorum particulas conſtitutivas dignoſcat, atque leniores multarum rerum impreſſiones v. g. continuas aeris quieti concuſſiones, liquorum quorundam acrimoniam, &c. dijudicet. Viſum denique in rimanda medicaminum natura ineptitudinis non ſolum ex eo arguit, quod plura corpuſcula dentur ſubtiliſſima nullo artificio detegenda, corporumque ſuperficies revera aliter ſe habeat, quam qualis microſcopio luſtratur, ſed & quod ſuperficies corporum viſui expoſita in certam ipſarum particularum conſtitutivarum notitiam nullatenus deducat, in quantum mutari ea poſſit, e. g. in coralliis, ſuccino &c. pulveriſatis, ſalva ipſorum corporum natura perſiſtente, multaque natura diverſiſſima, v. g. nix, ſaccharum, calx viva, mercurius ſublimatus &c. in ſuperficie e. g. albedine, conveniant. Cur autem in naturam rerum penetrare ſenſibus haud liceat, rationem ab ipſis corporibus unice externa ſui ſuperficie ſenſus ferientibus, omnemque inſimul Chymiæ operam eludentibus, deſumit, In ſolutionibus quippe Chymicis interiorem corporum ſtructuram minus aperiri, ex inſtrumentis ac operationibus ſuſpectis, nec non ſubſtantiarum quinque e corporibus productarum compoſitione, oſtendit, dubius adhuc, annon inter diſſolutionem corporum ſubtilior magisque activa ſubſtantia in auras abeat? vel, ſi principia chymica ſimpliciſſima ponantur, quonam ſenſu primæ particularum earum affectiones comprehendi debeant, & annon activæ aliæ eſſe poſſint ſenſibus plane incognitæ? prout in ipſis corporibus compoſitis, v. g. croco metallorum, vitro & floribus antimonii &c. particularum activarum figuræ nullo percipi ſenſu valent; item annon ipſa materia fluidiſſima, corporum quæ poros replet ac imaginationem tranſcendit, ad effectus eorum corporum, quibus ineſt, producendos concurrat? Quinimo etiamſi particulæ corporum ſenſus afficientium ſimplices, i. e. ex aliis minoribus non compoſitæ, ac figura & motu ejusmodi præditæ, quales ex impreſſionibus conjiciuntur, absque aliorum corpuſculorum inſenſibilium connubio, ſupponantur, ne ſic quidem omnium affectuum ab iis promanantium, rationem ſolidam dari poſſe, v.g. quomodo ab alcalibus nonnullis æque ac ab acido lac coaguletur, quomodo acidorum quædam alcalibus ſociata calorem excitent & mox acorem perdant, quomodo mercurius fugitivus in cinnabari & ſublimato ab acido ſulphuris & vitrioli retineatur, &c. Aſt ſi philoſophia elegantior in accuratiori remediorum ſcrutinio adeo parum valet, certe

inferius longe ſubſidium a qualitatibus primis & ſignaturis in eodem expectandum eſſe porro inculcat. Primis namque qualitatibus medicamentorum operationes non unice cum Veteribus debere adſignari, nec eaſdem qualitates e ſaporibus cum Galeno certo elici poſſe, partim vel ex ipſo Galeno, interdum ad ſubſtantiam propriam, ad ſimilitudinem, ad tenuitatem & craſſitiem partium &c. confugiente, ſæpiusque a propriis de ſaporibus datis regulis recedente, partim exemplo acrimoniæ non modo in concretis calidis, v. g. pipere, zingibere &c. ſed & frigidis, e. g. liquoribus acidis, reperiundæ, præter alios Galeni errores, circa dulcedinis geneſin & ſaporum temperiem commiſſos, demonſtrat. Signaturas autem in viribus præcipue vegetabilium indagandis ab Iſaaco Hollando, Baſilio Valentino, Paracelſo, Crollio, Porta & Helvetio laudatas, tanquam per accidens ſolum & fortuito illius membri morbo, cujus figuram quodammodo exprimunt, medentium prorſus repudiat, cum ſignaturæ tali virtus non ſemper reſpondeat, v.g. papaver capiti hominis, quod repræſentat, potius adverſetur, multo minus certa ſignatura in medicamentis innumeris ulla deſignari phantaſia poſſit. Attamen quia pro remediorum effectibus certo cognoſcendis, non de horum tantum, ſed de partium quoque animalium, in quas illa operantur, natura conſtare debeat, quatenus pharmaca in animalia ſolum viventia vires exſerunt, varieque ab his aſſumpta mutari ſolent, ita ut v. g. ſpiritus vitrioli per os hauſtus diverſum ab eo effectum præſtet, qui cuti applicatur vel in venas injicitur; idcirco quamvis certa ſupponeretur via, qua medicaminum natura & vires innoteſcerent, attamen *medicamentorum operationibus nondum tutam haberi fidem poſſe, quod partium animalium natura deliteſcat, Diſcurſu II.* edocet. Scilicet anima brutorum, ſive in ſola partium corporis diſpoſitione, ſive in ſanguine, ſive in aura ſubtiliſſima, vel in certa corporis parte reſidente, vel per omnes partes diffuſa, dicatur conſiſtere, ante omnia, an mirandæ tales corporis diſpoſitiones, vel particulæ ſanguinem auramve ſubtilem conſtituentes probe teneantur, & quomodo e rebus naturalibus ſenſu deſtitutis ſubſtantia ſenſitiva reſultare poſſit, aut ſaltem, ſi cum Carteſio anima & ſenſus brutis denegentur, quomodo machinæ ejusmodi prodigioſæ efformatæ fuerint, ambigit. Hinc nec partium corporis ſolidarum & fluidarum, ſub quibus & impetum facientes vult comprehenſas, veram naturam ſatis perſpectam haberi ſtatuminat, quod ſubtiliſſimæ earum particulæ ſumme activæ pariter

riter atque ſuccini & magnetis omnem rationem ac ſenſum fugiant, prorſusque conſtitutiva rerum naturalium corpuſcula lateant, meræque conjecturæ videantur, quæ de magnitudine, figura, ſitu, modu & ordine nonnullorum confuſe proponuntur. Id quod ut ſpecialius comprobet, ventriculum ejusque fermentum, chylum, ſuccum pancreaticum, bilem, (in avibus non tantum ventriculo, ſed ingluviei etiam per exilem tubulum inſtillari ſolitam,) ſanguinem, lienem & hepar, attentius perluſtrat, harumque partium ſtructuram, modo etiamnum abſconditam, modo inconſtantem ſæpiusque in eodem individuo variantem, modo actiones, v. g. chylificationem, ſanguificationem, bilificationem &c. vel falſo expoſitas fuiſſe, vel probabiliter ſolum fermentis in ſubſidium vocatis evolvi poſſe, quorum chylificans in glandulis ventriculi, ſanguificans in arteriarum tunica glanduloſa, bilificans vero in glandulis per hepatis tunicam diſperſis ſecernatur, fuſe indigitat, inde & rationem earum mutationum, quas medicamenta recenſitis aliisque in partibus ſubire debent, abſtruſam eſſe colligens. *Tertio* denique *licet cum medicamentorum, tum partium animalium natura perſpecta eſſet, quod tamen impoſſibile, nihilominus ne ſic quidem pro explorato haberi poſſe, quomodo medicamenta interne in animalium corpora operentur*, e duplici, ſtatus videlicet individualis atque morborum, oſtendit ignorantia. Etenim ſtatum cujuslibet individui etiam ſani omni fere momento, tam ratione particularum, quæ vi ſanguinis fermentantis in tranſpiratione exhalant, quam earum intuitu, quæ ex alimentis diverſis atque aere diſcrepante in locum illarum ſuccedunt, inſigniter mutari, conſequenter vix nõſci poſſe, quo in ſtatu corpus tum degat, quando medicamina ipſi propinanda veniunt. Morborum vero naturam & cauſas, internas non minus atque externas, profundis immerſas eſſe tenebris; cum nec ſanitatis ratio, & e qua materia ac quomodo particulæ animalium corpus compingentes ſint diſpoſitæ, conſtet, nec præter ea, quæ ad corpus pertinent, accurate ſciatur, in quo partes animalium morbidæ præciſe tum deficiant, ac quænam illæ ſint ſubſtantiæ omnes, quæ a tot diverſis corporibus aeri, terræ, & aquæ inexiſtentibus continuo animalibus ſubminiſtrari ſolent. In ſpecie ad digeſtionem læſam, tantum non omnium morborum originem, quod attinet, fatetur quidem eam nunc a fermento digeſtivo vitiato, nunc a viis, per quas fermentum prædictum ad ventriculi cavitatem defertur, male conſtitutis, nunc a mucilagine ventriculi vel ſaliva, ob acrimoniam, aut

aciditatem, aut tenacitatem nimiam aliamve rationem, fermentum digeſtivum pervertente, nunc a ſola ciborum qualitate fermento eidem, ſæpius in uno eodemque individuo varianti, minus proportionata &c. proficiſci. Quantum vero & quomodo fermentum digeſtivum a ſtatu naturali recedat, num per particularum alterius corporis admixtionem, an per propriarum variationem; quo adminiculo viarum illarum cauſæ vel anguſtantes, vel dilatantes, aliave ratione eas turbantes, inveſtigari debeant; qua demonſtratione ſpecialis depravationum cunctarum mucilaginis aut ſalivæ notitia acquiri poſſit; quomodo & in quas ſubſtantias alimenta fermento digeſtivo inadæquata degenerent; adeoque quomodo appropriata remedia exploranda ſint digeſtionis læſionem reſtituentia, oppido incognitis accenſet. Solam demum e dictis experientiam ſupereſſe, quæ in medicamentorum notitiam poſſit ducere, infert, fallacem tamen & mere fortuitam, quia partium corporis ſolidarum & fluidarum diſpoſitiones non ſolum tunc, quando medicina quædam præſentanea aſſumitur, ſed & quando operari ea incipit, una cum ipſa partium eorum corporum diſpoſitione, in quibus eadem ſemel atque iterum profuit, neſciantur. Tandem quo argumento ultimo majus accedat pondus, *Diſcurſu III.* ſummam ipſorum medicamentorum uſualium incertitudinem, purgantium exemplo, utpote quæ aliis remediis fidem videantur conciliaſſe, ventrem tamen non ſemper ſolvunt, coarguit. Prælibatis ſiquidem iis, quæ purgantium inventionem, inventorem, uſitatiora ſimplicia, differentiam, cauſæque catharticorum & emeticorum identitatem ſpectant, diverſos purgantium effectus, tam e modo horum operandi obſcuro, quam ex infidis ſimplicium præparationibus præparatorumque ineptis compoſitionibus, perquam reddit incertos. Equidem ad purgantium effectum explanandum, quem partim humores in primis viis & vaſis ſanguiferis atque lymphaticis ſolvendo & plus minus fermentando, partim vaſa aperiendo, ſoleant exſerere, non attractionem cum Hippocrate, nec acrimoniam, calorem & nauſeabundam qualitatem cum Platero, neque cum Laur. Juberto inimicitiam, neque ſingulare venenum laxativum ſulphureum cum Paracelſo, neque acidum, amarum vel ſalſum cum aliis, ſed peculiare potius ſal volatile plus minus acutum & anguloſum attendi debere ſtatuit, ab aliis videlicet ſalibus volatilibus in hoc diſcrepans, quod a corpuſculorum reliquorum, præſertim ſulphureorum, conſortio propter particularum exilitatem & inæqua-

qualitatem ſeparari, cum ſanguinis vero & aliorum humorum minimis combinari nequeat. Mox tamen ſubjungit, & hanc hypotheſin, æque ac aliam quamcunque, univerſalem tantum, confuſam & incertam eſſe, minusque quæſtioni enodandæ, cur purgantia nonnunquam blandius, nonnunquam vehementius, interdum plane non operentur, ſatisfacere, imprimis cum particulæ diverſæ purgantibus admixtæ mutationesque eorum in corporibus ſuſtinendæ quemlibet fugiant; adeoque nec niſi fortuito quantitatem purgantium aſſumendorum determinari poſſe pro ſubjectorum diverſitate omnino variantem, quemadmodum Jeſuitarum nonnemo Noſtro notus fere quotidie integram ſcammonii drachmam pro fæcibus egerendis devorat. Præparationibus autem, quas diverſas recenſet, purgantium ſimplicium, v. g. hellebori albi, hellebori nigri, colocynthidis, ſcammonii, euphorbii &c. parum habet fidei; ne mitioribus quidem quacunque ratione præparatis, e. g. ſenna, manna, roſis, aloe &c. neque mineralibus, v. g. Mercurialibus, antimonialibus, vitriolicis &c. in quibus ſal volatile purgans ab acidis liberatum & activum redditum fuit, exceptis; quod cuncta ejusmodi præparata vel omnem expectationem plane fallant, vel ſymptomata etiam peſſima, v.g. dolores, ſpaſmos, &c. inferant, de venenoſa eorum qualitate adhuc ſuperſtite ſatis atteſtantia. Purgantia denique aut inter ſe, aut cum aliis, corrigentibus dictis, absq; ulla ratione miſceri, ſpeciali Quercetani, celebris illius vulgarium compoſitionum reformatoris, Extracti Cholagogi & Catholici examine comprobare nititur.

TRAITE' PACIFIQUE DU POUVOIR DE L Egliſe & des Princes, ſur les empeſchemens du mariage, &c. i. e.

Tractatus pacificus de Poteſtate Eccleſiæ & Principum circa impedimenta conjugii, & de iis, quæ hodie quoad illa in foro obſervantur. Autore Joh. Gerbais, Doctore Sorbonico, & Regii Collegii Profeſſore.

Lutetiæ apud Claudium Mazuel, 1690. in 4to. plag. 70.

QUo frequentior eſt & utilior in orbe terrarum *Conjugiorum* uſus, tanto major quoque eſt eorundem abuſus, cum optima quæque

per malitiam hominum peſſime & creberrime corrumpi ſoleant: itaque in contrahendis, colendis & dirimendis illis varie peccatur, nec ulla facile materia eſt, quæ plures lites pariat & magiſtratus ſæpius fatiget. Hi quoque inter ſe de legibus & jurisdictione circa matrimonia diſcordant, etiam illi, qui eandem religionem profitentur: nam & Hierarchia Romana non usquequaque obſequentes habet Reges & Principes, quin etiam hi in cauſis matrimonialibus cognoſcendi poteſtatem ſibi vindicent, nec omne circa eas arbitrium Clero aut Curiæ Romanæ deferant. Autor hic clariſſimus, cujus Diſſertationem de Cauſis Majoribus ad Caput Concordatorum de Cauſis A. 1685. editum, Supplementorum horum Sectione II. pag. 57. recenſuimus, mediam in hac lite viam quærit, incertum, an cum utriusque partis approbatione. Regiæ quidem non diſplicuiſſe inſtitutum ejus; ex teſtimoniis libro præmiſſis apparet. Advocatus enim Parlamenti veteranus *Yſſalius*, juſſu Cancellarii Galliæ Boucheratii (cui tractatus hic dedicatus eſt) magnis laudibus librum proſequitur, nec diſſentiunt Theologi duo Pariſienſes *Roullandus* & *L. Ellies du Pin*. Status quæſtionis ſic formatur ab Autore. Quoniam ex traditis *Thomæ Aquinatis*, matrimonium triplicem ad finem, nempe *primo* ad bonum Naturæ, *deinde* Reipublicæ, & *denique* Eccleſiæ, ordinatum eſt, & inde triplices leges regulasque admittit, diſquirendum eſſe ait: *Num ſoli Principes, an ſoli Judices Eccleſiaſtici, vel etiam utrique de impedimentis conjugiorum ſtatuere & cognoſcere poſſint?* Principibus ſive Magiſtratui civili jurisdictionem illam ſimpliciter tribui dicit Autor ab Hæreticis non ſolum, quos vocat, ſed & ab autore Catholico, quem Parte prima Tractatus ſui refutat, ſed non nominat; qui tamen hud dubie eſt *Joh. Launoius*, autor Tractatus de Regia in Matrimonium poteſtate, Pariſiis A. 1674. editi: eſſe alios, qui id jus ſoli Eccleſiæ, excluſis penitus Principibus aſſignent, ex quibus ſpecialiter refutandum ſibi Parte ſecunda deligit Autor *Galeſium*, Epiſcopum Italum, qui librum *Launoii* oppugnavit, & cui a Launoio quoq; jam A. 1677. reſponſum eſt: Tertiam ipſe ſententiam, qua tam Eccleſiæ, quam Principibus cognitio cauſarum matrimonialium attribuitur, tuendam ſuſcipit, inter ejus patronos plurimum laudans & ſequens celebrem ſuperiori ſeculo Theologum Hiſpanum *Petrum a Soto*. Secundum triplices has opiniones, Tractatum ſuum in *tres libros* partitus eſt.

Primum

Primum orditur a propoſitione, quod Eccleſia ſit in poſſeſſione cognoſcendi de diremtione matrimoniorum. Id notorium eſſe ait ex inſpectione decretorum juris Pontificii & Concilii Tridentini; & exemplis Regum, qui etiamnum vivunt, Galliæ & Luſitaniæ, quorum ille conſobrinam, hic fratris conjugem, non niſi impetrata Romæ diſpenſatione in thorum adſcivit. Hoc vero jus Eccleſiæ negat iniquum, aut Principibus a Pontificibus aut Epiſcopis per vim aut fraudem ereptum eſſe; nihil enim horum probari poſſe. Refellit Adverſarii dicta, quod Pontifices jurisdictionem illam invaſerint, poſtquam conficta & ſuppoſita fuerint decreta aut epiſtolæ veterum Pontificum, & in *Corpus*, quod vocamus *Canonicum*, ſeculo undecimo ab *Yvone Carnutenſi* & *Gratiano* relata. Suppoſitionem quidem non inficiatur Autor, ſed dudum antea cognitionem illam ab Eccleſia uſurpatam eſſe contendit. Porro nec id concedit Adverſario, quod illa jurisdictio ex gratia & indulgentia Principum ad Judices Eccleſiaſticos pervenerit, cum nulla conſtitutio Imperatorum aut Regum allegari poſſit, quæ ejus rei mentionem faciat; ipſi vero Principes tribunal Eccleſiaſticum in his cauſis agnoverint, & lites coram ſe de iis motas ad Eccleſiam rejecerint. Hoc quidem indebite factum ab illis eſſe autumat, cum concurrentem minimum jurisdictionem exercere potuerint. His aliisque præmiſſis, pro jurisdictione Eccleſiaſtica Doctorum Catholicorum plurima teſtimonia adduci poſſe non dubitat, Adverſarium autem reprehendit, quod quosdam mala fide citaverit & dicta eorum depravaverit &c. Affert deinde rationes Theologicas, & Adverſarium nihil egiſſe dicit, quod ſtatuerit matrimonium eſſe *contractum civilem*: id enim & ipſe affirmat, ſed negat *tantum civilem* eſſe, cum etiam ſit *Sacramentum religionis Chriſtianæ.* Errare itaque cenſet Adverſarium, quod etiam tempore legis naturalis & Moyſaicæ matrimonium Sacramentum fuiſſe, & nihilominus ad tribunalia Principum delatum eſſe ſcripſerit. Nititur itaque tota Autoris argumentatio in præſuppoſito, quod Chriſtus matrimonium in ordinem Sacramentorum receperit vel reſtituerit, ejusque adminiſtrationem Eccleſiæ commiſerit, non excluſo tamen magiſtratu Politico. Explicat obiter dictum Thomæ *quæſt. quodlib. V. art. 15.* ubi *ſolum Pontificis autoritate definiri* tradit, quæ perſonæ matrimonium legitime contrahant: opponi enim a Thoma ait Pontificem non Principibus, ſed Epiſcopis,

Cap. 1.

Cap. 2.

Licet enim etiam hi vigilare in his cauſis debeant, præcipuam tamen
Cap. 3. earum curam Pontificibus ut vicariis Chriſti defert. Subjungit argumenta pro cognitione Eccleſiaſtica ex ſacris literis, trahitque huc dicta Chriſti Matth. XVI, 19. *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* & XIX,
Cap. 4. 6. *Quod Deus conjunxit &c.* item Pauli 1. Cor. VII, 10. 11. Idem aſſerit ex traditione, & eatenus admittit omnia teſtimonia & exempla, quibus Principum jurisdictionem Adverſarius adſtruxit, ipſe vero ea quoque producit & confirmat, quibus Pontificum jurisdictio in his cauſis per multa ſecula exercita probatur. Diviſit hoc caput in aliquot ſectiones. De tribus prioribus ſeculis fatetur, ſub tyrannide Ethnicorum minoris autoritatis & ſolennitatis fuiſſe judicia Eccleſiaſtica; non ambigit tamen, quin pii illius temporis Epiſcopi in conſervanda conjugiorum ſanctitate vigilaverint, ejusque curæ indicia ex Scriptoribus quibusdam illorum ſeculorum producit, quanquam nec Evariſti & Calixti epiſtolas pro genuinis habeat, nec Canones, qui vocantur Apoſtolici, ipſis adſcribat Apoſtolis. Urget interim, quod nemo ſcripta illa, utut ſuſpectæ antiquitatis, ex hoc capite impugnaverit, quod jurisdictionem matrimonialem Eccleſiæ attribuerint. In reliquis ſectionibus, per ſingula ſecula, ex decretis Conciliorum & Synodorum ſcriptisque Patrum teſtimonia colligit, & Adverſarii interpretamenta ſatis ſevere & operoſe aliquando refellit. Sectione ultima prolixe evincit, decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. XXIV. Can. 3. & 4.* aſſertam eſſe Eccleſiæ cognitionem in cauſis matrimonii. Statuitur enim: *ſi quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Cum vero Adverſarius objiciat, canonem hunc non ad dogmata, ſed ad diſciplinam pertinere, ideoque nationes, & inter has Gallicam, quæ reformationes Concilii in diſciplina non receperunt, per illum non obligari; dein per Eccleſiam non Clerum, ſed Principes deſignari cauſetur: iſtæc omnia cavillatoria & frivola eſſe judicat, & quindecim argumentationes Ad-
Cap. 5. verſarii ſingulatim examinat & deſtructum it. Succedit deductio, quomodo Principes ipſi jurisdictionem eccleſiaſticam in cauſis hiſce, & publicata Pontificum decreta, vel ſilentio approbaverint, vel expreſſe allegaverint, & ſuis edictis vel exemplis & obſequiis firmaverint. Reſpondet denique Autor ad objectiones tum Adverſarii, tum aliorum, & pro certo habet, matrimonium vere eſſe Sacramentum, & Pontificibus licuiſſe

cuiſſe plura impedimenta matrimonii legibus ſuis ſancire, quam quæ in Levitico reperiuntur.

Poſtquam hoc modo pro Eccleſia ſive Pontificibus laboravit, jam *parte ſecunda* contra Canoniſtas & Theologos quoſdam, inprimis *Galeſium* ſupra nominatum, Principibus quoque jurisdictionem & legislationem circa matrimonia vindicat. Oſtendit ante alia, quod naturali etiam ratione Principibus & Magiſtratibus jus competat impediendi matrimonia ſubditorum, cum contractus conjugii non naturalis ſolum ſit, ſed & reipublicæ ſive ſocietati civili accommodatus & ſubjectus, legibusque Magiſtratuum temperandus. Hoc Romanorum exemplo comprobat, ex quorum jure tot tituli de nuptiis, & quæ ad eas pertinent, in *Digeſtis* & *Codice* extent. Idem factum eſſe ait a *Gothis* orientalibus & occidentalibus, *Longobardis*, *Francis*, ipſis quoque *Turcis* aliisque Barbaris, & adhuc fieri, licet quædam ſtatuant cum jure naturæ & divino parum congruentia & eatenus repudianda, quæ tamen iis, quibus jus naturale in melius formatur & determinatur, nocere non debeant. Speciatim hic taxat *Galeſium* & alios, qui poteſtatem illam ferunt in Principibus Paganis, abjudicant autem Chriſtianis, putantque hos jus ſuum Eccleſiæ reſignaſſe. In contrarium affert exempla Imperatorum & Regum Chriſtianorum, & Doctorum autoritatem, nominatim allegans *Ambroſium*, *Auguſtinum*, Patres Concilii *Milevitani*, Pontifices *Siricium*, *Leonem*, *Gregorium*, quos Sanctos & Magnos vocant, *Zachariam*, *Nicolaum I. Alexandrum II.* Concilium *Lateranenſe I.* & *Triburienſe* aliaque nationalia; reſponſa denique Cleri Gallicani & Pariſienſium Theologorum de matrimonio *Gaſtonis Ducis Aurelian.* Regi data. Examinat porro & refellit rationes, quibus oppugnari ſolet Principum jurisdictio in cauſis matrimoniorum, ſolique Eccleſiæ tribui. Negat a Chriſto, licet Sacramenti formam conjugio dederit, jurisdictionem Principibus ademtam eſſe, quatenus nempe matrimonium inter contractus naturales & civiles refertur; ſicut nec denegari ea poſſit in Clericos, quatenus ſint homines & cives, licet ratione functionis ſuæ Eccleſiaſticæ a foro Principum exemti eſſe debeant. Multo minus concedit, quod Principes jurisdictionem hanc, ut Canoniſtæ quidam queſti ſunt, abſtulerint, aut id facere potuerint. Reprehendit hac occaſione Gregorii VII quos vocant *dictatus*, ſive aſſerta contra jus Principum, eaque ait *monſtra eſſe doctri-*

P. II. Cap. 1. Cap. 2. Cap. 3.

næ, cujus mater fuerit ambitio & nutrix adulatio. Reſpondet etiam ad oppoſita quædam ex Jure Canonico, v. gr. *C. Euphemium diſt. 2. Q. 3.* Id falſo attribui ait S. Gregorio Pontifici, & verba: *matrimonium hodie regitur jure poli, non jure fori*, ex gloſſa putat in textum irrepſiſſe, ideoque a correctoribus Romanis ſapienter expuncta eſſe. Concilii Tridentini *can. XII. ſeſſ. 24.* quo anathema dicitur iis, qui negant, cauſas matrimoniales ad Judices eccleſiaſticos pertinere, excludi negat concurrentem Principum jurisdictionem: neque *cap. 9. de reformatione matrimonii* Principibus aliud præſcribi concedit, quam ne homines vi cogant ad nuptias. Ad cenſuram libri Jeſuitæ *Rabardeau* Romæ in Tribunali Inquiſitorio publicatam, reſpondere ſe dicit ut Gallum cordatum (*en bon François*) & ut Theologum Pariſienſem, qui decreta Inquiſitionis non recipiat? alios quoque libri defectus cenſuræ cauſam dediſſe exiſtimat. Illuſtrem denique locum *Hincmari* Archiepiſcopi Remenſis, qui ſeculo nono vixit, ex reſponſione de divortio Lotharii Regis pro ſententia ſua affert his verbis: *Cuncti legentes agnoſcant, quia non ideo ſancti & Apoſtolici viri, ſucceſſores videlicet Apoſtolorum, ex eorum traditione leges ſtatuerunt, quas hic poſuimus, ut nemo Fidelium juxta divinam autoritatem initum diſſolvat conjugium ſine Epiſcopi ſui ſcientia, ut leges ſæculi Chriſtianas contemnamus, ac conculcare velimus; quas etiam in eccleſiaſticis neceſſitatibus promulgari, ſæpe ſoleat ab Imperatoribus & Regibus Eccleſia poſtulare; quarumque ſententiis in ſuis judiciis ſimul cum ſententiis Canonum Epiſcopalis autoritas frequentius utatur, in tantum acceptet, ut Damaſus, & Leo, & ſanctus Gregorius legum ſententias fecerint eſſe Canonicas, ſicut in eorum invenitur Epiſtolis &c.* Addit & alia Hincmari dicta, quibus jurisdictionem Regum & Principum generatim confirmat. Rejicit poſtea Autor etiam illos, qui Eccleſiam non privaſſe quidem penitus Principes jurisdictione iſta, exercitium tamen illius eis interdixiſſe contendunt.

P. III. Reſtabat, ut demonſtraret, quomodo conſiſtere utriusque poteſtatis jurisdictio in his cauſis poſſit: id quod *Libro Tertio* paucis
Cap. 1. exequitur. Diſtinguit nempe duplicem matrimonii reſpectum, ut nempe vel ſacramentum ſit, vel contractus naturalis & civilis: dein convenienti & mutua, conciliatione facile componi poſſe cenſet, ſi
Cap. 3. quæ oriatur colliſio. Fatetur tamen, quod Principes a longo tempore

pore, non ex ignorantia juris ſui, ſed pietate & reverentia erga Eccleſiam juriſdictione illa abſtinuerint, quanquam exacte demonſtrari non poſſit, quando id fieri cœperit. Probabiliter putat factum eſſe, regnante Carolo Magno, qui in cauſa divortii ſui a filia Regis Longobardorum, Pontificem judicem agnoverit, exemploque ſuo alios moverit. Notat hic, Reformatos Gallos, poſtquam Pontificiæ poteſtati ſeſe ſubtraxiſſent, diſpenſationes in cauſis matrimonialibus a Regibus petiiſſe: Reges vero etiam Bullam Pontificum Legatis ſuis ad diſpenſationes datas, poſt accuratum in Parlamento examen non parum reſtrinxiſſe, & excepiſſe omnia, quæ ad bona dotalia aliaque ejusmodi pertinent, relicta Legatis ſolum cognitione de vinculo ſacramentali; nec non edictis ſuis, quibus libertatem religionis Reformatis conceſſerunt, reſervaſſe, ut hi leges Eccleſiæ circa gradus prohibitos obſervarent, ita tamen, ut in caſibus, ubi reus Reformatæ religioni addictus eſſet, cognitio ad judices Regios, ſecus autem ad Eccleſiaſticos deferretur. Addit alia, & inter ea edictum *Ludovici XIV*, quo anno 1680 matrimonia Catholicorum cum Reformatis vetuit. Generatim poſthæc monet, Principibus præjudicare non poſſe, quod longo tempore juriſdictionem neglexerint, neque ab Eccleſia præſcriptionem iis opponi poſſe; quanquam non neget, circumſpecte in reſtitutione illius procedendum eſſe. Laudat inde *M. Antonii de Dominis*, hæretici licet, ut ait, & hoſtis Eccleſiæ, moderatam hac in re ſententiam ex Lib. III. de Rep. Eccleſ. cap. XI. n. 80. Cap. 3. Cap. 4.

Hucusque contenta Tractatus retulimus, in quo juriſdictionem circa cauſas matrimoniales tam Regibus, quam Eccleſiæ, diverſo reſpectu & modo competere ſtatuit Autor. Sequitur ultima pars operis, in qua agitur de *impedimentis conjugiorum*, tam *dirimentibus*, quam *prohibitivis*. Prioribus enim nulla & invalida fiunt matrimonia; in poſterioribus, ratione vinculi ſubſiſtunt, ſed contrahentes puniuntur. Enumerat & examinat cauſas dirimentes ſive nullitatis (ſecundum tradita Eccleſiæ Romanæ) *quatuordecim* fere, quæ ſunt (1.) error circa perſonam. (2.) error circa ſtatum ſive conditionem, ſervilem nempe vel ingenuam. (3.) votum caſtitatis ſolenne. (4.) propinquitas gradus. (5.) crimen adulterii, & homicidii in conjugem patrati, certis caſibus. (6.) diverſitas religionis. (7.) vis & coactio. (8.) Ordo ſacer. (9.) matrimonium prius contractum & durans. (10.) reſpectus honeſta-

neſtatis publicæ. (11.) affinitas. (12.) impotentia. Hæ cauſæ ante Concilium Tridentinum valuerunt, cujus decretis acceſſit (13.) clandeſtinitas, & (14.) raptus. Fatetur tamen circa cauſam tertiam, matrimonia a Religioſis ſeu Monachis contracta, ante *Alexandri III.* tempora illicita quidem, ſed nulla & invalida non fuiſſe; illius tamen Papæ ſententiam in Concilio Tridentino probatam fuiſſe, ſalvo jure diſpenſandi Pontificibus reſervato. Agnoſcit, Eccleſiam Græcam in gradibus circa matrimonium adhuc ſequi Conſtitutiones juris civilis. Conſiderat etiam decreta quædam Tridentina de diſpenſatione in gradibus, & quid hodie uſu obtineat, monetque diſpenſationes gratuitas eſſe debere. Ob diverſitatem religionis matrimonia in Veteri Teſtamento prohibita quidem fuiſſe, ſed eam tamen ad nullitatem vinculi ſufficientem non fuiſſe; idem ſentit de dictis Pauli 1. Cor. VII. Conjugia cum hæreticis jure Divino invalida eſſe negat, quanquam prohibita ſint jure Eccleſiaſtico, etiam apud Reformatos: ex quibus citat *Petrum Molinæum*, tractatu Gallico de matrimoniis illicitis. Diſpenſationes in his aut plane denegari, aut caute fieri debere ſuadet; in Gallia vero conſtitutione Regia ſupra allegata, & poſt ſublatum Edictum *Nannetenſe*, prorſus ceſſare tradit laudatque. Porro circa conjugia Clericorum olim etiam ab Epiſcopis diſpenſatum eſſe refert, ſed hodie a ſolo Pontifice id petendum eſſe, nec diſſimulat Græcorum a Romanis in hoc capite diſſenſum. In caſibus impotentiæ experimentum, quod ex inſtituto congreſſu inter conjuges in Gallia fieri conſueverat, edicto Regio *Anno 1677. d. 18. Febr.* ſublatum eſſe memorat, quia pudori non conveniebat. Receptum eſſe in Gallia decretum Concilii Tridentini contra nuptias clandeſtinas eſſe obſervat, licet alia Concilii ſtatua circa diſciplinam univerſaliter in regno non valeant. Addit multa de cautelis & limitationibus illius decreti. Indicat poſtea varias diſputationes in Gallia de conjugiis filiorum familias ventilatas, ſive an absque conſenſu parentum contracta, non ſolum illicita & punienda, ſed invalida & reſcindenda ſint, negatque ſat valida argumenta in alterutram partem ab exemplis & dictis Scripturæ peti poſſe: jure civili tamen invaliditatem matrimoniorum illorum indubitatam eſſe docet ex titulo *Inſt. de Nuptiis*. Idem aſſerit ex veteribus Eccleſiæ Canonibus, orientalis præſertim, & maxime ex Epiſtola *Baſilii ad Amphilochium*, qua veluti Codicem ſive compendium aliquod legum Eccleſiaſticarum exhi-

beri

beri dicit, itemque *Photii* & *Balſamonis*, ita ut etiam poſt ſchiſma in hac ſententia perſtiterint Græci, neque eo nomine a Romanis reprehenſi fuerint. Hos vero variaſſe, & nullitatem ſtatuiſſe jam dudum notat Tertullianum & Ambroſium. Evariſti epiſtolam non magni facit, quod a Pſeud-Iſidoro confictam agnoſcat. Ejusdem tamen ſententiæ fuiſſe Pontifices Leonem I. Cœleſtinum, Hormisdam, Pelagium, Nicolaum I. & Alexandrum II. ex reſcriptis a Gratiano relatis confirmat, ut & ex conciliorum Gallicorum decretis. Sed poſtea, ſeculo inprimis decimo relaxatam fuiſſe diſciplinam illam fatetur, cujus reſtitutionem optaverint quidem boni Theologi & Principes, neque tamen voto potiti ſint. Citat in eam rem decretum Synodi Colonienſis A. 1536, totamque refert conſtitutionem *Henrici II.* Galliæ Regis A. 1556. maſcule reprehenſam a *Paſquierio*. In Concilio autem Tridentino anathema dicitur iis, qui nullitatem ſtatuunt; id quod Lutherum, Calvinum aut Sectatores eorum ferit. Autor tamen interpretationem affert, ut decretum illud limitationem admittat & rem indeciſam relinquat, vel ſaltem Gallos non obliget, qui capita illius concilii de diſciplina non admittant: tanto quidem minus, quia Regum ſuorum conſtitutionibus de nullitate illorum matrimoniorum nihil cautum reperiatur, & recentiores ad ſenſum illius, quam *Henricus II.* edidit, reſpiciant. Sententias, quas a Parlamentis quandoque in contrarium latas eſſe apparet, ad cauſas reſtringit, in quibus raptus intervenerit. Raptum enim, ex *Bignonii* junioris advocati regii verbis, non ſolum de violenta fœminæ arreptione & translatione in alium locum, ſed & doloſa perſuaſione intelligit. Ventilat etiam quæſtionem, an omiſſa proclamatione contractæ nuptiæ, ſint nullæ & invalidæ, & negativæ accedit; quanquam non defuiſſe dicat graves autores, contrarium ſtatuentes. Addit quædam de cavendo abuſu diſpenſationum in omittendis aut contrahendis trinis proclamationibus, & inſigni laude extollit *Harlæum, Archiepiſcopum Pariſienſem*, quod caute & provide in ea re ſeſe gerat: ſpeciatim improbat, quod diſpenſationes illæ ære redimantur. De raptu iterum ſeveritatem veterum legum recenſet ac commendat, & fraudem dolumque violentiæ apertæ æquiparat, ita ut iſtoc modo etiam fœminæ autrices raptus eſſe poſſint, cum ex compacto rapi ſe curant. Laudat & integram adſcribit conſtitutionem regiam A. 1639. adverſus clandeſtina matrimonia & raptus crimen editam. De diſpenſatio-

 nibus

nibus circa impedimenta *dirimentia* denuo monet, laxatam eſſe diſciplinam antiquam nimia Pontificum indulgentia, monitaque ſubjungit, quæ ad circumſpectum diſpenſationis uſum obſervari debeant, & quid Parochis faciendum ſit, ſi in confeſſionibus vel alio occulto modo dirimentia obſtacula conjugiorum deprehendant, ne ſcandalum in detegendis iis producant, aut conſcientias lædant.

De impedimentis *prohibitivis*, quæ cenſuram aut pœnam mereantur, ſed matrimonii vinculum non rumpant, paucis in fine operis tractat Autor, eorumque duodecim enumerat, quorum ſeptem ex crimine ortum habent. (1) Prohibetur uſu matrimonii, qui inceſtum durante matrimonio commiſit cum conſanguinea uxoris. (2.) conjugium non permittitur ei, qui alteri deſponſatam vi ſtupravit. (3.) qui vel quæ conjugem occidit. (4.) qui Sacerdotem interfecit. (5.) qui cognationem ſpiritualem doloſe affectavit, ut a debito conjugali ſeſe liberaret. (6) qui cum Moniali conjugium iniit; is enim nec diremto illo, ad aliud admittitur. (7.) is, cui pœnitentia publica injuncta eſt, durante illo tempore a nuptiis arcetur. Sequuntur aliæ cauſæ prohibendi, nempe (8.) obſervatio temporis, quo nuptias celebrari fas non eſt, i. e. *Adventus* & *Quadrageſimæ*. (9.) interdictum ſpeciale Epiſcopi vel judicis Eccleſiaſtici.) (10.) votum ſimplex de caſtitate. (11.) ſponſalia antea contracta. (12.) cognatio ex Catechiſmo, ne quis ducat eam, quam baptizandam in capitibus fidei inſtruxit. Ex his quædam in deſuetudinem abiiſſe, & in omnibus diſpenſari ab Epiſcopis poſſe, notat, excepta cauſa voti de cœlibatu, cujus relaxatio ſoli Pontifici reſervatur,& binorum ſponſaliorum, de quibus cognitio ad judicem remittenda eſt, quia agitur de jure tertii. Obſervat, ſi Papa votum reſcindat, quo aliquis Deo obligatur, id non tam reſciſſionem eſſe, quam declarationem, quod ab initio ob cauſas quasdam validum non fuerit.

GEORGII OTHONIS DISSERTATIO DE GEMINA Accentuatione S. Scripturæ Hebrææ, præſertim Decalogi.

Marburgi, typis Jo. Jod. Kürſneri, 1688. in 4. plag. 13.

CLariſſimi hujus Marburgenſium Profeſſoris Diſſertationem de τετραγραμμάτῳ Dei nomine יהוה ſupra p. 356. recenſuimus; jam ex

ex aliis ejus de Accentuatione Decalogi meditationibus excerpta daturi, quæ dubio procul ſalivam eas inſpiciendi movebunt philologiæ ſanctioris ſtudioſis. Quid enim præſtitiſſe ſe cenſeat hoc in negotio, ipſius verbis omnium optime ediſſeremus. Ait nempe in ipſo diſſertationis *titulo*, quod in hac *non tantum vera accentuationis decalogicæ origo atque forma*, (*quæ omnes hucusque tam theologos, quam philologos latuerint,*) *ſed & genuina decem præceptorum, quæ in Reformatorum eccleſiis hodie obtinet, diſtinctio, ex ipſa Scriptura ſubtili indagine eruatur, & contra quosvis diſſentientes, imprimis Bohlium, Waſmuthum & Pfeifferum,* (*viros de univerſa quidem accentuatione Hebræa præclare meritos; ſed in hoc puncto magni Lutheri & eccleſiarum ſuarum autoritate abreptos,*) *apodictice demonſtretur, atque ita & Theologorum ſcandalum & crux Grammaticorum feliciter tollatur.*

Poſtquam parte prima hujus Diſſertationis & partis ſecundæ ſectione I. *generalia* pertractavit, ſententiam ſuam P. II. Sect. II. & ſeqq. multis aſſertionibus includit; e quibus potiores ipſius plerumque verbis excerpemus, quarum tamen ubique demonſtrationes adjicere, nimis longum foret, præſertim cum ipſe liber lectione & ulteriori examine digniſſimus ſit. Duæ (inquit) nobis a Moſe relictæ ſunt Decalogi formæ: prior *Exodi XX 2-17*, poſterior *Deuter. V, 6-21.* Utræque ejusdem ſenſus, ſed diſtinctione & verbis quandoque inter ſe diſcrepantes. Ex his prior *archetypon*, quod Deus in Sinai recitavit; poſterior *ectypon* a Moſe in planitie Moab repetitum continet. Utrique adduntur duæ accentuationes, quarum una priori, poſteriori altera propria eſt. Dei nempe accentuatio ſive diſtincta pronuntiatio *Ex. XX.* ſoli ſenſui, juxta denarium præceptorum; Moſaica autem, *Deut. V.* ad menſuram quoque ſpiritus humani accommodata fuit; unde, quæ Deus decem verſibus, duodecim verſibus Moſes extulit. Cum utraque hæc accentuatio oralis Dei & Moſis in literas eſſet relata, Divinæ Moſaica & Moſaicæ Divina juncta fuit, prout ocularis inſpectio docet; quod autem jam olim ab Eſdra & viris magnæ Synagogæ id factum fuerit, veriſimile eſt; quoniam ipſa pridem *Maſora* ad *Ex. XX. 2.* obſervavit, vocem פני *Patach* & *Kamez* ſimul habere in ultima ſyllaba. Hactenus de cauſa efficiente.

Quod *formam* attinet, altera geminarum hujusmodi diſtinctionum (quam *Divinam* Author vocat) eſt in *decem* verſus, juxta עשרת P. II. S. III.

 הדברים

הדברים *decem præcepta.* Hæc autem ex ſola ſenſus diverſitate diſtinguenda ſunt. Meque actus, neque objecta, ſibi invicem, vel eidem generi ſubordinata, ſed utraque realiter & toto genere diſtincta, diſtinctum præceptum conſtituunt. Sic *facere* idola, ea *adorare*, & iis *ſervire*, actus ſunt diverſi, at ſubordinati ſibi invicem, adeoque non tria præcepta efficiunt, ſed unum ingrediuntur. Concupiſcentia *originalis* & *actualis* ſpecies ſunt ejusdem generis; *domus, uxor, ager, ſervus, ancilla, jumentum* ſub uno genere, nempe *bonis proximi*, continentur: ergo diverſa præcepta non conſtituunt. Verba initialia: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti, ex domo ſervorum*, ſunt præfatio decalogi, non præceptum. Verba hæc: *Non habebis Deos alienos coram me*, abſolvunt primum præceptum; quia & actu prohibito, & objecto, a ſequentibus omnibus realiter differunt. Prohibetur heic actus fœderalis, aliquem pro Deo habendi, *Exod. XX. 32.* in ſequenti vero cultus externus per erectionem ſtatuarum prohibetur. Objectum heic ſunt Dii alieni, illic Deus eſt verus, *Exod. XX. 22. 23. 24. Deut. IV. 25. 26. & ſeqq.* Unde Dii gentilium cum ſimulacris ſuis hic proprie prohibentur; vitulus autem Aharonis & Jeroboamici, itemque idolum Michæ, quæ ſoli vero Deo conflata fuerant, ſequentibus verbis proprie vetantur. Sanctiones itaque de *idolis* (verum Deum repræſentaturis,) de *abuſu nominis divini*, de *ſabbato*, de *honore parentum*, de *homicidio, adulterio, furto, falſo teſtimonio, concupiſcentia*, unum ſingulæ præceptum faciunt. Verſus ſinguli tam prioris, quam poſterioris decalogi formæ per *ſophpaſuk* diſtinguntur. Tam enim Deus decem præcepta *Exod. XX.* quam Moſes verſus ſuos *Deut. V.* perfecte, h. e. ſpiritu plene depoſito diſtinxit; quod adverſus divulſionem præcepti de concupiſcentia probe notandum. Ubi Sophpaſuk præcedit Silluk purum, ibi utriusque decalogi formæ diſtinctio coincidit; ubi impurum, hoc eſt, alio accentu, v. g. *Athnach, Rebbia* ſtipatum, ibi alterius tantum formæ verſus terminatur. Sophpaſuk, præcedente Silluk impuro, ſi aliquod præceptum terminat, ad priorem formam *Exod. XX*; ſin minus, ad poſteriorem *Deut. V.* proprie pertinet. Quia prior formula a Deo juxta ſolum ſenſum ſeu denarium præceptorum numerum, poſterior a Moſe, ſecundum humani ſpiritus menſuram, quæ ſenſui in longioribus vel brevioribus præceptis non ſemper reſpondet, diſtincta fuit. Hinc utriusque formæ

tam

tam adoptiva quam genuina diſtinctio facile invenitur: ſi Silluk purum utrique; impurum, terminans præceptum, priori; non terminans, poſteriori tribuantur. Sic prioris formæ (nempe Divinæ) *nativa* & poſterioris (nempe Moſaicæ) *adoptiva* diſtinctio in *præcepta* talis erit: Primum præceptum utrobique terminabitur vocibus על פני, ob Silluk impurum præceptum terminans. [2] מצותי. [3] לשוא [4] in priori forma ויקדשהו; in poſteriori השבת. [5] נתן לך ob Silluk ubique purum. [6] תרצח. [7] תנאף. [8] תגנב. [9] in priori forma עד שקר, in poſteriori עד שוא. [10] וכל אשר לרעך ob Silluk utrobique purum. Poſterioris autem (ſeu Moſaicæ) forma *genuina* & prioris (i. e. Divinæ) *adoptiva* diſtinctio in *verſus* talis eſt: Verſus (1) terminatur utrobique in עבדים; (2) in מתחת לארץ; (3) לשנאי; ob Silluk ubique impurum præceptum non terminans. (4) מצותי; (5) לשוא; ob Silluk utrobique purum. (6) in priori forma לקדשו; in poſteriore אלהיך. (7) מלאכתך (8) in priori forma בשעריך; in poſteriori כמוך, ob Silluk ubique impurum, non terminans præceptum. (9) in priori forma ויקדשהו in poſteriori השבת. (10) נתן לך (11) in priori forma עד שקר, in poſteriori עד שוא. (12) וכל אשר לרעך ob Silluk ubique purum. Sed quum conjunctæ hæ accentuationes ſe mutuo diverſis in locis interſecent, hinc enaſcuntur utrobique verſus *vulgares* ſedecim.

Sic de forma diſſeruit Otho. Porro quod accentuationis *materiam*, i. e. *accentus* ipſos, nullos admittit, niſi & vetuſtiſſimorum codicum fide nitantur, & ſimul accentuatoriis regulis ex S. Scripturæ perpetua inductione collectis conveniant; excepto unico loco, nimirum Deut. V. מארץ מצרים מבית עבדים ubi ultimam vocem non cum Silluk & Rebhia, nec cum Silluk, Athnach & Rebhia, ſed tantum cum Silluk (ratione accentuationis Moſaicæ) & ſimul cum Athnach, (ratione accentuationis divinæ,) ſignandum eſſe contendit, non tam libris heic, quam regulis nixus accentuatoriis, ut & conſenſu codicum Exodi. P. II. Sect. IV. §. 28. ſſ.

De *Fine* quæ addit clariſſimus Author, nec nobis dividiæ erit excerpere ac huc transferre: *Finis* (inquit) nobis *alius* eſt reſpectu cauſæ principalis, *alius* reſpectu minus principalis: & hic iterum *alius* reſpectu ſeparatæ ſeu ſimplicis & nativæ Accentuationis utriusque formulæ, *alius* reſpectu conjunctæ in utraque. Sic *finis* diſtin- P. II. S. II. §. 7. 8. & P. III. S. I. §. 6.

ctionis & accentuationis *Divinæ* in *Exodo* fuit, ut populus & numerum & ordinem decem præceptorum clare & perſpicue dignoſceret: *Moſaicæ* in Deuteronomio, *cum*, ut ſpiritus humani menſuræ recitationem accommodaret, *tum*, ut reverentiam erga ſummum Numen, majeſtaticam ejus pronuntiationem non temere imitando, obſervaret. *Lectorum* & *Scribarum* finis in *ſimplici* diſtinctione & accentuatione *prioris* formulæ fuit, ut Dei; *poſterioris*, ut Moſis genuinam pronuntiationem exacte & decenter referrent. In *geminata* formulæ *prioris*, ut exemplo Moſis, partim humano ſpiritui verba Dei accommodarent, partim promiſcuam Dei imitationem ob debitam ſupremo Numini reverentiam evitarent: *poſterioris*, ut in ea quoque denarium divinorum præceptorum numerum atque ordinem definirent. Hactenus Noſter.

Ex his præmiſſis fluit poriſma, quod Cl. autor P. III. ſect. II. fuſe perſequitur, nimirum *geminam decalogi accentuationem*, *Auguſtinianæ, quæ dicitur, præceptorum diſtinctioni, quam, ut Romana Eccleſia, ita & Lutheranæ pleræque hodie ſequuntur, e diametro repugnare*; quia ex prima pericope, h. e. quatuor primis verſibus decalogicis [ſive quinque vulgaribus *Exod. XX. 2. 3. 4 5. 6. Deut. V. 6. 7. 8. 9 10.*] facit præceptum *unum*, ex ſexta autem h. e. verſu decalogico ultimo [*Exod. XX. 17. Deut. V. 21.*] præcepta *duo*. Neutrum, Othone judice, patitur accentuatio. Nam *Sakephkaton* in אלהיך *v. 1* & *Se-*

P. III. S. II. *golta* in תעבדם *v. 4.* pertinent ad accentuationem divinam, nec

§. 3. tamen unum eundemque verſum ingredi poſſunt; quia Segolta omnium ſubdiſtinctivorum regum eſt ultimus. a quo proinde ad intermedium Sakeph in eadem ditione neque per analogiam, neque per anomaliam ullam datur progreſſus; alia autem ante Athnachum ditio in eo-

§. 4. dem verſu nulla dari poteſt. Accedit, quod duplex Athnach, unum in עבדים *v. 1.* alterum in לשנאי *v. 4.* pertineant ad accentuationem divinam, & tamen ingredi nequeant unum eundemque verſum Equidem *οἱ ἐξ ἐναντίας* Athnach in עבדים *νοθείας* poſtulant; ſed

§. 5. 6. 7. 8. optimis id editionibus ſuffultum, Otho oſtendit, & viciſſim probat. Rebhia nullum habere poſſe locum in hac voce. Progreditnr dein ad pericopen ſextam, ſive verſum ultimum, atque non duo, ſed unum præceptum ea contineri aſſeverat; quia unum ibi eſt Sophpaſuk. Nam duo puncta, quæ in *Deuteronomio* (Menaſſis Ben Iſrael) viſuntur poſt

אשת

אשת רעך, non agnoſcit pro *Sophpaſuk*, cum רעך non habeat *Silluk*, ſed *Athnach.* Item quia una tantum & ſimplex in ea accentuatio invenitur; cum alias prius hemiſtichium לא תחמד בית רעך non tantum habere deberet, uti habere cernis, *Athnach, Munach, Tiphcha, Merca*, ſed tum Atnacho *Silluk*, tum Munacho *Merca* jungi oporteret. Quum autem his incommodis non prematur partitio decalogi in eccleſiis Reformatorum recepta, hanc ſolummodo amplexandam eſſe, concludit Autor.

INDEX AUTORUM,
quorum Scripta hoc Supplementorum Tomo recenſentur.

I. *Libri Theologici & hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantes.*

Acta primorum martyrum, cum notit Theodorici Ruinart 593
Natalis *Alexandri* Hiſtoria eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti 538
Jacobi *Altingii* Opera omnia 255
Anonymi Conſiderationes ad tractatum Maimburgii de inſtitutione & prærogativis Romanæ eccleſiæ. 30
Anonymus de origine Decimarum 79
Joſephi *Antelmii* Diſſertationes de veris operibus Leonis M. & Proſperi Aquitani. 431
D. Aur. *Auguſtinus.* Vide *Tricaſſinus.*
Monachorum *Benedictinorum* Congr. de S. Maura Analecta Græca 256
Bernardi Claræ vallenſis Opera, ex ſecundis curis Joh. *Mabillonii* 556
Franciſci *Burmanni* Exercitationes Academicæ 455
Thomæ *Burnetii* Telluris Theoria ſacra. libri III. & IV. 304
Joſephi Mariæ *Cari* Reſponſorialia & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ
Pſalterium, juxta editionem Romanam & Gallicam 486
S. Bibliorum veteres Tituli 490
Jacobi *Certani* Vita S. Patricii 71
Joh. *Chryſoſtomi* Epiſtola ad Cæſarium monachum 495
Joh. *Ciampini* Examen libri Pontificalis *Anaſtaſii* Bibliothecarii 167
Parergon ad examen illud, ſive epiſtola *Pii II.* ad Carolum VII. a Launoiana calumnia vindicata 171

Johan-

Joannis *Claudii* Explicatio epiſtolæ ad Romanos ex c. III. v. 27. 157
Declarationes ſcandalis ex hoc libro acceptis oppoſitæ 164
Joannis *Cocceji* opera omnia 319
Du *Freſne*. Vide Πασχάλιον.
Joannis *Gerbais* Diſſertatio de cauſis majoribus 57
Tractatus Pacificus de Poteſtate Eccleſiæ & Principum circa impedimenta conjugii 625
Joannis *Harduini* notæ in epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium 495
Henr. *Hilarii* comm. in Philippum Cyprium 391
Jo Henr. *Hottingeri* libri *Ijob* analyſis 336
David *Huguenini* Chriſtianus ratiocinans 377
R. *Jom Tobb* Lipmannus. Vide *Miſchnajoth*.
Joh. Laur. *Luccheſinii* nova copia & ſeries centum ſignorum Fidei 227
Jo. *Mabillon*. Vide *Bernardus*; item *Benedictini*
Marci Eremitæ, de iis, qui putant, ſe ex operibus juſtificari, capitula 558
Hectoris Gothofredi *Maſii* Intereſſe Principum circa religionem Evangelicam 8
Hugonis *Mathoud* Catalogus Archiepiſcoporum Senonenſium 386
De vera Senonum origine Chriſtiana, adverſus Joh. de Launoy diſſertationem 383
Miſchnajoth, cum Comm. R. *Obadiæ* Bertinorii & R. *Jom Tobb* Lipmanni 363
Henr. *Muhlii* Apologia Talmudica 320
R. *Obadiæ* Bertinorii Comm. in Miſchnajoth 363
Georgius *Otho*, de S. Dei nomine tetragrammato יהוה 356
de gemina Accentuatione S. Scripturæ Hebrææ 634
Nicolai Mariæ *Pallavicini* Defenſio Pontificatus Romani 182
Hyacinthi *Parperæ* Index copioſior ad vitam æternam 200
Πασχάλιον ſeu Chronicon Paſchale, alias Alexandrinum, cum notis Caroli Du Freſne 437
Peliſonii Chimæræ Petri Jurii. Pars III. 609
Philippi Cyprii Chronicon, cum Comm. H. Hilarij 391
Jo. Chryſoſt. *Philippinus* de privilegiis ignorantiæ 389
Lud. Ellies du *Pin* de antiqua eccleſiæ diſciplina 25
Matthæi *Poli* Annotationes in Biblia ſacra 184
Aur. *Prudentii* opera, cum notis Steph. *Chamillard* 126

Herm. Alex. *Roell* de Religione rationali 298
Theodorici *Ruinart* Notæ in Acta Martyrum 593
Caſp. Herm. *Sandhagen* Introductio in Hiſtoriam J. C. & Apoſtolorum 186
Pompeji *Sarnelli* Clerus ſecularis in ſuo ſplendore 299
Joannis *Schedii* Comm. in *Joh. c. VIII. v.* 25. 335
Sam. *Schelguigius* de Rechabitis 350
De Unione Eccleſiarum Tridentinæ atque Auguſtanæ Confeſſioni adhærentium 358
Joſephi Hieron. *Semenzi* Mundus creatus 576
Dn. Cœleſtini de' *SFONDRATI* Gallia vindicata 118
Richardi *Simonis* Fides Eccleſiæ Orientalis de Transſubſtantiatione 75
Soulerii Hiſtoria Calviniſmi 268
Frid. *Spanhemii* Vindiciarum Biblicarum liber III. 73
Honorii *Stellæ* Reſponſio ad cenſuram ab Henſchenio & Papebrochio in Martyrologium Brixianum latam 134
Wilh. Ern. *Tentzelii* Epiſtola, qua reſponſio ad Emanuelis a Schelſtraten diſſertationem apologeticam de diſciplina arcani ſummatim continetur 15
Gratia efficax a ſeipſa, refutata ex libris S. Auguſtini per Carolum Joſephum *Tricaſſinum* 127
Liber D. Auguſtini contra Pelagium & Celeſtium de gratia Chriſti, commentario illuſtratus a Car. Joſ. *Tricaſſino* 134
A. D. *V.* Advocatus Proteſtantium contra objectiones Nicolii, Brueyſii & Ferrandi 212
Herm. *Witſius* de Scripturæ S. autoritate divina ex ſola ratione adſtruenda 88

II. Libri Juridici.

C. *Blondelli* Ephemerides fori. Pars XI. 393
Philippi *Caſtaldi* Conſultationum forenſium volumen I. 364
Johannis *Doujatii* Prænotionum Canonicarum libri V. 20
Antonii d' *Eſpeiſſes* Opera 397
Bartholomæi *Gatti* Conſilia 218
Joh. Bapt. *Neri* Praxis S. Inquiſitionis 612
Petri & Franciſci Fratrum *Pithœorum* Corpus Juris Canonici 23
Codex & Novellæ Juſtiniani per Julianum tranſlatæ 441
Franc. *Pinſſon* de Regalibus Juribus circa beneficia eccleſiaſtica 569
Gregorii *Roſignoli* Theoremata Theologico-juridica de Reſtitutione 267
Ant. *Speſſæus*. Vide *Epeiſſes*.

III. Libri Phyſici & Medici.

Joh. *Agricolæ* Notæ in Joh. Poppii Medicamenta Chymica 106
Anonymi Tentamen Anatomicum, quo explicatur conſtructio atque operatio mechanica organorum 48
Anonymi Diſſertatio de arthritide 429
Anonymi Reſponſium ad Diſſertationem *de* arthritide 591
Fr. *Bayle* Diſſertatio quæſtiones quasdam phyſicas & medicas explanans 585
Jo. *Bernier* Conamina medica 451
Roberti *Boyle* nova Experimenta circa frigus 137

Eduardi *Brownii* Anatome ſtruthiocameli 250
Leonardi *Capuani* Cogitata; item Diſc. de medicamentorum incertitudine 615.619
Joannis *Commelini* Catalogus plantarum horti medici Amſtelodamenſis 387
Thomæ *Cornelii* Progymnaſmata phyſica 173
P. V. D. Obſervationes excerptæ ex prælectionibus Theodori *Craanen* 178
Joh. *Floyeri* Lapis Lydius medicamentorum 502
Joh. *Goad* Aſtrometeorologia ſana 524
Joh. Franc. *Griendelii ab Ach* Micrographia nova 95
Gouye Obſervationes phyſico-mathematicæ Siamicæ 403
Joh. Helfrici *Jungken* Animadverſiones in Joh. Poppii Medicamenta Chymica 106
Launæi Præcepta pro hernia laborantibus 602
Antonii *Lewenboeck* Anatomia 102
Martini *Liſteri* Relatio de monſtroſo animali per vomitum ejecto 310
Carolus de *Maets*, Vide pag. 324
Mariottus de Motu aquarum 151
L. le *Monnier* de Morbo Venereo 604
Rich. *Mortoni* Phthiſiologia 481
Caſpari *Paragalli* Diſquiſitio circa cauſam terræmotuum 559
Perraltii Tentaminum phyſicorum Tomus IV. 491
Homoboni *Piſonis* Ultio antiquitatis in Circulatione ſanguinis 579
Roberti *Plot* Diſcurſus de lampadibus antiquorum ſepulcralibus 367
A. *Porſchon* de Purpura, Morbillis & Variolis 511
Jo. *Raji* Hiſtoriæ Plantarum Tomus II. 111
Joh. *Smith* Diſcurſus de natura, uſu & recta tractatione baroſcopii 352
Georgii *Starkey* Medulla veræ Chymiæ 49
Pyrotechnia 180
Laurentii *Strauſii* Iſagoge phyſica 226
P. T. Chemia rationalis 324
Rich. *Walleri* Obſerv. de cicindela volante 443
Sebaſtiani Chriſtiani de *Zeidlern* Inſtitutiones medicæ 198

IV. Libri Mathematici.

Anonymi Elementa Geometriæ 94
Ariſtarchus Samius, cum notis Joh. *Wallis* 567
Antonii Franciſci de *Bonattis* univerſa Aſtroſophia naturalis 9
Desroches Dictionarium nauticum 592
Franc. *Eſchinardi* Epiſtola ad Franc. Redi 5
Curſus phyſico-mathematici P. I. 402
Ægidii Franciſci de *Gottignies* Logiſtica univerſalis 329
Edmundus *Halley* de Conſtructione problematum ſolidorum 144
Rob. *Hookii* Inventum, diviſiones barometri ad datam quamlibet proportionem ampliando. 447
Deſcriptio optimæ formæ velorum horizontalium pro uſu molarum, nec non fundamentum inclinatorum velorum in navibus 246
Cornelii *Meyeri* Ars reſtituendi Romæ navigationem ſui Tiberis 234
Dan. *Newhouſe* Ars nautica 300

Pappus

Pappus Alexandrinus cum notis J. Wallis 567
Picardi Tractatus de Libellatione 96
Barthol. *Scanavaccæ* nova Inventio deſcribendi Horologia Solaria 245
Stanislai *Solski* Praxis menſurandi diſtantias 523
Geometra & Architectus Polonicus 545
Georgius Rimplerus contra Joh. Jacob. Werdmüllerum defenſus a Daniele *Süttingero* 244
Joh. Weichardi LIB. BAR. VALVASOR Methodus ſtatuas ex metallo fundendi 315
Jo. *Wallis* Notæ in Ariſtarchum & Pappum 567
Joh. Jac. *Werdmülleri* Lapis Lydius architectorum militarium 243

V. Libri Hiſtorici & Geographici.

Leonis ab *Aizema* Hiſtoria noſtrorum temporum 278
Hiſtoriæ *Anglicanæ* Scriptores quinque 108
Anonymi Relatio de Nigritarum regione 421
De Inquiſitione, quæ Goæ eſt 61
Joh. Chriſtoph. *Artopæi* Diatribe de Xerxe, Nebucadnezare & Cyro minore 262
Petri *Beckleri* illuſtre Stemma Ruthenicum 418
Eduardi *Brown* Relatio itinerum per varias Europæ partes factorum 337
Chevreau Hiſtoria mundi 390
De la *Croix* Deſcriptio Africæ 531
Relatio de Imperio Ottomannico 519
Ant. *Foreſti* Tabula coſmographica hiſtorica 592
Simonis *Guntoni* Hiſt. Petroburgenſis 288
Chriſtophori *Hartknochii* Boruſſia vetus & nova 191
Gabr. de *Henao* Antiquitates Calabriæ 526
Walteri *Hemmingford* Chronicon 109
Rich. *Knollii* Hiſtoria Turcica 19
Roberti *Knox* Relatio de inſula Ceylon 36. 112
Cornelii *Magni* Relatio de Athenarum urbe 206
Rogerii *Manley* Hiſtoria Turcica 19
Petri de *Marca* Marca Hiſpanica 497
Annales *Marganenſes* 109
Ludov. Ferdin. *Marſilii* Obſervationes de Boſporo Thracio 207
Maſſevillii Hiſtoria Normanniæ 202
Caroli Joſephi *Morozzi* Vita B. Amedei Ducis Sabaudiæ 55
Simonis *Patricii* Hiſtoria eccleſiæ Petroburgenſis 288
Bartholomæi de *Rogatis* Hiſtoria Hiſpaniæ a Mauris occupatæ, ac a Chriſtianis recuperatæ 328
Pauli *Rykaut* Hiſtoria Turcica 19
Pompejus *Sarnellius* de Collegio Spiritus S. Beneventano 299
Jo. Weichardi LIB. BAR. *VALVASOR* Topographia Archiducatus Carinthiæ 223
Galfredi de *Vino Salvo* Itinerarium 109
Annales *Waverlejenſes* 109
Thomæ *Wickes* Chronicon 108
Reliquiæ *Wottonianæ* 81

VI. Li-

INDEX AUTORUM.

VI. Libri Philoſophici & Philologici miſcellanei.

Claud. *Ælianus*, cum notis Joh. *Scheffcri*, curante Joach. *Kuhnio* 221
Alexander de Figuris ſententiæ atque elocutionis 518
Anonymi Civile Gallorum ſuper lingua vernacula Bellum 220
Benedicti *Averani* Orationes 440
Petri *Bælii* Epiſtola de Anonymis 291
Dan. *Bartoli* Opera Moralia 407
Jul. Cæſaris de *Beatiano* Mercurius Heraldicus & Fecialis Venetus 12
Jo. Petri *Bellorii* Notæ in Numiſmata apibus inſignita 348
Veterum Philoſophorum, Poëtarum, Rhetorum & Oratorum Imagines 347
Bion ex verſ. Gall. Dni. de Longuepierre 99
Nathanaelis *Botelerii* de Servitiis & expeditionibus nanticis Dialogi VI. 125
Thomæ *Brown* Opera 279
St. *Chamillardi* Notæ in Prudentium 126
Dan. *Criſpini* Notæ in Ovidium 544
Jo. *Deckherri* de Scriptis adeſpotis, pſeudepigraphis & ſuppoſititiis conjecturæ 291
Raph. *Fabretti* de Columna Traj.ni 574
Nic. Parthenii *Giannetaſii* Halieutica 577
Piſcatoria & Nautica 1
Graverolus de numo ΘΕΟΥ ΠΑΝΟΣ 583
Joh. *Harduini* Antirrheticus adverſus J. Foy-Vaillant 475
Georg. *Hickeſii* Inſtitutiones Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ 522
Lucæ *Holſtenii* Epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ 348
Joh. Wolfg. *Jægerus* de Juramentis 259
De Legibus 260
Franciſci *Lemee* Tractatus de Statuis 110
Longuepierre. Vide *Bion* & *Moſchus.*
Claudii *Menetreji* Symbolica Dianæ Epheſiæ Statua 348
Minutianus de Sedibus Argumentorum 518
Moſchi Idyllia, ex verſ Gall. Longopetræi 99
Laur. *Normanni* Notæ in Alexandrum, Phœbammonem & Minutianum 518
Claud. *Nicaſius* de monumento Auſcienſi 375
De Numo Pantheo Hadriani Imp. 372
P. *Ovidius* Naſo, cum notis Dan. *Criſpini* 544
Phæbammo de Schematibus Oratoriis 518
Fr. *Redi* Bacchus in Hetruria 113
Rigordi Diſſ. de nummis Herodis Agrippæ & ΘΕΟΥ ΠΑΝΟ 581. 584
Sam. *Schmidii* Hodegus Epiſtolicus 360
Jani *Seldeni* Colloquia Menſalia 426
Joh. Bapt. *Thiers* de Ludis 51
Joh. Foy-*Vaillant* Numiſmata Impp. in coloniis & municipiis percuſſa 472
Petri de *Villemandi* Manuductio ad Philoſophiæ Epicureæ & Carteſianæ paralleliſmum 432
Joh. *Weiſſenbornii* Nucleus Artis Logicæ 420

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165789501